2

DIARIUM
LITURGICO-THEOLOGICO-MORALE
SIVE
SACRI RITUS,
INSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ MORUMQUE DISCIPLINA.

NOTANDA SINGULIS TEMPORIBUS ATQUE DIEBUS ANNI ECCLESIASTICI ET CIVILIS.

AUCTORE

FERDINANDO TETAMO
PANORMITANO.

ANNUS ECCLESIASTICUS.
TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS, MDCCLXXXIV.
EX TYPOGRAPHIA PETRI SAVIONI.
In Via Mercatoria ſub Signo NAVIS.

CUM PUBLICA ADPROBATIONE AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

PARS SECUNDA
LIBRI IV. TRACTATUS II.
SACRI RITUS,

INSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ, MORUMQUE DISCIPLINA

NOTANDA TEMPORE QUADRAGESIMÆ
SINGULIS SIGILLATIM HEBDOMADIS

A FERIA IV. CINERUM USQUE AD SABBATUM SANCTUM.

CAPUT I.

Not. a fer. IV. Cinerum uſq. ad Sab. ante Dom. I. Quadrag.

ARTICULUS I.

Not. in genere.

§. I.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

1 In officio feriali a fer. IV. Cinerum uſque ad Veſperas Sabbati proxime ſequentis, hymni, Capitula, & alia omnia dicuntur ut in Pſalterio per annum; exceptis Antiphonis ad *Benedictus*, & ad *Magnificat:* & poſt Laudes, Horas, Veſperas, & Completorium dicuntur preces flexis genibus. *Rubr. Brev. in fer. IV. Ciner.* Item licet Veſperæ in diebus jejunii Quadrageſimæ dicendæ ſint ante refectionem, nihilominus in fer. IV. Cinerum & fer. V. ac VI. proxime ſequentibus dicuntur hora conſueta, ut monuimus par. 1. c. 3. n. 8. Quarum Rubricarum ratio eſt, quia ſolemnitates officii quadrageſimalis incipiunt in Dominica prima Quadrageſimæ, ut notat Durandus in *Ration. Divin. offic. lib. 6. c.* 28. *num.* 11. In Dominica vero prædicta incipiunt ſolemnitates hujuſmodi, quia olim obſervantia Quadrageſimalis inchoabat a Dominica prima quadrageſimæ; unde ea Dominica dicta eſt *Caput Quadrageſimæ*. Recole dicta par. 1. c. 1. art. 6. initio, & c. 3. qu. 3.

2 Quamvis autem in officio Eccleſiaſtico tempus quadrageſimale incipiat a Dominica prima Quadrageſimæ, nihilominus in his etiam quatuor diebus prædictam Dominicam præcedentibus, ſervanda eſt Rubrica illa Breviarii in fer. 4. Cin. poſita, qua præſcribitur, ut in Quadrageſima occurrente feſto ſimplici, de eo fiat tantum commemoratio: Officium vero totum de feria. Similiter ſervanda ſunt alia multa pro quadrageſimali tempore præſcripta, illudque reſpicientia e. g. Decretum de non recitandis officiis votivis, ſeu hebdomaticis &c. in Quadrageſima. Item illud de non celebrandis octavis in

Quadrageſima; & alia ſimilia. Vide dicenda in fer. IV. Cinerum ſubſ. I. Inſuper his quoque diebus ſervanda ſunt ea quæ par. I. c. 4. notavimus quoad Miſſam pro tempore quadrageſimali. *In capite Jejunii* (ait Micrologus de eccl. obſervat cap. 49.) *Miſſam dicimus ad Nonam, & omnia facimus ut in Quadrageſima. Cum enim illi quatuor dies pro complemento quadrageſimalis jejunii recipiantur, neceſſario quadrageſimalem obſervantiam obtinebunt*. Quod tamen intelligendum eſt juxta prædicta n. I.

§. II.

Not. pro Jejunio.

3 PRIMIS Eccleſiæ temporibus abſtinentia quadrageſimalis inchoabat a Dom. I. Quadrageſimæ, ut innuimus §. præced. Jejunium vero perfectum a fer. 2. proxime ſequenti. Primi ergo quatuor dies ex hebdomada Quinquageſimæ ſunt abſtinentiæ, & jejunio quadrageſimali additi per conſuetudinem, licet longo jam ab ævo, ob rationem alibi explicatam; unde feria quarta Cinerum nuncupatur *Caput Jejunii*. Confer Merat. *to. I. part. 4. tit. 6. nu.* I. & dicta a nobis hoc lib. 4. part. I. c. I. art. 6. n. 53. ubi tamen n. 57. notavimus exceptionem pro Civitate Mediolanenſi, iiſque Diœceſis partibus, in quibus ſervatur Ritus Ambroſianus, ex quo obſervantia quadrageſimalis incipit a Dominica I. Quadrageſimæ.

ARTICULUS II.

Not. primis quatuor diebus Quadrageſimæ ſigillatim.

SECTIO I.

Not. Fer. IV. Cinerum.

EXPLICANTUR SUBSECTIONIBUS IV.

Subſect. I. *De Horis Canonicis.*
Subſect. II. *De Benedictione, & Aſperſione Cinerum.*
Subſect. III. *De Miſſa.*
Subſect. IV. *De Initio Jejunii, & obſervantiæ quadrageſimalis, & interdictæ Solemnitatis Nuptiarum.*

SUBSECTIO I.

De Horis Canonicis.

EST privilegiata hæc feria, in qua 4 occurrens quodcumque duplex transfertur. *Rubr. gen. Brev. tit.* 10. *n.* I. & in *not. Brev.* poſt tabell. occurr. ex decreto Clementis VI. ann. 1352. uti tradit Gavantus *in Rubr. Brev. ſect. 6. c.* 10. *n.* I. qui dat rationem, videlicet, quia hodie convenit, ut populus Chriſtianus pœnitentiæ publicæ det indicia. Vide dicenda inferius n. 25. Hinc iſta feria eſt major, primæ claſſis; videri poſſunt dicta lib. I. par. I. c. 2. nu. I. Occurrente itaque hodie feſto duplici, transfertur in ſequentem diem ſimiliter non impeditam. *Rubr. Brev. hic*. De ſimplici autem occurrente fit commemoratio. *Rubr. gen. Brev. tit.* 5. *n.* 2. *& tit.* II. *nu.* 10. Vide rurſus dicta lib. I. loc. cit.

Pſal-

5 Pſalmi Graduales, qui præſcribuntur recitari in feriis quartis Quadrageſimæ, etiam in hac feria ſunt recitandi. *Rubr. Brev. fer.* IV. *Cinerum* Gavant. *ſect.* 9. *cap.* 3. *n.* 7. Caval. *to.* 2. *par.* 2. *c.* 46. *in decr.* 4. *n.* 1. In qua vero officii parte pſalmi prædicti debeant recitari? diximus part. 1. c. 3. n. 11. An ſit obligatio eos recitandi? examinavimus ibi qu. 2. num. 13.

6. A Fer. IV. Cinerum incluſive uſque ad Dominicam in Albis incluſive non celebrantur octavæ ſine ſpeciali conceſſione, aut privilegio antiquæ, & immemorabilis conſuetudinis; & quæ cœptæ fuerant, abrumpuntur ex *Rub. gen. Brev. tit.* 7. *n.* 1. Decr. S. C. R. Caval. tom. 2. c. 19. n. 10. & ibi in decr. 1. a n. 7. ubi autem in feria tertia poſt Dominicam Quinquageſimæ occurrat dies infra octavam; quid faciendum? docuimus ubi de illa feria n. 16.

7. *Qui habent privilegium celebrandi octavas in Quadrageſima, occurrente die infra octavam in fer.* IV. *Cinerum, nullam debent facere commemorationem de octava, neque in Laudibus, neque in Miſſa.* S. R. C. 2. Januarii 1682. in *Marſicana* apud Caval. *to.* 2. *c.* 19. *d.* 2. ob rationem mox aſſignandam. Veſperæ autem erunt de ſequenti die infra octavam, vel de die octava ſi fiet de ea. Vid. Caval. l. cit. num. 6.

In officio fer. VI. *Cinerum relinquendo commemorationem octavæ, debent Privilegiati dicere Preces, Pſalmos Graduales, &c. & ſervare omnino Rubricas feriæ* IV. *Cinerum*. S. R. C. 24. Januar. 1682. in dicta eadem *Marſicana* ad 2. dub. apud Caval. l. cit. d. 3. Hæc ſunt propria ferialis Officii, quæ cum non patiatur Octava, idcirco ejuſdem ſupprimitur commemoratio. Caval. loc. cit. n. 1. & in decr. 2. n. 4. & 5. Itaque dicuntur preces feriales flexis genibus, nec non ſuffragia Sanctorum, & de Cruce. Itidem officium parvum B. M. Virginis, & Pſalmi Graduales, non tamen Officium Defunctorum, licet ſit prima dies menſis non impedita, quoniam in Quadrageſima pro hujuſmodi officio recitando ſubſtituitur feria quælibet ſecunda non impedita pro die prima non impedita. Caval. *in cit. diſt.* 3. *n.* 2.

Occurrente vero apud eoſdem privilegiatos in eadem feria VI. Cinerum die octava, officium octavæ omnino ceſſat ad Nonam feriæ tertiæ præcedentis: ut dictum eſt in feria tertia poſt Dominicam Quinquageſimæ pro non privilegiatis, quia eadem eſt ratio; & ita declaravit S. R. C. 23. Junii 1736. in *Einſidlen* apud Caval. *cit. c.* 19. *d.* 4.

SUBSECTIO II.

De Benedictione, & Aſperſione Cinerum.

§. I.

8 FERIA IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ nuncupatur feria IV. Cinerum propter cæremoniam benedictionis, & aſperſionis Cinerum. Itaque feria IV. Cinerum *Ante Miſſam benedicuntur Cineres, facti de ramis olivarum, ſive aliarum arborum, præcedenti anno benedictis, hoc modo*. Rubr. Miſſ. hic. Hora competenti parari debet Altare majus ſimpliciter cum ſex candelabris de more, & ſine aliis ornamentis, quæ ſolemnitatem ſapiunt, color autem Anti-

pen-

Digitized by Google

pendii, ſicut & omnium paramentorum debet eſſe violaceus. Super Credentiam præter conſueta, præparabuntur vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, thuribulum cum navicula, pelvis cum medulla panis, & vas aquæ non benedictæ, ac manutergium pro lotione, & exterſione manuum Celebrantis poſt Cinerum diſtributionem & denique alia quæcumque adhibenda in ſubſequenti Miſſa. Ex latere Altaris ad Cornu Epiſtolæ præparabitur Miſſale apertum ſuper pulvino violaceo; & inter Miſſale, & cornu Epiſtolæ ponetur vas, aut pelvicula munda continens cineres benedicendos: qui cooperti maneant, ſi non habeatur operculum ejuſdem materiæ, ex qua eſt vas, velo violaceo uſque ad eorum benedictionem. Caval. *to.* 4. *c.* 12. *comment. in decr.* 22. *n.* 2. & 3. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 6. *n.* 2. *Cineres diſtribuendi in fer.* IV. *poſt Dominicam Quinquageſimæ debent eſſe aridi, non vero in modum luti*. S. R. C. 23. Maii 1603. in *Egitanien*, apud Caval. cit. diſt. 22. Decet item quod ſint bene eſpurgati, mundi, & ſubtiliſſimi.

9 Benedicuntur Cineres facti de Ramis olivarum, ſive aliorum arborum præcedenti anno benedictis. *Rubr. Miſſ. hic*, ſcilicet benedictis in Dominica Palmarum. Docet autem Quarti *de bened. tit.* 2. *ſect.* 1. *dub.* 4. prædictam Rubricam eſſe mere directivam, & non eſſe peccatum, communes cineres benedicere. Nihilominus curandum omnino eſt, ut ſervetur hoc, quod Rubrica præſcribit, ut idem Quarti fatetur, & monet.

10 Ante Miſſam benedicuntur cineres ab ipſomet Sacerdote, qui poſt benedictionem cinerum celebrare debet Miſſam ſequentem. Vid. dicta 2. Febr. art. 3. §. 7. fine. Docet autem Meratus *cit. tit.* 6. *n.* 20. & Caval. *l. cit. Comment. in decr.* 23. *n.* 2. ex aliis Auctoribus, & praxi Eccleſiarum, præter benedictionem ſolemnem faciendam juxta Rubr. immediate ante Miſſam, & poſt Nonam, ut infra dicemus: benedici poſſe privatim, ſummoque mane per aliquem Sacerdotem Cineres, qui deinde ſuis in vaſis per Altaria diſtribuantur, ut pro temporis opportunitate valeat ſatisfieri votis Populi, ſeu eorum devotioni, qui ſacris cineribus aſpergi cupiant, ſed uſque ad recitatam in Choro Horam Nonam expectare non valeant. Hujuſmodi vero privata benedictio fiat modo inferius indicando §. 10.

11 Benedictio, & aſperſio Cinerum non eſt de juribus mere Parocchialibus; ex Decr. S. C. R. 10. Decembr. 1703. approbante Clemente XI. 12. Januar. 1704. apud Caval. *lo. cit. d.* 2. & Merat. *ind. decr. Miſſ. n.* 565. vide dicta 2. Febr. art. 3. §. 5. n. 35. Licet igitur regulariter in omnibus Eccleſiis, quemadmodum benedictio, & diſtributio candelarum, atque Palmarum. Vid. Caval. *l. cit. in dec.* 1. *n.* 1.

Benedictus XIII. juſſit in omnibus Parochialibus Eccleſiis celebrari omnes functiones ſolemnes, etiam ſine numero cantorum, & Miniſtrorum: & parvum cæremoniale pro Eccleſiis minoribus evulgari præcepit an. 1725. & ſervari mandavit diebus Purificationis B. M. V. fer. IV. Cinerum &c.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

12 FINITA *Nona Sacerdos indutus pluviali violaceo, vel ſine caſula cum Miniſtris ſimiliter indutis, procedit ad benedicendum Cineres in vaſe aliquo ſuper Altari poſitos. Et primo cantatur a Choro ſequens Antiphona: Exaudi &c.* Rubr. Miſſ. hic. *Benedictio publica ſacrorum Cinerum facienda in fer.* IV. *poſt Dom. Quinquageſimæ; non poteſt fieri poſt Tertiam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam.* S. R. C. 22. Januarii 1701. *in una Camaldulenſium Montis Coronæ*; & confirmatum fuit 19. Januar. 1743. in altera corumdem Camaldulenſium Montis Coronæ apud Caval. *l. cit. d.* 23. *&* 24.

13 *Benedictiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum, & aliæ ſimiles actiones, quas faceret Epiſcopus præſens; eo abſente, vel impedito, ad primam Dignitatem, non vero ad Canonicum Hebdomadarium pertinent.* S. R. C. 21. Martii 1609. in *Piſaurien* apud Caval. *l. cit. d.* 4. *Miſſarum ſolemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in Proceſſione in ejus feſtivitate, Candelarum, Cinerum, & Palmarum benedictiones, & functiones ſimiles, quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere ſolet, & debet juxta formam libri Cæremonialis Epiſcoporum; abſente, vel impedito Epiſcopo ad primam Dignitatem, & deficiente prima, ad ſecundam, & ſic ſucceſſive pertinent.* S. R. C. 25. Junii 1611. in *Civitaten.* apud Caval. d. 5. Idemque præſcribunt decr. 26. Novembr. 1670. in *Senen.* & 3. Decembr. 1672. *in Andrien.* Sed quoniam Cæremoniale Epiſcoporum eaſdem benedictiones disjunctive committit *Canonico hebdomadario, ſeu Dignitati, vel alteri, ad quem de conſuetudine Eccleſiæ celebrare ſpectat:* exiſtimat Caval. in ſupra cit. d. 4. n. 2. quod ubi alia ſit Eccleſiæ conſuetudo, ſervari valeat; & id quidem confirmatur ex eo, quod interrogata S. R. C. *Utrum ſervari poſſit aſſerta conſuetudo, ut feria quarta Cinerum Canonicus Turnarius, impedito, vel nolente Epiſcopo, Cinerum benedictionem peragat, & Miſſam cantet?* ℞. *Affirmative, & amplius.* S. R. C. 14. April. 1753. in una Conimbric. ad 9. dub. apud Caval. to. 5. in Collect. recentior. Decretor.

Abſente Epiſcopo, benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & Fontis fiant per Celebrantem. S. R. C. 12. Junii 1627. in *Brunduſina* apud Caval. to. 4. c. 12. d. 6. Vid. dicta 2. Febr. art. 3. §. 7. fine.

14 Igitur finita Nona e Sacriſtia exeunt, & ad Altare accedunt Sacerdos indutus Alba, ſtola, & pluviali violaceo; Diaconus Alba, ſtola Diaconali, & planeta plicata ſimiliter violacea; & Subdiaconus Alba, & planeta plicata ejuſdem coloris, omnes ſine manipulis, tecto capite. Præcedit Thuriferarius ſine thuribulo junctis manibus, nudo capite, habens a ſiniſtris alium Acolythum ſimiliter incedentem, qui ſuo tempore inſerviet de vaſe aquæ benedictæ. Sequuntur Ceroferarii deferentes candelabra cum candelis accenſis; Cæremoniarius etiam nudo capite, & junctis manibus, ſed hic & incedere poteſt omnium primus, maxime ubi ſit concurſus plurimus, ut cum baculo viam paret ſequenti Clero. Omnium ultimus procedit Celebrans medius inter ſacros Miniſtros, elevantes fimbrias anteriores Pluvialis manu proximiori, altera infra pectus admota. Quod ſi celebrans

in

in ſtola, ſine pluviali functionem peragat, tunc etiam ſacri Miniſtri abſtinebunt a planetis plicatis, ſed Diaconus habebit Albam ſtolam Diaconalem, & Subdiaconus erit dumtaxat in Alba, & incedent unus poſt alium, manibus junctis, & tecto capite. Porro Celebrans Pluviali utitur in benedictionibus, quæ fiunt in Altari, ex Rubr. gen. Miſſ. tit. 19. nu. 3. Et cum Celebrans utitur Pluviali, ſemper deponit manipulum, ex Rubr. cit. n. 4. At ubi Pluviale haberi non poteſt, Celebrans ſtet ſine planeta cum Alba, & ſtola, ex Rubr. cit. nu. 4. & ſine manipulo, ut volunt Auctores apud Caval. to. 4. cap. 12. Comment. in decr. 26. num. 10.

15 Ubi ad Altare devenerint, deponunt birreta, & præmiſſis Altari reſpective debitis reverentiis, ceroferarii ſuper credentiam candelabra deponunt, & Sacerdos medius inter ſacros Miniſtros aſcendit ad idem Altare, quod Celebrans oſculatur in medio, interim genuflectentibus ſacris Miniſtris: & mox accedit ad librum poſitum in cornu Epiſtolæ, ubi medius inter ſacros Miniſtros, ita tamen, ut hi aliquantulum diſtent ab Altari, legit ſubmiſſa voce, & manibus junctis Antiphonam: *Exaudi*, quæ interim cantatur in Choro ad modum Introitus Miſſæ.

§. III.

16 DEINDE *Sacerdos in Cornu Epiſtolæ, non vertens ſe ad populum, manibus junctis (quod ſervatur etiam in Orationibus omnium benedictionum, quoad manus junctas) dicit Dominus vobiſcum &c.* Rubr. Miſſ. hic Deinde Sacerdos perſiſtens in eodem cornu Epiſtolæ, non vertens ſe ad populum, dicit manibus junctis: *Dominus vobiſcum*: poſtea: *Oremus;* Cruci inclinando de more caput, manibus tamen adhuc junctis, quibus ſimiliter junctis ſequentes quatuor cantat orationes, in quibus dum occurrit ſignum ✠, cum dextera ſuper cineres format Crucis ſignum, ſiniſtra interim ſuper Altare poſita, & Diacono, qui eſt ad ejus dexteram, elevante anteriorem pluvialis fimbriam. Porro *modus benedicendi alios, vel rem aliquam, debet eſſe cum manu recta, & digitis ſimul junctis, & extenſis*. S. R. C. 24. Julii 1683. in *Albiganen.* apud Merat in decr. Miſſ. num. 732.

§. IV.

POSTEA *Celebrans impoſito incenſo in thuribulo, ter aſpergit cineres aqua benedicta, dicendo Antiph. Aſperges: ſine cantu, & ſine Pſalmo, & ter adolet incenſo. Rubr. Miſſ. hic.* 17

Finitis orationibus, cum oſculis miniſtrante Diacono, Celebrans imponit, & benedicit de more incenſum in thuribulum, & mox accepto Aſperſorio, ſubmiſſe dicens: *Aſperges me*, ſine cantu, & ſine Pſalmo, ter aſpergit cineres aqua benedicta, in medio ſcilicet, a dexteris eorumdem cinerum (non ſui ipſius celebrantis) & a ſiniſtris: deinde ter itidem incenſat eoſdem, eodem modo, quo aſperſit, nihil tamen dicens.

§. V.

DEINDE *dignior Sacerdos ex Clero, accedens ad Altare, imponit cinerem Celebranti non genuflexo. Si vero non adſit alius Sacerdos, ipſimet* 18

cele-

celebrans, *genibus flexis coram Altari, ſibi ipſi cineres imponit in capite, nihil dicens, & cantatur ſtatim a Choro Antiphona:* Immutemur &c. *Sacerdos vero, dum cantantur Antiphonæ, & Reſponſorium, detecto capite primo imponit Cineres digniori Sacerdoti, a quo ipſe accepit, deinde Miniſtris paratis, genibus flexis, coram Altari, dicens: Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Rubr. Miſſ. hic. *Dignior Sacerdos, ad quem ſpectat, Candelam, Cineres, & Palmam Sacerdoti Celebranti in die Purificationis, in Fer. IV. Cinerum, & in Dominica Palmarum miniſtrare, debet ab ipſomet Celebrante ſupradicta accipere ſtans, non vero flexis genibus.* S. R. C. 30. Auguſti 1664. in *Sutrina* apud Caval' to. 4. c. 12. d. 7. Decretum hoc diſponit de Canonicis; vide dicta 2. Febr. art. 3. §. 4. n. 24. *Dignior e Clero, a quo Celebrans in diebus Purificationis, Cinerum, & Palmarum recipit Candelam Cineres, & Palmam, debet accedere ad Altare ſine ſtola, & genuflexus ſicut alii recipere candelam, Cineres, Palmam a Celebrante, & oſculari manum Celebrantis porrigentis candelam, & Palmam.* S. R. C. 14. Febr. 1705. in una Cappuccinor. Galliæ; apud Caval. d. 8. Sermo eſt de Eccleſiis non Cathedralibus, aut Collegiatis. Vid. dicta 2. Febr. l. cit. Mentio hic fit oſculi manus Celebrantis diſtribuentis candelam, & palmam tantum, & non item Cineres; quia recipiens non oſculatur Cineres, nec manum Celebrantis diſtribuentis, ſeu aſpergentis.

Cineres Epiſcopo miniſtrare feria quarta Cinerum, non ad primam Dignitatem, ſed ad Canonicum eo die celebrantem pertinet. S. R. C. 28. Maji 1616. in *Brixien.* apud Caval. d. 12. Ubi Candelam, & Palmam Epiſcopo dat, & primus recipit dignior Canonicus paratus; Cineres imponit Celebrans ejuſdem capiti ſedentis ſine Mitra, & ſine Bireto; ipſe vero ab Epiſcopo eoſdem recipit non genuflexus, ſed ante eum inclinatus; neque Cineres, aut manum oſculatur Epiſcopi.

Dum Epiſcopus diſtribuit Cineres, Celebrans, & Miniſtri debent ſedere capitibus coopertis. S. R. C. 20. Aprilis 1708. in *Bracharen.* apud Caval. d. 14. At vero *Celebrans, qui Cineres diſtribuit, candelas, & Ramos, detecto capite ſtet.* S. R. C. 18. Julii 1626. in *Pientina* apud Caval. d. 9. ad differentiam Dignitatis Epiſcopalis; unde *Sacerdos etiamſi ſit Dignitas, vel Canonicus, abſente, vel impedito Epiſcopo, diſtribuens palmas, juxta decretum* 18. *Julii 1626. ſtare debet capite detecto.* S. R. C. 31. Martii 1629. in *Pientina* apud Caval. d. 10. Nota tamen quod *Candelæ, Cineres, Palmæ diſtribuuntur ſtando cum Mitra in capite ab eo, qui privilegium habet eam geſtandi.* S. C. Epiſcop. 18. Febr. 1650. in *Lucana*, apud Meret. to. 1. par. 4. tit. 6. n. 14.

19 Igitur thurificatione peracta, Celebrans pergit ad Altaris medium, ubi ſtat nudo capite converſus ad populum, habens Diaconum a dexteris tenentem vas Cinerum manu dextera, & ſiniſtra elevantem pluvialis fimbriam; & Subdiaconum a ſiniſtris reſpectivam pluvialis fimbriam ſimiliter elevantem, ambos tamen aliquantulum diſtantes ab Altaris fronte. Mox accedit dignior de Choro in ſuo Chorali habitu, ſine ſtola, & facta Cruci genuflexione, & Celebranti profunda reverentia, aſcendit

dit ad gradum proximiorem ſuppedaneo, ubi ſtans, accepto indicis, & pollicis extremitate modico ex cineribus, imponit cineres ſuper caput Celebrantis ſtantis quidem, ſed capite inclinato, & junctis manibus: imponens autem Cineres format ſuper caput celebrantis ſignum Crucis dicens: *Memento homo, &c.*

Si ex iis de Choro non adſit aliquis in Sacerdotali dignitate conſtitutus, tunc ipſemet Sacerdos genuflexus utroque genu in ſuppedaneo Altaris, facie ad illud verſa, ſibi metipſi ponit cineres in capite, nihil dicendo, ſed ſolum formando ſignum Crucis ſuper ſuum caput, quaſi cineres a Chriſto immediate accipiat. Sed quid? ſi aliquis ex Miniſtris Celebrantis ſit Sacerdos? Adhuc Auctores docent: debere Celebrantem ſibi metipſi cineres imponere; Diaconus namque, etſi Sacerdos eſſet, & multo magis quilibet Miniſter alter non debet cineres Celebranti imponere, cum in hoc officio ſit Miniſter Celebrantis, & conſequenter illo inferior. Ita cum aliis Caval. *Comment. in decr.* 23. *n.* 6. An autem non Sacerdos peccet, ſi occulte imponat alicui ſacros cineres? dicemus infra n. 24. Poſtquam Celebrans a digniori accepit Cineres, hos imponit eidem digniori genuflexo in ſuppedaneo manibus junctis, & inclinato capite, qui aſperſus cinere, ſurgit, deſcendit in planum (cavens ne terga directe vertat Celebranti:) ubi iterum ad Altare convertitur, & eidem repetita genuflexione, & Celebranti profunda inclinatione, revertitur ad ſuum ſtallum. Si autem dignior prædictus ſit Canonicus, vel Prælatus, non genuflectit Cruci ſive accedens, ſive recedens, ſed profundam facit tantummodo reverentiam Cruci, & Celebranti; niſi in Tabernaculo cuſtodiatur SS. Sacramentum.

Poſt digniorem de Clero recipiunt cineres Miniſtri ſacri extra Eccleſias Cathedrales, & Collegiatas, ut explicabimus §. ſequ. Itaque poſt digniorem de Clero Miniſtri ſacri parati genuflectunt ſuper ſuppedaneum, idest Diaconus a dexteris, & Subdiaconus a ſiniſtris, & ſic genuflexi manibus junctis, & inclinato capite aſperguntur a Celebrante ſacris cineribus, eidem a Cæremoniario, aut aliquo Acolytho porrectis. Diaconus, dum una cum Subdiacono deſcendit, Cineres genuflexus accepturus, tradit vas Cinerum Cæremoniario, vel alteri, & aſperſus cineribus, illud denuo recipit, iterumque ſe collocat ad dexteram celebrantis, & Subdiaconus ſimiliter a ſiniſtris, ut prius.

Dum vero, ut ſupra, Dignior imponit Celebranti cineres, vel Celebrans ſibimetipſi in caſu, de quo ſupra; non incipiunt cantari a Choro Antiphonæ: *Immutemur*. Sed ſolum dum Celebrans imponit cineres digniori Sacerdoti, a quo ipſe accepit. Quæ Antiphonæ, ſi non ſufficiant, repetantur, quoad uſque cinerum diſtributio finiatur, ut Rubrica præſcribit in ſimili diſtributione Palmarum: quemadmodum animadvertit Caval. *Comment. in cit. d.* 23. *n.* 6. Merat. *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 6. *num.* 15.

§. VI.

POSTEA *veniunt alii, primo Clerus per ordinem, deinde populus: & genibus flexis ante Altare ſingulatim recipiunt Cineres a Sacerdote, ut dictum eſt de Miniſtris*. Rubr. Miſſ. hic. 19

Aſſi-

Aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, Candelarum, & Palmarum, ſed quilibet debet accedere ſecundum prærogativam ſui Ordinis. S. R. C. 23. Maii 1603. in *Nolana* apud Caval. d. 15. Poſtquam Celebrans ſacro aſperſit cinere Digniorem, & Miniſtros ſacros paratos, aſpergit reliquos de Clero, & poſtea Laicos utriuſque ſexus. In Eccleſiis autem Cathedralibus, ſi ſacri Miniſtri fuerint Canonici, debent quidem & ipſi cineres recipere immediate poſt Digniorem, & ante alios Canonicos, at quoties Miniſtri non forent Canonici, ſed Beneficiati, aut Manſionarii, tunc poſt digniorem prius excipiunt cineres Canonici omnes, quamvis non ſint parati, & poſt hos ſuccedunt laudati Miniſtri ſacri, nulla habita ratione, quod miniſtrent parati: ſicut ſtatuit Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 19.* & hic eſt ſenſus allegati Decreti. Canonici Collegiatarum ſimiliter ſe gerere poſſunt, ſecluſa conſuetudine in contrarium. Vid. dicta 2. Febr. art. 3. §. 4. n. 22. & 24. ſed notetur animadverſio facti cit. n. 24. *Si aliquis Princeps, vel Oratores Regum, vel Principum maximorum; vel Rerum publicarum Laici adeſſent, capiunt hac die cineres poſt Canonicos paratos; Magiſtratus vero, & Officiales, & alii Laici poſt omnes de Clero*. Ita Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. c. 18.* Subdit autem Caval. *Comment. in decr. 23. n. 7.* monetque decentius eſſe, quod etiam Principes hac die accipiant Cineres poſt omnes de Clero: & ita fieri ſolere teſtatur Merat. *ſupr. cit. tit. 6. n. 17.* Quo autem loco Clerus, & Laici debeant recipere cineres, quibuſve cæremoniis, quibuſque Canonici, & Prælati? intelligi poteſt ex dictis, ubi de ſimili diſtributione candelarum 2. Febr. art. 3. §. 4. n. 28. fine, & n. 29. & dub. ſequ. Excipi tantummodo debet ex ibi dictis, quod in hac diſtributione, quemadmodum ſupra monuimus, nemo oſculatur cineres, aut Celebrantis, ſeu diſtribuentis manum.

Super uniuſcujuſque caput efformat Celebrans cinere ſignum Crucis interim dicens: *Memento homo &c.* etiam dum ſacro aſpergit cinere Mulieres, quibus quoque non ſupra velum, ſed ſupra capillos dari cineres, ſi comode fieri poteſt, vult Gavantus in *Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 6. n. 6. lit. r.* & cum aliis Meratus *cit. tit. 6. n. 18.* & approbat Caval. *Comment. in decr. 23. n. 9.* ne benedictus cinis ſupra velum aſperſus excutiatur, avolet, & diſperdatur; ſed vide dicenda §. 11. qu. 3. num. 29.

§. VII.

COMPLETA *Cinerum impoſitione Sacerdos dicit: Dominus vobiſcum &c.* 21
Rubr. Miſſ. hic. Si diſtributio Cinerum terminetur ad cancellos, per planum procedit Celebrans ad latus Epiſtolæ, & ibi lavat manus in angulo Altaris, vel prope Credentiam cum aqua, & mica panis, (eaſdem lavat in cornu Epiſtolæ ſtans in ſuppedaneo, quoties prædicta diſtributio terminata ſit ad Altare:) fundente aquam aliquo Acolytho, & Sacris Miniſtris miniſtrantibus manutergium; ſed magis præſtat, ut hi elevent pluvialis fimbrias, & alter Acolythus manutergium præbeat. Aqua autem, & mica panis, quæ deſervierunt ad lotionem manuum, uti & Cineres, ſi qui ſuperſint, decens eſt, in Sacra-

Digitized by Google

rium projiciantur. Caval. *in cit. d.* 23. *n.* 10. & cum aliis Merat. *cit. tit.* 6. *n.* 19. & 20. Lotis, exterſiſque manibus, Celebrans per gradus laterales aſcendit ad Cornu Epiſtolæ, (ſe ſolum vertit ad Altare, in eodem cornu Epiſtolæ perſiſtens, quatenus in ſuppedaneo manus laverit:) ubi ſtans in ſuppedaneo verſus Altare, medius inter ſacros Miniſtros, manibus junctis in tono feriali cantat: *Dominus vobiſcum*; poſtea dicit: *Oremus*: Inclinando Caput Cruci, manibus tamen junctis, quibus ſimiliter junctis Cinerum Cæremoniam perficit per recitationem Orationis: *Concede nobis*, ut in Miſſali.

§. VIII.

22 DEINDE *dicitur Miſſa*. Rubr. Miſſalis hic. Poſtquam Celebrans recitavit Orationem: *Concede*, exuitur pluviali, & accepto manipulo, induitur planeta violacea, ſicut & Miniſtri Sacri ſuos ſumunt manipulos, & procedunt ad Miſſam celebrandam more ſolito. An Celebrans poſſit ſumere paramenta ad Altare? Vid. 2. Febr. art. 3. §. 7. n. 41.

§. IX.

23 UBI Cinerum benedictio fit ſine Miniſtris ſacris, Acolythi immediate Celebranti miniſtrant thuribulum, & aquam benedictam, & eorumdem unus a dexteris elevat partem anteriorem pluvialis, ſi eo Celebrans utatur, dum ſupra Cineres format ſignum Crucis, vel eos diſtribuit; & quatenus non ſint in Choro, qui cantent; tunc Antiphonæ *Immutemur, &c.* dicuntur a Celebrante in Cornu Epiſtolæ, antequam Cineres diſtribuat; quibus diſtributis, lotis, exterſiſque, ut ſupra, manibus, & dicta Oratione: *Concede*, miniſterio eorumdem Acolythorum ſumit manipulum, & planetam pro Miſſa celebranda de more. Caval. *Coment. in decr.* 25. *fine*.

§. X.

DIXIMUS ſupra §. 1. n. 10. præter 24
benedictionem Cinerum ſolemnem hora nona faciendam, poſſe fieri ſummo mane benedictionem privatam per aliquem Sacerdotem, ut illis aſpergantur, qui uſque ad prædictam horam recitatam in Choro expectare non valeant. Jamvero privata hujuſcemodi benedictio Cinerum fiet per conſuetas orationes, & aſperſionem aquæ benedictæ, omiſſis iis, quæ ad majorem ſolemnitatem ſpectant, cujuſmodi eſſe Antiphonam: *Exaudi*, incenſationem, & Antiphonam: *Immutemur*, exiſtimat Caval. *Comment. in decr.* 23. *nu.* 2. Denique docet Quarti de *Benedict. tit.* 2. *Sect.* 1. *dub.* 3. *fine*: quod ſi impoſitio Cinerum a non Sacerdote fiat occulte, vel privatim v. gr. in Sacriſtia, vel ſimili loco, nullum videatur eſſe peccatum; & poſſet etiam quiſque ſibi imponere ad ſatisfaciendum ſuæ devotioni, quia nulla apparet prohibitio.

§. XI.

Solvuntur nonnullæ quæſtiones circa hodiernam functionem Cinerum.

QU. I. Quare in Feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ benedi- 25
cantur Cineres, & hi benedicti ſuper capita imponantur.

℞. Con-

℟. Conſpergere cinere caput ſuum, indicium luctus magni olim fuit, & pœnitentiæ ſignum, ut paſſim patet ex Scripturis, & Annalibus Eccleſiaſticis, & videre eſt apud Theophilum Raynaudum *to. 2. Sect. 2. q. 7.* ubi etiam explicat, cur Cineres ſint Symbolum pœnitentiæ, & mœroris indicium? Hinc priſcis etiam temporibus, in Eccleſia, cum publice delinquentes, ſeu publice patrantes aliquod crimen Infidelitatis, aut luxuriæ, vel homicidii, publicam atque ſolemnem reciperent pœnitentiam; hujuſmodi pœnitentes aſpergebantur Cinere a Sacerdotibus, in ſupradictum ſignum luctus, & pœnitentiæ.

Hæc autem Cæremonia cum nonnullis aliis, quas refert Caſſalius c. 61. & videri etiam poteſt Azorius *Inſtit. Moral. par. 1. l. 7. c. 21. qu. 6.* ac Raynaud. *l. cit.* fiebat in capite Quadrageſimæ, ex Synodo Agathenſi, per quod caput Quadrageſimæ, hic non eſt intelligenda Dom. I. Quadrageſimæ, licet ea ſic ſoleat appellari: ſed hæc Feria IV. ante prædictam Dominicam Quadrageſimæ: uti conſtat ex ordine Romano antiquo *tit. de Ordine in quarta Feria Quadrag.* & bene etiam oſtendit idem Caſſalius c. 62. Quoniam vero, uti hoc lib. 4. par. 1. c. 1. art. 6. notavimus, primis Eccleſiæ temporibus obſervantia Quadrageſimalis inchoabat a Domin. I. Quadrag. & ſequenti feria ſecunda jejunium: atque adeo illa feria erat *in capite jejunii* quadrageſimalis: hinc alii apud Merat. to. 1. par. 4. tit. 6. n. 2. tradunt, eo temporis præfatam feriam ſecundam fuiſſe laudato ritui aſperſionis Cinerum conſecratam.

Licet autem ex primæva inſtitutione hac die depravati tantummodo homines pœnitentia publica, atque ſolemni mulctarentur, prædictoque aſpergerentur Cinere; deinde vero ſacer hujuſmodi ritus extenſus eſt ad alios quoque non publice peccatores, imo etiam innocentes, & juſtos; atque adeo in capite jejunii Quadrageſimalis alii quoque ex fidelibus leviorum criminum rei, aut etiam plane innocentes, & probi aliquam pœnitentiam publicam aſſumebant, & prædicto Cinere aſpergebantur; unde Ordo Rom. loc. cit. ait: *In primis præmonere debet Sacerdos omnes Chriſtianos, ex Sacris Scripturarum teſtimoniis, quatenus in capite jejunii ad veram confeſſionem, veramque pœnitentiam feſtinantius accedant.* Eadem recitat, ac deſcribit Auctor operis *de divin. Offic.* ſub nomine Alcuini *tit. in capite Jejunii.*

Morinus *de Sacr. pœnit. lib. 7. c. 19.* ſentit: ritum imponendi publicam pœnitentiam in hac Fer. IV. Cinerum coepiſſe Sæculo ſeptimo Eccleſiæ; at vero Raynaudus l. cit. contendit, vix definiri poſſe, quandonam primum fuerit inſtitutus? Abolita deinde ab Eccleſia fuit juſtiſſimis de cauſis prædicta publica, atque ſolemnis pœnitentia, ſeu potius ritus prædictus imponendi publicam, *ſolemnemque* pœnitentiam; remanſit vero cæremonia illa imponendi ſuper caput Cineres in hac Feria ad indicium luctus, & mœroris, tum ratione Paſſionis Domini noſtri, quæ in Quadrageſima maxime recolitur: tum etiam in ſignum pœnitentiæ noſtrorum peccatorum, quæ fuerunt cauſa Paſſionis Domini. Item quia initium omnis peccati ſuperbia eſt, humiliamur, dum poſito ante oculos pulvere, Miniſter Dei monet, meminerimus: quia pulvis ſumus; & quoniam mortis etiam memoria perutilis eſt ad mo-

mores corrigendos, in mentem revocat primam illam ſententiam, quæ primo Parenti noſtro delinquenti denunciata, nos etiam poſteros incluſit: ſcilicet, quia non ſolum pulvis ſumus, ſed etiam in pulverem revertemur. Videri poteſt Durandus *in Ratio. Offic. lib. 6. c. 28. n. 18. & 19.* Joan. Beleth *de div. Offic. c.* 89. & Rayn. *l. cit.* qui etiam ſacrum hunc Eccleſiæ ritum miraculis a Deo confirmatum oſtendit. Contra quem vero Sectarios blaterantes explodit Petrus Simonis Yprenſis Epiſcopus exhort. 9.

Hujuſmodi autem Cineres benedicuntur, quia conſtans, & perpetua fuit Eccleſiæ diſciplina, ut nulla re publice utatur, quin prius benedixerit eam; ut cum Thomaſſino obſervat Benedictus XIV. *de Feſt. lib.* 1. *c.* 8. *num.* 50.

26 Diximus: Pœnitentiam publicam, atque *ſolemnem* ab Eccleſia fuiſſe abolitam. Non ſic autem Pœnitentia ſimpliciter publica: hæc enim contra peccantes publice, cum aliorum ſcandalo gravi, hactenus adhibetur, & per ſe eſt adhibenda, ad removendum ſcandalum, juxta monitum Apoſtoli 1. *ad Timoth.* 5. 20. *Peccantes coram omnibus argue: ut cæteri timorem habeant.* Accedit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 8. *de Reformat.* ubi decernit, publicos cum aliorum ſcandalo peccatores pœnitentia publica puniendos: niſi aliquando aliter Epiſcopo videatur: *Quandò igitur* (inquit Concilium,) *ab aliquo publice, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe, non ſit dubitandum: huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit; ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam. Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Hæc Tridentinum. Pro peccatis tamen occultis pœnitentiam publicam Confeſſarii non debent imponere, juxta præſentem certe laudabilem uſum Eccleſiæ. Videatur La-Croix *lib. 6. par. 2. qu.* 174. *num.* 1265.

Veterem vero diſciplinam illam mulctandi in capite jejunii quadrageſimalis Peccatores publicos publica, ſolemnique pœnitentia, nonnullis Eccleſiis particulalibus placuit hactenus cuſtodire. Profecto S. Carolus Borromæus in ſuis Conciliis Mediolanenſibus tertio, & quinto jubet Parochis, deferre Epiſcopo menſe uno ante initium Quadrageſimæ publicorum nomina Peccatorum: ut ipſius Quadrageſimæ initio poſſint ab Eccleſia expelli: deinde vero reconciliari Feria v. in Cœna Domini juxta Pontificale Romanum; de qua ſolemni reconciliatione cæremoniali, non item Sacramentali, dicemus aliqua ubi de dicta feria ſubſ. 9. Quod etiam ſervavit in ſua Eccleſia, dum eſſet Archiepiſcopus Beneventanus Benedictus XIII. teſte Benedicto XIV. *de feſt. Dom. c.* 6. §. 8.

Qu. II. An ſit obligatio ſumendi in hac feria prædictum Cinerem benedictum? 27

℞. Cardinalis Bellarminus *lib.* 4. *de Rom. Pont. c.* 18. cenſet hujuſmodi conſuetudinem, ſumendi in hac feria Cinerem benedictum, in Chriſtiano Populo receptam eſſe ex devotione tantum, non vero ex obligatione. Profecto quamplurimi ſunt, qui hujuſmodi cinere non aſperguntur: nec tamen ideo ſe peccare, putant; neque a Pa-

a Paſtoribus Eccleſiæ tamquam de peccato reprehenduntur . Id tamen non eſt intelligendum , ſi omitteretur ex contemptu conſuetudinis Eccleſiaſticæ : ut per ſe patet . Idem docet Trullench *in expoſit. Bul. Cruc. lib. 1. §. 4. dub. 3. nu. 4.* Quarti *de Benedict. tit. 2. ſect. 1. dub. 2.* Idipſum ſignificat Viva *in prop.* 30. *ab Alexandro VII. damn.* ſine .

28 Qu. III. Utrum his Cineribus benedictis debeatur aliquis religioſus reſpectus, ex quo non poſſint adhiberi ut prius, nec diſpergi, aut projici in loca immunda ?

R. De his Cineribus idem prorſus affirmandum , quod docuimus de Cereis benedictis in feſto Purificationis; cum eadem , & forte etiam major pro his Cineribus militet ratio , ex qua ſimiliter nequeant adhiberi ad uſus communes, & profanos , quantumvis decentes; multo minus debent diſpergi, aut projici in loca immunda , vel ubi poſſint , prætereuntium pedibus conculcari . Debetur itaque his Cineribus aliquis poſitivus religioſus reſpectus , quemadmodum diximus , deberi prædictis Cereis benedictis. Profecto hi Cineres non abſimili ritu benedicuntur , & deſtinantur ad uſum omnino Eccleſiaſticum ; ut facile conſtat ex dictis. Unde benedicuntur benedictione *media* inter ſimpliciter conſecrativam, & ſimpliciter invocativam; quæ autem ſic benedicuntur, debent religioſe tractari . Ad horum intelligentiam oportet videre quæ , de Cereis benedictis diſputantes, docuimus tr. 1. 2. Febr. art. 3. §. 8. q. 3. Favent hic Caval. *to. 4. c. 12. Comment. in decr. 23. n. 10.* Meratus , & alii, qui, ut diximus §. 7. volunt, ſi qui poſt diſtributionem ſuperſint Cineres , imo & ipſa panis mica , cum qua Celebrans exterſit digitos poſt diſtributionem Cinerum , & aqua ad lavandas manus tunc adhibita projiciantur in Sacrarium . Item iidem , & Gavantus in *Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 6. n. 6. litt. r.* uti notavimus §. 6. fine , volunt , non ſolum viris, ſed etiam fœminis , non ſupra velum capitis, ſed ſupra capillos ipſos dari Cineres , ſi commode fieri poteſt , ne benedictus cinis ſupra velum aſperſus facile excutiatur , avolet , & deperdatur. Quo modo loquendi ſignificant , ſe ſupponere prædictis Cineribus deberi aliquem reſpectum, & reverentiam religioſam , ex qua non poſſint tractari ut poterant priuſquam benedicerentur.

Nota vero hic laudatos Auctores volentes: Fœminis etiam imponendos 29
Cineres ſupra capillos: bene addere: *ſi commode fieri poteſt*, quia nimirum ſervanda eſt conſuetudo Regionum , & inſpiciendum quid ipſa permittat, aut vetet ? ob reſpectum modeſtiæ , & honeſtatis , ſeu caſtitatis. Apud nos Siculos quidem, videtur excuſare ratio, & reſpectus decentiæ, modeſtiæ, & honeſtatis noſtrarum Mulierum, ſaltem in Templo, quæ nigro coopertæ velo accedentes , non patiuntur, niſi ſupra velum ſibi Cineres imponi. Et omnino non convenit a Celebrante moneri , quod caput detegant , ut Cinere benedicto aſpergantur in eo. Nec oportet digitis premere, ſeu tangere caput Mulierum , ſed ſufficit ſimpliciter ſuper mittere Cinerem in modum Crucis , & ita decet, quia *Bonum eſt homini , mulierem non tangere* 1. ad Corinth. 7. 1. fine præciſa neceſſitate , quæ hic non datur.

Et confirmatur ex eo, quia hujuſmodi decentiæ, & honeſtatis reſpe-

ctus prævalere debet ex graviſſimorum Auctorum ſententia in rebus etiam longe majori reverentia dignis: e.g. Si Sacerdote Euchariſtiam miniſtrante Mulieri, particula decidat in ſinum, vel intra veſtes illius: permitti poteſt, ut ipſamet, vel alia Mulier manu ſua extrahat, & reponat in Ciborium. Indecens enim foret, & plerumque ſcandaloſum, ſi Sacerdos ipſe eximeret, inquit La Croix *lib 6. par. 1. qu. 94. §. 2. n. 485.* Idipſum cum Quarti docet etiam Bened. XIV. *de Sacr. Miſſ. l. 1. c. 20. fine*, ubi quidem ait, quod in caſu prædicto decet, ut non Sacerdos, ſed ipſa Fœmina particulam, vel fragmentum quærat, & ſuis ipſa manibus ſibi in os injiciat. Conſentit cum Tonellio, & aliis Caval. *to. 4. cap. 4. in d. 9. n. 15.*

Dices: Longe majorem indecentiam eſſe, imo & ſpirituale Sacerdotis ipſius timeri poſſe periculum, ſi ad Sacram particulam extrahendam manus imponeret intra, ſive ſupra nudum pectus Mulieris, quam ſolum ſupra nudum caput ejuſdem. Reſpondeo, non inficior quidem; ſed etiam fatendum eſt, longe majorem reverentiam deberi Euchariſtiæ præ Cineribus benedictis. Jam vero ſicuti ſe habet magis ad magis, ita ſe habet minus ad minus. Si ergo non obſtante longe majori reverentia debita Euchariſtiæ præ Cineribus benedictis, ex qua ſub gravi interdictum eſt Mulieri, Euchariſtiam tangere; nihilominus poteſt, non haberi reſpectus hujuſmodi, ad vitandam indecentiam, & inhoneſtatem illam majorem, quæ eſt in diſcooperitione, & tactu nudi pectoris muliebris. Ita a pari, ad vitandam quamvis minorem indecentiam & inhoneſtatem, quæ eſt in diſcooperitione, & tactu nudati capitis ejuſdem Mulieris, poteſt non haberi reſpectus reverentiæ Cineribus benedictis debitæ, longe minoris præ Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

SUBSECTIO III.

De Miſſa.

30 IN Fer. IV. Cinerum Miſſa ut in propr. Si ocurrat Feſtum ſimplex, fit de eo commemoratio, & in hoc caſu 3. or. *A cunctis*. Præfat. Quadrageſimal. & loco *Ite Miſſa eſt*, dicitur. ℣. *Benedicamus Domino*. ℟. *Deo gratias*. Color Parament. violaceus. Vide dicta 1. par. c. 4.

31 *In diebus in quibus non poteſt fieri de feſto duplici, prohibentur Miſſæ votivæ, & de Requiem*. S. R. C. 28. Auguſti 1627. *In una Urbis*. Apud Caval. *tom. 3. c. 9. d. 2.* Hinc habes, in Fer. IV. Cinerum prohiberi Miſſas votivas, & Defunctorum. Vid. Caval. l. cit. n. 2. La Croix *lib. 6. par. 2. qu. 72. §. 2. num. 498. & qu. 73. §. 1. n. 506.* Gavant. *in Rubr. Miſſ. par. 1. tit. 4. n. 3. lit. o.* Merat. *ibi n. 11.* Neque pro Anniverſario poteſt cantari Miſſa *de Requiem*. Vid. dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 9. n. 9. An autem præſente Cadavere liceat hodie una Miſſa ſolemnis de Requiem? Vide l. cit. c. 8. n. 22. Sacra Rit. Congregatio interrogata: utrum in Cathedrali Vilnenſi, cum multæ fundatæ eſſent Miſſæ votivæ quotidianæ in cantu, hæ eſſent prohibitæ, quando per Rubricas Miſſalis, ac Decreta Sacræ Congregationis prohibentur Miſſæ votivæ privatæ: videli-

delicet infra Oct. Nat. Epiphan. in Fer. iv. Cinerum &c.? Reſpondit affirmative : & pro votivis ſubſtituendas eſſe Miſſas de feſto, ſeu de feria in cantu; vel ex rationabili cauſa ab Ordinario dignoſcenda, & approbanda, ſubſtituendas Miſſas de feſto, ſeu de feria lectas, & ſic ſatisfieri poſſe fundationi. 22. Decembr. 1753. in *Vilnen.* ad 6. 7. & 8. dub. apud Caval. *to.* 5. *in Collect. recent. Decret.* At vero requiſita eadem S. C. R. utrum in Cathedrali Conimbricenſi Canonici poſſent, ac tenerentur in Feria iv. Cinerum transferre Proceſſionem quamdam, & aliquas Commemorationes pro Defunctis, ad quas ex legato tenebantur, ut Expoſitionem SS. Sacramenti Quadraginta horarum facere poſſent; ſeu potius an melius eſſet, dictam expoſitionem in aliam diem transferre; ut prædictis functionibus mentem Teſtatorum adimplerent? Reſpondit : *Negative quo ad primam partem : affirmative quo ad ſecundam : nempe Expoſitionem SS. Sacramenti eſſe transferendam in aliam diem commodiorem, arbitrio Epiſcopi, & amplius.* 14. April. 1753. apud Caval. loc. cit.

Licet in Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus Populi ad Celebrandum feſtum, quod transferri debet, poſſint cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de feſto : excipitur tamen feria iv. Cinerum, Rubr. gen. Miſſ. tit. 6. Sunt & nonnulli alii dies ſuis locis notati, & notandi.

Si Feſtum S. Mathiæ Ap. incidat in die Cinerum, eſſe nihilominus obſervandum in foro hac ipſa die : docuimus tr. 1. 24. Febr. art. 4. ſect. 1. num. 8.

32 Qui habent privilegium celebrandi Octavam in Quadrageſima, obſervent ea, quæ notavimus ſubſ. 1. n. 7. Hic autem tantummodo ſubdimus, atque animadvertimus cum Caval. *to.* 5. *c.* 12. *n.* 16. (alias ex errore 17.) ab hujuſmodi privilegiatis non eſſe dicendum *Credo* in Miſſa de hac feria : quod feriali Miſſæ denegatur, etiamſi celebretur infra Octavam; exemplum habes in Miſſa Litaniarum S. Marci occurrentium infra Octavam Paſchæ: quo caſu non dicitur *Credo*, nec dicitur *Gloria*; vide dicta tr. 1. 14. Aug. n. 3.

SUBSECTIO IV.

De initio Jejunii, & obſervant. Quadrageſ. ac interdictæ ſolemnitatis Nuptiarum.

33 HODIE (particulari quodam loco excepto, quem indicavimus n. 3.) incipit jejunium, & obſervantia quadrageſimalis, unde hæc feria *Caput jejunii*, appellari ſolet, & non initium Quadrageſimæ, quia olim Quadrageſima inchoabat a Dom. 1. Quadrageſimæ, ut loc. cit. innuimus, & vidimus par. 1. l. infra cit. licet aliquando appelletur etiam hæc feria *Caput Quadrageſimæ* : ut notavimus n. 25. Communiter vero vocatur Feria iv. Cinerum, ob impoſitionem Cinerum. Vid. dicta par. 1. c. 1. art. 6. n. 53.

An hodie poſſint dari pauperibus carnis reliquiæ, quæ heri non fuerint abſumptæ? Vid. cit. c. 1. art. 8. qu. 16. num. 103.

Ubi eſt diverſitas Calendarii quid notandum pro initio jejunii, & obſervantiæ Quadrageſimalis? Vid. cit. c. 1. art. 6. a n. 59.

A fer. iv. Cinerum prohiberi ſolemnitates Nuptiarum, notavimus cit. par. 1. cap. 7.

Digitized by Google

SECTIO II.

Not. Fer. V. poſt Cineres.

De Horis Canonicis.

34 Si Feſtum S. Matthiæ Ap. inciderit in fer. IV. Cinerum. Vid. dicta tr. 1. 24. Febr. art. 4.

De Miſſa.

35 Si hodie occurrat feſtum SS. Quadraginta Martyrum, variandam eſſe orationem ſecretam hujus feriæ, docuimus tr. 1. 10. Martii art. 2.

SECTIO III.

Not. Fer. VI. poſt Cineres.

De Pſalmis pœnitential. ac Litaniis.

36 Hodie in feriali officio dicuntur Pſalmi pœnitentiales cum Litaniis. *Rubr. Brev.* in qua parte officii recitari debeant? Diximus hoc lib. 4. par. 1. c. 7. n. 11. An ſit aliqua obligatio recitandi? examinavimus ibidem qu. 2. n. 13.

SECTIO IV.

Not. in Sab. poſt Cineres.

De Horis Canonicis.

37 Hodie incipiunt recitari Veſperæ ante prandium, ſeu ante Meridiem. Vide dicta 1. par. c. 3. qu. 3. ubi etiam expoſuimus, cur ab hoc Sabbato incipiant ante Meridiem recitari? & cur prædicto tempore recitentur per totam Quadrageſimam exceptis Dominicis? & ubi etiam examinavimus; an nihilominus poſſint licite recitari poſt prandium, ſeu poſt Meridiem, ut cæteroqui aliis anni diebus fieri conſuevit?

Privilegiati ad celebrandas octavas in Quadrageſima, videant ea, quæ notavimus locis indicatis cit. par. 1. c. 3. n. 9.

De Miſſa.

38 In Sabbato poſt Cineres idem eſt officium Miſſæ, quod in præcedenti feria ſexta, quia poſterius eſt Sancto Gregorio, cum oratione tamen diverſa; ut obſervat Gavant. *in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 6. n. 10.*

CAPUT II.

Not. in Hebd. 1. Quadrageſimæ, ſeu a Dom. 1. Quadrag. uſq. ad Sab. ſequens.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. 1. Quadrageſimæ.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS IV.

Sect. I. *De Horis Canonicis.*
Sect. II. *De Miſſa.*
Sect. III. *Not. pro Jejunio, & obſerv. Quadrag.*
Sect. IV. *De Edictis Fidei.*

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

Dominica prima Quadrageſimæ, major, primæ claſſis, numquam omittitur, quocumque feſto occurrente. *Rub. gen. Brev. tit. 9. num. 3. tit. 10.* 1

tit. 10. *nu.* 1. & in duab. tabel. poſt Rubr. gen. Brev. & Gavant. *in Rubr. Brev. ſect.* 3. *c.* 5. *n.* 11. Habet vero rit. ſemid. *Rubr. gen. Brev. tit.* 2. *n.* 1. Vid. dicta l. 1. par. 1. c. 2. n. 1. Hæc autem Dominica vocari ſolet *Caput Quadrageſimæ* ob rationem dictam hic c. 1. n. 1. Veſperæ non recitentur ante prandium, ſed hora conſueta per annum, & ſimiliter in cæteris ſequentibus Dominicis; ſecundum dicta par. 1. c. 3. n. 8. & 14.

2 Reſponſoria Horarum, quæ ponuntur in prima Dominica Quadrageſimæ, dicuntur in officio de tempore uſque ad Dominicam Paſſionis excluſive. *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 28. *n.* 4. Privilegiati ad Celebrandas Octavas in Quadrageſima, videant ea, quæ notavimus locis indicatis cit. par. 1. c. 3. n. 9.

SECTIO II.

De Miſſa.

3 PRÆFATIO non dicitur de Trinitate, ſed Quadrageſimalis: *Qui corporali jejunio*, quia eſt propria de Tempore. Dicitur autem etiam in Dominicis Præfatio de jejunio, quamvis non jejunemus, ob rationem aſſignatam 1. par. c. 4. n. 4.

Cur in Dom. non dicatur in fine Miſſæ oratio ſuper Populum, ſicut in Feriis Quadrageſimæ? Intellige ex dictis cit. c. 4. n. 5.

Licet in Eccleſiis, ubi Titulus eſt
4 Eccleſiæ, vel concurſus Populi, ad celebrandum feſtum, quod transferri debet, poſſint cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de feſto: excipitur tamen Dominica prima Quadrageſimæ. *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 6. Sunt nonnulli alii dies ſuis locis notati, & notandi.

Obſervat Gavant. *in Rubr. Miſſ.* 5
par. 4. *tit.* 6. *num.* 11. Dominicam I. Quadrag. aliquando occurrere die decima ſexta Februarii, & eam ipſam diem eſſe, qua Chriſtus tentatus fuit, ut in Evangelio Dominicæ hujus. Ita Gavant. ex Auguſtino Torniello in Annal. Idem docet a Lapide *in Matth.* 4. 3.

Nota inſuper poſt epiſtolam hodie recitari Pſalmum: *Qui habitat*, qui tamen in quibuſdam verbis eſt diverſus a verſione editionis Latinæ vulgatæ, ut patet. Rationem vero hujuſmodi diverſitatis habes tr. 1. 6. Januarii art. 1. ſect. 2. qu. 2.

SECTIO III.

Notæ pro Jejunio, & obſervat. Quadrageſ.

DOMINICAM I. Quadrageſimæ vo- 6
cari *Caput Quagradeſimæ*, quia in ea olim incipiebat abſtinentia Quadrageſimalis, ſignificavimus c. 1. n. 1.

Non eſſe obligationem jejunandi, ſeu ſervandi unicam refectionem in Dominicis Quadrageſimæ: diximus 1. par. cap. 1. art. 7. initio. Debere tamen ſervari abſtinentiam, ſeu obſervantiam Quadrageſimalem: monuimus ibidem. An autem comedi poſſint ova, & lacticinia in Dominicis Quadrageſimæ? examinavimus ibi art. 9. qu. 1. & 2. An liceat jejunare in Dominicis, examinavimus tr. 1. l. 2. ubi de Dom. art. 9. qu. 1.

SECTIO IV.

De Edictis Fidei.

SINGULIS Annis in Dominica pri- 7
ma Quadrageſimæ, ſicut & in Dominica prima Adventus, ut ibi

notavimus, promulgandum eſt Romæ, & in vicinis Civitatibus Fidei Edictum Univerſalis Inquiſitionis Romanæ, ex Decreto ejuſdem S. Inquiſitionis 10. Martii 1677. Hujuſmodi autem edictorum exemplum damus hic ſubſect. ſeq. ſubſ. 1. Variaſque deinde Subſ. 2. quæſtiones ſolvemus tum quoad hoc, tum quoad aliud Fidei Edictum promulgari ſolitum in Sicilia Dom. 2. Quadrag.

SUBSECTIO I.

EDICTUM

Univerſalis Inquiſitionis Romanæ.

8 Noi ec. *per la miſericordia di Dio, della Santa Chieſa Romana Cardinali in tutta la Repubblica Criſtiana contro l'eretica pravità Generali Inquiſitori dalla Santa Sede Appoſtolica ſpecialmente Deputati.*

Eſſendo a noi per la continua eſperienza manifeſto, che molti per malizia, altri per inobedienza, ed altri per ignoranza non ſoddisfano all'obbligo, che hanno di denunziare al Sant' Offizio li delitti ſpettanti ad eſſo, e che per ciò ſuccedono grandiſſimi inconvenienti, ed errori, non ſolamente contro i buoni, e Criſtiani coſtumi, ma ancora contro la Fede Cattolica: Noi pertanto, a' quali ſpezialmente deve eſſere a cuore la Gloria di Dio, la conſervazione ed augumento della Fede Cattolica, e la ſalute delle Anime, volendo provvedere a tanto diſordine, con autorità Appoſtolica a Noi commeſſa, comandiamo in virtù di Santa Ubbidienza, e ſotto pena di ſcomunica di lata ſentenza, oltre le altre pene preſcritte da' ſacri Canoni, Decreti, Coſtituzioni, e Bolle de' Sommi Pontefici, per tenore del preſente Editto a tutte, e ciaſcuna perſona di qualunque ſtato, grado, e condizione, o Dignità, così Eccleſiaſtica, come ſecolare, che fra il termine di trenta giorni, dieci de' quali per il primo, dieci per il ſecondo, e dieci per il terzo termine perentorio, ſi debbono rivelare, e giuridicamente notificare al Sant' Offizio, ovvero agli Ordinarii, tutti, e ciaſcuno di quelli, de' quali ſappiano, o abbiano avuto, o avranno notizia;

Che ſieno Eretici, o ſoſpetti, o diffamati di Ereſia, o credenti, fautori, o ricettatori, o difenſori loro, o abbiano aderito, o aderiſcano a' Riti de' Giudei, o Maomettani, o de' Gentili, o abbiano apoſtatato dalla Santa Fede Criſtiana.

Che abbiano fatti, o facciano atti, da' quali ſi poſſa argomentare patto eſpreſſo, o tacito col Demonio, eſercitando incanti, magie, ſortilegii, porgendoli ſuffimigj, incenſi, per trovar teſori, ed altri intenti, chiedendo da lui riſpoſte, e invocandolo, ed a queſto effetto promettergli obbedienza, e conſegrargli pentacoli, libri, ſpade, ſpecchi, o altre coſe, nelle quali intervenga il nome, ed opera ſua.

Che ſi ſiano ingeriti, o ingeriſcano, in far eſperimenti di Negromanzia, e qualſiſia altra ſorte di Magia, con entrare ne' Circoli, far l' eſperimento della Caraffa, del Crivello, e per trovare i medeſimi teſori, e coſe naſcoſte rubate, o perdute, e fare altre ſimili, e ſuperſtizioſe azioni ad altri fini, maſſime con abuſo de' Sagramenti, o di coſe Sagre, e Benedette.

Che ſenza licenza dovuta, ritenghino ſcritti, che contenghino ereſie, o libri eretici, che trattino ex profeſſo di Reli-

Religione, o che li abbino letti, o tenuti, o ſtampati, o fatti ſtampare, o li leggano, tengano, ſtampano, ſanno ſtampare, introducano, difendano, ſotto qualſiſia preteſto, o colore.

Che abbiano libri di Negromanzia, Maggia, o continenti incanteſimi, ſortilegj, e ſimili ſuperſtizioni, maſſime con abuſo di coſe Sagre.

Che contro il Voto ſolenne fatto nella Profeſſione in qualſivoglia Religione approvata, o dopo aver preſo l' Ordine ſagro, abbia contratto, o contragga Matrimonio.

Che vivendo la prima Moglie, pigli la ſeconda; o vivendo il primo Marito, pigli il ſecondo.

Che contro i Decreti, e Coſtituzioni Appoſtoliche abbino abuſato, o abuſino il Sagramento della Penitenza, ſervendoſi della Confeſſione, e Confeſſionario a fini diſoneſti, ſollecitando in eſſi i penitenti ad turpia, ed avendo con eſſi diſcorſi di coſe illecite, e non convenienti al fine per il quale è ſtato iſtituito.

Che abbiano proferito, o proferiſcano beſtemmie ereticali contro Dio, la Beatiſſima Vergine, e Santi, o procedino a qualche atto di offeſa, e diſprezzo contro le Imagini, o Figure rappreſentanti il medeſimo.

Che abbiano tenute, o tenghino occulte conventicole, o radunanze in pregiudizio, diſprezzo, o contro la Religione.

Che abbiano indotto qualche Criſtiano ad abbracciare il Giudaiſmo, o altra Setta contraria alla Fede Cattolica, o impedito i Giudei, o Turchi a battezzarſi.

Che non eſſendo ordinati Sacerdoti s' abbiano con ſagrilego ardire uſurpato, o ſi uſurpino di celebrar Meſſa, ancorchè non abbiano proferito le parole della conſegrazione; o abbiano preſunto di miniſtrare il Sagramento della Penitenza a' Fedeli di Criſto, ancorchè non ſi ſia venuto all' atto dell' aſſoluzione.

Inoltre ſi dichiara, che quelli, i quali non denuncieranno, come ſi ordina col preſente Edito, non poſſino eſſere da alcuno aſſoluti, ſe non dal Sant' Offizio, dopo che averanno in eſſo giuridicamente rivelato li delinquenti, al che non poſſono ſoddisfare con bollettini, o lettere ſenza nome, e cognome dell' Autore, o altri modi incerti, de' quali non ſi tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.

Si dichiara anche, che con la ſuddetta eſpreſſione de' caſi di ſopra da Noi ſpecificati da rivelarſi, non ſi eſcludono gl' altri caſi ſpettanti al Sant' Offizio, che per altro ſono compreſi nei ſacri Canoni, Coſtituzioni, e Bolle de' Sommi Pontefici; nemmeno col preſente Edito s' intenda derogato alle altre proviſioni Canoniche Appoſtoliche, ed agl' altri Editi degli Ordinarj, ed Inquiſitori.

Ed a fine, che del preſente Editto non ſi poſſa pretendere ignoranza, comandiamo, che ſia affiſſo per i luoghi ſoliti di Roma, e ſi notifichi alli Veſcovi delle Città vicine a Roma, nelle quali non ſono Inquiſitori, acciò lo pubblichino, ed ordinino, che li Parrochi delle loro Dioceſi lo leggano ogni anno la prima Domenica dell' Avvento, e la prima Domenica di Quareſima; il che parimente vogliamo, che ſi facci dalli Parrochi, e Regolari di Roma nelle loro Chieſe, in tempo che ſi troverà in eſſe congregato il popolo, e poi farne attaccare alle porte delle loro Chieſe, e Sagriſtie di eſſe un' eſemplare del

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

del medeſimo , per oſſervare quanto in eſſo ſi ordina .

Dal Palazzo del Sant' Offizio queſto dì 10. *Marzo* 1677.

Loco ✠ Sigilli.

Franciſcus Ricardus S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Not.

Exemplum aliud Edicti DD. Inquiſitorum Regni Siciliæ promulgati ibi ſolitum Dom. 2. Quadrag. deſcribit Felix Poteſtas tom. 2. Exam. Confeſſ. par. 2. c. 3. apud quem videri poteſt.

SUBSECTIO II.

Quæſtiones variæ ſuper Edictis Fidei.

§. I.

De obligatione aſſiſtendi promulgationi Edictorum Fidei.

9 INQUISITORES fidei , quando ſua promulgant Edicta , præcipiunt , ut aſſiſtat populus , & Clerus , ſub pœna excommunicationis.

Qu. I. Utrum hoc illorum præceptum , obliget ſub mortali ? & excommunicatio prædicta ab ipſis valide fulminetur ?

℟. Affirmative ad utrumque ; & probatur ratione finis gravis , quia nimirum eſt ad exaltationem fidei , & ut ſciant fideles , quænam delicta contra fidem Catholicam ſint denuncianda ipſis Inquiſitoribus contra hæreticam pravitatem , & Apoſtaſiam . Et hanc ſententiam tenent Simanca , Joan. Rojas , Alphonſus Narbona , & Avila , quos citat , & ſequitur Diana *edit. coord. tom.* 5. *tr.* 10. *R.* 24. §. 2. Dianam ſequitur Chiavetta *Inſtit. Juris Canon. lib.* 3. *part.* 2. *c.* 3. §. 4. *n.* 38. Quidquid in contrarium docuerit Angelus apud eumdem Dianam l. cit. §. 1. Senſus tamen hujuſce Concluſionis eſt quod Superiores Eccleſiarum reſpective teneantur ſub gravi legere per ſe , vel per alium hujuſmodi Edicta tempore , & loco quo populus aſſiſtat ; ut melius in qu. ſequ.

Qu. II. Utrum hujuſmodi præce- 10
ptum ita afficiat ſingulos de populo , & Clero , ut peccet mortaliter , & excommunicationem incurrat , qui poſſit aſſiſtere hujuſmodi Inquiſitorum Concionibus , & non aſſiſtat ?

℟. Negative , ſecluſo contemptu ; ſed ſufficit , ſi competens multitudo Concionibus prædictis aſſiſtat . Itaque non peccat qui moraliter certus eſt , competentem multitudinem , ut ſemper videmus accidere , ad hujuſmodi conciones audiendas accedere . Idque patet ex eo , quia impoſſibile eſt , quod univerſus Clerus , & populus , præſertim in magnis Civitatibus , etiamſi velit , valeat hujuſmodi Conciones audire : cum evidens ſit , Templum , ſeu locum , in quo dictas Conciones ſolent Inquiſitores habere , non poſſe minimam illius capere partem ; atque adeo eſſe nequit intentio Dominorum Inquiſitorum , ut cunctus omnino Clerus , & populus aſſiſtat , ſed ſolum competens multitudo . Profecto diſpoſitio , quantumvis generalis non extenditur ad non veriſimilia , neque ad ea , quæ ſpecialiter quis non expreſſiſſet , ut cum aliis animadvertit Caval. *Comment. in decr. S. C. R. to.* 1. *c.* 3. *in d.* 1. *n.* 48. qui item n. 46. cum Barboſa *de ap-*

pell. verb. appell. 205. notat, Populi appellatione venire omnes Nobiles, & Plebejos, & ſic univerſos Cives, connumeratis etiam Patriciis, & Senatoribus; qui etiam Laici nuncupantur. Porro quod latine dicitur populus græce dicitur λαὸς. Vide dicenda in Dom. Reſurr. art. 7. qu. 5. num. 45.

Confirmatur ex uſu, & praxi; optime enim vident ipſimet DD. Inquiſitores populum, & Clerum non intereſſe univerſum hujuſmodi Concionibus, & tamen ipſi non reclamant, nec urgent.

11 Animadvertendum inſuper eſt: quod qui ignorat Edicta, quæ promulgari, & ordinationes, quæ præſcribi ſolent in hujuſmodi Concionibus S. Officii, tenetur de illis, inquirere, & per alios edoceri, ſi nolit, aut etiamſi non poſſit aſſiſtere. Ratio eſt, quia, licet, ſecundum modo dicta, præceptum, aſſiſtendi prædictis Concionibus non ita ad ſingulos dirigatur, ut abſolute, & ſimpliciter ſingulos cogat ſemper aſſiſtere; at vero præceptum denunciandi Inquiſitioni delicta contra fidem Catholicam, quæ in Inquiſitorum Edictis hujuſmodi recitantur, & explicantur, præceptum, inquam, illud ita ſingulos urget, ut abſolute, & ſimpliciter neminem prorſus excipiat: quod ſatis conſtat. Omnes ergo, & ſinguli ſcire debent, quænam ſint illa delicta, quæ denunciare tenentur.

12 Qu. III. An prædicti Inquiſitores poſſint prohibere ſub pœna excommunicationis, ne alii prædicent, quoties ipſi pro facto fidei prædicare velint?

℞. Affirmative. Chiavetta l. cit.

§. II.

De delictis, & Perſonis denunciandis.

Qu. I. Quænam delicta ſint Inquiſitoribus S. Officii denuncianda? 13

℞. Omnia delicta externa contra fidem Eccleſiæ Catholicæ: ſcilicet crimen hæreſis externæ, Judaiſmi, Idololatriæ &c. ut latius explicatur in Edictis S. Officii, & videri etiam poteſt Azor. *Inſtit. Moral. part. 1. l.* 8. *c.* 18. *qu.* 17.

Itaque ex allegatis edictis denunciandi ſunt Hæretici, & ſuſpecti de hæreſi, ſchiſmatici, eorum fautores & receptatores; item ſuperſtitioſi, ſi illorum ſuperſtitio ſit cum expreſſa, vel tacita Dæmonis invocatione, & ſit mortaliter peccaminoſa. Item docentes, defendentes, aut prædicantes aliquam ex propoſitionibus damnatis a ſummis Pontificibus, & proferentes aliquam ex propoſitionibus pravis ad S. Officium ſpectantibus. Vid. Luc. Ferrar. *in ſua Bibliot. edit.* 3. *Bonon.* V. *Denunciat. ad delict.* a n. 2. Item denunciandi ſunt Confeſſarii in actu ſacramentalis Confeſſionis, ſeu occaſione &c. ſolicitantes ad turpia in materia ſexti præcepti, ut explicatur in Bullis PP. deſcribendis §. ultimo, & etiam declarabimus hic pluribus quæſtionibus. Denique denunciandi ſunt Confeſſarii, qui a Pœnitente in Confeſſione exquiſierint nomen complicis cum denegatione abſolutionis. Vide Conſtit. Bened. XIV. incip. *Ubi primam.* §. *Quicumque vero*: eſt n. 52. in ſelect. Conſtit. ejuſdem Pontificis par. 1. & Conſtit. ejuſdem Pont. incip. *Ad eradicandum pravum*: quæ eſt n. 55. cit. par. 1. & conſtit. incip. *Apoſto-*

Digitized by Google

poſtolici Miniſterii; quæ eſt n. 75. in præd. ſelect. Conſtit. p. 2.

14 Qu. II. An ſit denunciandum delictum mere externum, & non conjunctum cum actu interno? ut ſi conſtet, aliquem fidem exterius negaſſe ob timorem perſecutionis, non autem quia interne crederet, eſſe falſam fidem Catholicam. Similiter ſi quis proferat blaſphemiam hæreticalem, ſed ex circumſtantiis appareat audientibus, ſic blaſphemantem non ita credere, ſed ex ira ingenti e. g. in illam blaſphemiam prorupiſſe.

℞. Eſſe nihilominus denunciandum: quia in foro externo ſecundum externa proceditur. Felix Poteſt. s *in Exam. Confeſſ. to. 2. par. 2. c. 6. qu. 3. n.* 230. *& qu. 5. nu.* 283. *& qu. 6. n.* 295. Tambur. *explic. decal. l.* 2. *c.* 1. §. 4. *n.* 5. Diana *edit. coord. to.* 5. *tr.* 8. *R.* 29. §. 1. Vid. tamen dicenda qu. 6. & 9. Quamvis per hujuſmodi hæreſim mere externam non incurratur excommunicatio lata in Bulla Cœnæ contra delictum hæreſis (etſi ob crimen tantum externum Idololatriæ incurratur excommunicatio non reſervata. Vid. dicta hoc l. 4. par. 1. c. 2 n. 63.) atque adeo poſſit abſolvi hujuſmodi peccatum hæreſis ſimpliciter externæ a quolibet Sacerdote approbato ad audiendas confeſſiones hominis illius: ut Theologi docent.

Hæreſis itaque, etiam ſimpliciter externa, eſt denuncianda: dummodo verbum, aut aliud ſignum externum, ſive ex ſe, ſive ex circumſtantiis abſolute, & determinate, non autem indifferenter, & ſub dubio ſignificet errorem in fide. Vid. Tambur. *l. cit. a n. 6.* Fel. *l. cit qu.* 2. *n.* 215. & qu. 5. n. 232. Licet ſit denunciandus ille, qui etiam leviter ſit ſuſpectus in fide. Vid. dicenda q. 5.

Qu. III. An ſint denunciandi illi, quorum hæreſis, ſeu delictum contra fidem Catholicam occultum eſt, & probari nequit? 15

℞. Affirmative. Propoſitio eſt certa ex damnatione oppoſitæ propoſitionis inter damnatas ab Alexandro VII Videri etiam poteſt Diana *edit. coord. to.* 5. *tr.* 9. *R.* 1. *&* 2. *& to.* 7. *tr.* 4. *R.* 65. §. 10. fine. Felix Exam. *Confeſſ. tom.* 2. *par.* 2. *c.* 5. *n.* 260. La Croix *l.* 2. *qu.* 59. §. 1. *n.* 215. *& lib.* 7. *par.* 3. *qu.* 1. §. 8. *n.* 82. Menco *Statera opin. benign. diſſert.* 1. *qu.* 10.

Qu. IV. Utrum, qui ex ignorantia erret in fide, ſit denunciandus? 16

℞. Negative. Videatur Diana *edit. coord. to.* 5. *tr.* 2. Reſol. 36 §. 9. Bonac. *to* 5. *de denunciat.* pun. 1. §. 8. n. 5. Felix *c.* 4. *qu.* 2. *n.* 258. Dummodo admonitus de errore, illum corrigat; ſi enim admonitus a viris, quorum ſcientiæ, & fidei ſtare poſſit, ac debeat, puta Parocho proprio, vel Confeſſario, non reſipiſcat, eſt utique denunciandus: etſi dicat: ſe non credere, id eſſe contra Eccleſiæ Catholicæ fidem; nam quidquid ſit, an ideo evadat hæreticus formalis? De qua re videri poteſt Diana *l cit. a* §. 14. nihilominus eſt ſuſpectus de hæreſi, atque adeo denunciandus. Vid. Diana §. 17.

Nota hic 1 Quod ſi denunciandi non ſunt, ſed privatim monendi, qui vere ex ignorantia errent in fide, dummodo ſemel, aut iterum moniti, deponant errorem; multo minus denunciandi erunt ii, quos conſtat ex lapſu linguæ errorem aliquem protuliſſe: aut ſi etiam Concionator inter concionandum aliquando erro- 17

rem

Digitized by Google

rem in fide protulerit ex incuria, vel inconſiderantia: ut non raro alicui accidit. Vid. Bonac. *to. 1. de oper. denunc. pun. 1. §. 8. n. 5.* Fel. *l. cit. n.* 259. Quod tamen præſumi non poterit, ſi errorem argumento aliquo ſuadere, conatus fuerit.

18 Nota 2. Eſſe denunciandum eum, qui dicat ſe ex ignorantia erraſſe in fide, quando ex circumſtantiis prudenter præſumatur, vere erraſſe ex malitia.

19 Qu. V. An ſit denunciandus de hæreſi ſuſpectus leviter?

℞. Affirmative. Videatur Felix n. 249. & n. 260. & Diana *edit. coord. to. 5. tr. 9. R. 17. §. 2. & R. 69. §. 3. & tr. 10. R. 29. & R. 30.* Quinam ſint leviter ſuſpecti de hæreſi? explicant Auctores citati a Diana R. 29. & 30. fine.

20 Qu. VI. Utrum in ira, dæmonium, ſeu Diabolum dicere ſanctum, ſit blaſphemia hæreticalis, atque adeo denunciandus, qui illam protulit?

℞. Affirmative; ita Joſeph. de Auguſtino in *brevi notitia in 1. præc. decal.* n. 14. Tambur. *in decal. l. 2. c. 6. §. 4.* n. 15. Fel. *n.* 215. fine; & ſatis conſtat ex verbis Edicti Regni Siciliæ prope finem. Verum nota hic ex eodem Joſepho de Auguſtino, cui conſentit Felix l. cit. hujuſmodi blaſphemiam hæreticalem in noſtra Sicilia, propter communem uſum hominum videlicet viliorum habere rationem ſimplicis blaſphemiæ; & obſervat item laudatus Felix, hujuſmodi pravam conſuetudinem reſpicere ipſum edictum Inquiſitionis Regni Siciliæ in fine, quod tales blaſphemos acriter comminatur. De hujuſmodi etiam prava conſuetudine teſtatur item Tambur. l. cit. num. 20. ex prædicta vero Joſephi de Auguſtino ſententia ſequitur, non eſſe obligationem denunciandi Inquiſitoribus adverſus hæreticam pravitatem eos, qui hujuſmodi blaſphemiam proferunt in noſtro Regno Siciliæ. Nihilominus ego ſentio, quod, ſi quis valde frequenter in hujuſmodi blaſphemiam audiatur erumpere, etiam in Noſtra Sicilia prædictis Inquiſitoribus denunciari deberet, quia videretur ſuſpectus de hæreſi. Porro nunc in noſtra Sicilia nequaquam adeſt conſuetudo, quod homines etiam viliores ſæpius in prædictam blaſphemiam erumpant.

Sed dices: contra eſt: nam etſi 21
ſinguli homines etiam viliores non conſueverint Diabolum clare, & diſtincte dicere ſanctum: conſueverunt autem fere ſinguli in noſtra etiam Sicilia laici in ira id dicere verbis minus quidem completis, ſed tamen veluti in idem tendentibus.

℞. Vulgaribus prædictis formulis nequaquam dici Diabolum eſſe ſanctum ita, ut ſufficiat ad blaſphemiam hæreticalem. Imo prædictæ veluti dimidiatæ formulæ indicant animum alienum a voluntate honorandi diabolum, ſed ſolum ex aliqua iræ impotentia uſurpantem talia: quod probat communis ſenſus tum iſta audientium, tum loquentium. V. Tambur. l. cit. n. 20. Felix. n. 215. Diana tom. 5. edit. coord. tr. 8. Reſol. 11. §. 2.

Qu. VII. Utrum Hæreticus forma- 22
lis, aut ex malitia ſuſpectus de hæreſi ſit denunciandus, ſi nondum fuit privatim monitus, ut reſipiſceret?

℞. Affirmative; horum enim denunciatio ex ſpeciali Eccleſiæ præcepto facienda eſt ſive præmiſſa, ſive non præmiſſa monitione, ſeu correctione fraterna. Vid. Decretum 69. Ale-

Alexand. VII. incip. *Licet alias* dat. 8. Julii An. a Nat. Dom. 1660. publ. 24. Auguſti ejuſd. anni, extatque pag. 137. to. 6. Bull. Cherub. Edit. Rom. an. 1638. ex typograph. Rev. Cam. Apoſt. Vide item Dian. *to.* 5. *tr.* 9. *R.* 3. 4. *&* 5. Fel. *par.* 2. *c.* 4. *qu.* 2. *n.* 257. *& par.* 3. *c.* 12. *qu.* 6.

23 Qu. VIII. Utrum ſint denunciandi, quos conſtet fuiſſe emendatos ab errore ſuo, puta ab hæreſi, ſuperſtitione, aliove delicto in Inquiſitorum Edictis expoſito?

℞. Affirmative. Etſi quidam oppoſitum doceant, qui tamen videntur non audiendi. Vid. Fel. *in exam. to.* 2. *par.* 2. *c.* 5. *qu.* 6. *n.* 278. *& par.* 3. *c.* 12. *qu.* 4. *n.* 605. *&* 606. Bonac. *tom.* 1. *de on. denunc. pun.* 2. *n.* 5. Item Dian. edit. coord. to. 5. tr. 9. R. 6. 7. & 8. Ferrar. V. *Solicit.* n. 47. & 48. ſed recole etiam dicta qu. 4.

24 Qu. IX. An ille, quem poſt commiſſum delictum ſuperſtitionis, aut blaſphemiæ ſtatim pœnitet, ſit etiam denunciandus?

℞. Affirmative, ſuppoſita plena advertentia, & deliberatione. Ita ex Bord. Felix *in Exam. tom.* 2. *par.* 2. *c.* 5. *qu.* 7. *nu.* 279. quia in delictis ſolum conſideratur voluntas deliberata in factum tranſiens, minime vero voluntatis pravæ perſeverantia, aut ſubita retractatio.

25 Dicitur: *ſuppoſita plena advertentia, & deliberatione;* quia ſi circumſtantiæ externæ in aliquo caſu ſint tales, ut faciant prudenter dignoſcere, aliquem in blaſphemiam prorupiſſe non cum plena advertentia ad malitiam, aut non cum pleno conſenſu voluntatis, ſed mente non integra, & turbata ex vehementi paſſione: tunc ſicut excuſatur a culpa mortali, ita & a pœnis. Sic Felix l. c.

Qu. X. An ſit denuncianda Mulier, quæ ſemel maleficium fecerit, aut ſuperſtitionem? 26

℞. Negat Genuenſis in *Praxi Archiepiſc. c.* 8. *n.* 16. cui adhæret Diana *edit. coord. tom.* 1. *tr.* 5. *R.* 61. fine. Niſi ſaperet hæreſim manifeſte, & ſimplicitas, aut alia juſta cauſa non excuſaret.

Sed abſolute affirmat Fel. *c.* 5. *qu.* 9. *n.* 282. quia, inquit, Edictum abſolute præcipit denunciari delicta ſuſpecta de hæreſi committentes, & non utitur verbo *exercentes*: Alioquin nedum non eſſet denuncianda mulier, quæ ſemel maleficium, aut ſuperſtitionem fecit, ſed neque quæ bis, aut ter; nam duo, aut tria facta non faciunt exercitium. Tum quia quæ ſemel maleficium fecit, recte delictum in edicto comprehenſum fecit. Ita Felix, cui ego adhereo quo ad delictum maleficii. At quo ad ſuperſtitionem dico, Mulieres ſæpiſſime, & communiter excuſari propter magnam ſimplicitatem, loquendo de ordinariis ſuperſtitionibus earum, ex quibus potius riſum movere, ſolent, audientibus & ſcientibus hominibus. Quod a quotidiana praxi confirmari videtur; licet, monendæ, & increpandæ ſint a Confeſſariis, & Concionatoribus. 27

Verum nota hic ex Tann. ac Stoz quos laudat la-Croix *lib.* 3. *part.* 1. *qu.* 5. §. 5. *num.* 36. & ex Cajet. & Laym. quos citat, & ſequitur Buſemb. *lib.* 3. *par.* 1. *tr.* 1. *c.* 1. *dub.* 4. *reſp.* 4. reſol. 2. ſæpe melius eſſe, ad tempus permittere ſuperſtitiones ſimplicium hominum, quam ſtatim admonere, ſi prævideatur, fore ut adhuc non abſtineant; nam admo- 28

nen-

nendo fiet, ut ſublata invincibili ignorantia, peccent mortaliter, aut gravius; poſt modum tamen data occaſione paulatim erunt diſponendi, & ab hujuſmodi etiam ordinariis ſuperſtitionibus abducendi.

29 Qu. XI. Utrum ſit denunciandus Sanctæ Inquiſitionis officio, qui vulnera hominum, aut animalium lethalia brevi temporis ſpatio curat, applicato quodam unguenti genere, aut pulvere, quem ſympaticum vocant, vittis, ſive pannulis lineis ſanguine vulneratorum madefactis? in ſuppoſitione communioris ſententiæ, hujuſmodi rationem medendi de ſuperſtitione damnantis; de qua re videri poteſt Bonac. *to.* 2. *diſp.* 3. *qu.* 5. *pu.* 4. *prop.* 2. *num.* 17. *&* 18. Diana *edit. coord. to.* 5. *tr.* 10. ℞. 109. La-Croix *lib.* 3. *par.* 1. *qu.* 5. §. 3. *n.* 32.

℞. Denunciandum eſſe, docet Bonacina l. cit. nu. 19. ſi ſciatur, vel etiam putetur denunciatio ab Inquiſitoribus admittenda; idque approbat Diana l. cit. §. 12. Vult tamen Bonacina, ante denunciationem præmittendam eſſe privatam, ac fraternam correctionem. Quod equidem admitto in eo caſu, quo ex ignorantia quis adhibuerit hujuſmodi rationem medendi: hoc eſt, quod vere ignoraverit eſſe ſuperſtitionem. Vid. dicta qu. 4.

30 Qu. XII. Utrum ſit denunciandus Confeſſarius, qui nec Pœnitentem ſolicitet, nec cum eo illicitos, & inhoneſtos habeat ſermones, ſed ſolicitatus a Pœnitente, ejus ſolicitationi conſentiat, ſimpliciter reſpondendo, v. gr. *etiam*, vel *bene eſt?*

℞. Affirmative ex proniori ſenſu Bullæ Bened. XIV. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*; quam §. ultimo ad verbum dabimus, ubi jubetur, eſſe denunciandum Confeſſarium, qui pœnitentem ſolicitaverit, etiamſi *Solicitatio inter Confeſſarium, & Pœnitentem mutua fuerit*. Sed lege etiam, ſi placet, Dianam edit. coord. to. 5. tr. 9. a ℞. 56. ad 60. Ferrar. in Bibl. V. *Sollicitatio* n. 32. Bonac. to. 1. de onere denunc. pu. 3. n. 17.

Qu. XIII. Quid ſi Confeſſarius ſolicitatus a Pœnitente, nihil reſponderit. Cum diſtinctione reſpondet Felix *in exam. to.* 2. *par.* 3. *c.* 11. *q.* 5. *n.* 580. quod, ſi Confeſſarius ita tacuit, ut nullum dederit ſignum reprobativum, ſed manens immotus permiſit mulieri, ſeu pœnitenti libere inhoneſtum tractatum proſequi, ſit utique denunciandus: quia, qui tacet, conſentire videtur; & maxime, inquit, in circumſtantiis loci, & actus ſacramentalis, quæ nullo pacto permittunt, ut Confeſſarius perſeveret ibi quietus, & talem perverſam mulierem acriter non reprehendat. Tum quia tractatus inhoneſtus eſt inter plures, quorum unus ſufficit, quod ſit actor, alter patiens, & acceptans; ut liquet de audiente detractorem, qui eſt peccati detractionis particeps audiendo, potens libere impedire, aut abire. 31

Si tamen Confeſſarius audita ſolicitatione ſibi a pœnitente facta, ideo remanſit immotus, quia valde confuſus eſt, audita inexpectata illius perverſitate; concedit ipſemet Felix, nullo modo hujuſmodi Confeſſarium eſſe denunciandum: licet ſit de puſillanimitate damnandus. Confeſſarium vero ideo remanſiſſe immotum, cognoſci facile poſſe dicit Felix, ex ſignis faciei, & conturbationis ejuſdem. Attamen hujuſmodi ſigna non videntur facile poſſe di- 32

Digitized by Google

dignoſci a muliere ad crates accedente ad confitendum.

33 Qu. XIV. An Mulier, ſeu Pœnitens ſolicitans Confeſſarium, ſit denunciandus?

℞. Negative, quia lex Confeſſarium, non item pœnitentem ſolicitantem exprimit: pœnæ autem non ſunt extendendæ ad hunc, vel ad alium caſum diverſum. Vid. Diana *edit. coord to. 5.* ℞. *55. Fel. par. 3. c. 2. qu. 6.*

34 Qu. XV. An, ſi Confeſſarius det aliquod donum mulieri in Confeſſione, dici poſſit, illam ſolicitaſſe, ita ut ſit denunciandus?

℞. Quæſtionem examinat Diana *edit. coord. tom. 5. tr. 9.* ℞. 50. apud quem ibi §. 1. affirmat Trimarchus; ſed §. 2. negat Bordonus. Attamen ipſe Diana §. 3. diſtinguendum eſſe putat: *Nam* (inquit) *ſi quis v. gr. daret pœnitenti ramuſculum ſeu florem, vel dona minimi valoris, tunc adhærerem opinioni Patris Bordoni, & ita docet Eſcobar* tr. de Confeſſ. folic. par. 1. qu. 3. §. 2. n. 14. *Secus autem, ſi donum eſſet magni valens, conſideratis circumſtantiis perſonarum, & in hoc caſu non mihi diſplicet opinio Trimarchi, nam extra occaſionem, & impertinenter ad confeſſionem dare donum conſiderabile mulieri, quæ confitetur, eſt maxima præſumptio contra Confeſſarium; tum quia, ut ait Eſcobar l. cit. n. 16. non ſolum prohibetur aperta ſolicitatio, ſed etiam palliata tacite, vel amphibologice demonſtrata, qualis videtur donatio muneris, de qua loquimur, tum quia muneribus fœminæ facile allici, & provocari ſolent; tum quia in hoc venenoſo crimine nec ſubterfugium, nec velamen relinquendum eſt, quo ſimile flagitium laſcivi Confeſſarii cooperire valeant.* Hæc Diana.

Ego in quæſtione hujuſcemodi dico valde caute procedendum tum ex parte Confeſſarii, tum ex parte pœnitentis, aut alterius, qui videat, aut ſciat, Confeſſarium pœnitenti in confeſſione aliquid donaſſe; ut non facile judicetur Confeſſarius, propter hujuſmodi donum hac occaſione donatum, reus ſolicitationis factæ; ſed examinentur circumſtantiæ donantis, doni, ac donum recipientis. Ex parte autem Confeſſarii, ut cautius ſe gerat in donis hac occaſione donandis, ita conſultum ſit, ut abſtineat ab iis etiam munuſculis, quæ devotionis ſpeciem præſeferant: & præſertim erga mulieres cautio hæc eſt omnino adhibenda, ut nihil eis in Confeſſionali donetur. Unde non abſolute placet exemplum floſculi, quo hic Diana utitur, & abſolute permittit. Permitterem ego ſolum, ſi pœnitenti, etiam mulieri daretur infirmæ, ac ſimul domi detentæ: infirmis enim hujuſmodi munuſcula donari ſolent quibuslibet a quolibet, ad levandum animum, corporis infirmitate depreſſum; aliis autem communiter nonniſi ad oſtenſionem amoris ſimpliciter. Unde non facile excuſarem a ſolicitatione Confeſſarium, qui hujuſmodi florum munuſcula pœnitenti mulieri in Confeſſionali in Templo donaret; quod ſi aliis quoque videntibus fieret, certiſſime pareret etiam ſcandalum. 35

Qu. XVI. An ſit denunciandus Confeſſarius, qui pœnitentem ſolicitaret, ſi tamen de hoc delicto ſit emendatus? 36

℞. Affirmative; videatur Diana *edit. coord. to. 5. tr. 9.* ℞. *6. 7.* & 8. Felix *in Exam. to. 2. par. 3. c. 12. qu. 4. n. 605. & 606.* Bonac. *tom. 1. tr. de cen. denunc. pu. 3. n. 9.*

Qu.

Digitized by Google

37 Qu. XVII. An ſit denunciandus Confeſſarius, qui pœnitentem ſolicitavit quidem, ſed ſtatim pœnituit?

℞. Affirmative; vide Diana *cit. tr.* 9. *R.* 33. ſel. *cit. c.* 12. *qu.* 3. *n.* 604. Bonac. *l. cit. n.* 4.

38 Qu. XVIII. An ſit denunciandus Confeſſarius, qui verbis, ſeu ſignis dubiis, obſcuris, & ambiguis pœnitentem ſolicitavit?

℞. Negant Bordonus, & alii. Vid. *Fel. par.* 3. *c.* 11. *qu.* 5. *n.* 576. Ferrar. V. *Solicit.* n. 36. & 57. Affirmat vero cum Souſa, & Peyrino Diana *R.* 34. qui etiam *R.* 50. adducit pro hac re Eſcobarrum, ut videre eſt in verbis ab eo recitatis ſupra qu. 15. & videri etiam poteſt pro hac quæſt. Bonac. *to.* 1. *tr. de on. denunc.* pu. 3. n. 5. Monet autem Diana Inquiſitores, ut diligenter advertant, quando expediat ex hujuſmodi denunciatione vocare prædictum Confeſſarium, ad interrogandum eum de mente ſua, ex qua illa verba dubia protulit, ſeu ſigna ambigua dedit. Unde ſignificat, ut non ſint faciles propter hujuſmodi denunciationem, ad vocandum in judicium ſuum, prædictum Confeſſarium. Item Lucius Ferrar. cit. n. 57. cum aliis monet Confeſſarios, ut antequam pœnitentes obligent ad denunciandos Confeſſarios, diligentiſſime attendant qualitates, & conditiones tum pœnitentium, tum Confeſſariorum, & mature examinent naturam, & ſenſum verborum, ſignorum, nutuum, hujuſmodi prætenſæ ſolicitationis; & ubi ex ipſis non appareat certa ſolicitatio, ſeu per ſe cognoſcere nequeat, an vera in his intercefferit ſolicitatio denuncianda: remittant ad alios Confeſſarios in his materiis inſtructiores, & expertiores; cum non ſemel a non ſatis inſtructis Confeſſariis immerito fuerint obligati Pœnitentes ad denunciandos innocentes Confeſſarios cum maximo detrimento ſuæ famæ, & graviſſima ſua immerita afflictione, & pœna.

Qu. XIX. An ſit denunciandus Confeſſarius, qui ſolicitavit pœnitentem non ad peccata mortalia in materia ſexti præcepti Decalogi, ſed ad alia, v. gr. ad furtum, vel ſortilegium? 39

℞. Affirmant aliqui, eo quod, dicunt, eſt ſuſpectus de hæreſi. Sed Bonacina *qu.* 3. *num.* 7. fine, & cum aliis Diana negat, eſſe denunciandum, ac teſtatur de praxi ipſa DD. Inquiſitorum, quam pro ſe allegat; lege cum *loc. cit. Ref.* 71. & 72. Fel. *par.* 3. *c.* 14. *n.* 651. Ferrar. V. *Solicit.* n. 30. Bonac. *l. cit. n.* 13.

Qu. XX. An ſit denunciandus Inquiſitoribus S. Officii Confeſſarius, qui fregit ſigillum confeſſionis ſacramentalis? 40

℞. Negative, ſi ſimul non erraverit, in fide: e. g. ſi defenderit licitam eſſe fractionem ſigilli confeſſionis prædictæ. Vid. Dian. *edit. coord. to.* 5. *tr.* 10. *R.* 80. Pertinet ergo delictum hujuſmodi ad alios Eccleſiaſticos Judices, puta ad Epiſcopos; & graviſſimis quidem, ut par eſt, plectitur pœnis.

Qu. XXI. Utrum Sacerdos, qui eodem die ſemel celebravit, & ſemel extra Sacrificium more laico communicavit, accuſari poſſit apud S. Inquiſitionis Tribunal? 41

℞. Affirmat, & probat Quintanadvenas *to.* 1. *ſingular. tr.* 4. *de Euchar. ſingul.* 10.

Qu. XXII. Utrum denunciandi ſint, qui verbis ſacræ Scripturæ abutuntur, ea miſcendo profanis, & obſcœ- 42

ſcœnis: e. g. componendo paſquinos, ut vocant, aut libellos famoſos ec.?

℞. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 4. *fine* præcipit, tales puniri ab Epiſcopis pœnis juris, & arbitrii; & contra eos procedere poſſunt Inquiſitores, ut ex Alberghino dicit Felix Poteſtas *par.* 2. *c.* 6. *qu.* 3. *n.* 239.

43 Qu. XXIII. Utrum Superiores Regularium omittentes legere, ſeu curare, ut legantur Decreta Summorum Pontificum ad S. Officium ſpectantia, quæ quotannis publice legi, mandantur Calendis Martii, & Feria ſexta poſt Octavam Aſſumptionis B. V. ſint ſuſpecti de Hereſi: atque adeo denunciandi?

℞. Negative: niſi prius moneantur, quia pro ipſis in hac re ſtat præſumptio inconſiderantiæ, & oblivionis. Ita Fel. *l. cit. n.* 237. Quod ſi tamen moniti legere, ſeu præcipere, ut legantur, adhuc non curent, tunc eſſe denunciandos, docet ex Bord. idem Fel. quoniam Urbanus VIII. præcepit omnibus Inquiſitoribus, ut invigilarent ſuper obſervantia Decreti de publicatione quotannis facienda; denunciationes contra tranſgreſſores reciperent, ac proceſſus formarent.

44 Qu. XXIV. An ſaltem ſint ſuſpecti de hæreſi, ac denunciandi, qui prædictorum decretorum lectionem impediant?

℞. De his non eſſe dubium, dicit Fel. l. cit. nu. 238. Impedientes itaque ſunt utique ſuſpecti de hæreſi, ac denunciandi.

45 Qu. XXV. Utrum omittens denunciationem Hæretici, ſit denunciandus?

℞. Et dico 1. eſſe denunciandos eos, qui ex officio tenentur, hæreticos denunciare, ſi, cum poſſint, non denuncient, ut ſunt Notarii, Socii, Satellites, & ſimiles ex officio inſervientes Tribunali Inquiſitionis; item teſtes legitime interrogati, ſi veritatem celent, aut minuant, ſunt denunciandi; quia ſaltem in foro externo habentur pro fautoribus Hæreticorum, & præter excommunicationem edicti, incurrunt excomunicationem Bullæ Cœnæ. Vid. Fel. *loc. cit. n.* 286. Ferrar. loc. cit. n. 51. Qui tamen nu. 52. & aliis pluribus docet, quod ſi prædicti omittant denunciare hæreticum, non in defenſionem fautoriam, ſed ob aliam cauſſam in ſe honeſtam, v. g. ob metum cadentem in conſtantem virum, ob conſanguinitatem, amicitiam, & hujuſmodi, tunc nec ſint ſuſpecti de hæreſi, nec ullam incurrant cenſuram; quia ſicut cenſura fertur in hæreticum propter hæreſim, ita ferri debet in fautores hæreticorum, ut talium, cum acceſſorium ſequi debeat ſuum principale.

Dico 2. Alios, qui tenentur ſolum ex præcepto Edicti generalis Inquiſitorum, ſi non denuncient hæreticum, licet ſint ſuſpecti de hæreſi, 46
non eſſe tamen denunciandos, docet Bordonus cum Lupo apud Felicem, num. 285. & ſequitur Ferraris V. *denunc. nu.* 53. quia, dicunt, non debet dari proceſſus in infinitum. Quod ſi opponas, in Edicto præcipi denunciationem ſuſpecti de hæreſi. Reſpondent, ibi ſermonem eſſe de ſuſpectis ob alia delicta poſitiva patrata. Verum Bordono, & Lupo contradicent illi, qui docent, prædictos eſſe fautores hæreticorum, ut Alphonſus de Caſtro, & Leander relati a Felice l. cit. ſed hos eſſe fautores negant alii, ut Lupus, & Del-Bene apud eumdem Fel. ibidem.

Animadvertendum vero hic eſt; 47
quod

quod diſſuadens a denunciatione Hæretici, eſt ipſe denunciandus tanquam fautor hæreticorum ſaltem in foro externo. Rurſus etſi concedamus Bordono, & Lupo Edictum, ubi præcipit denunciationem ſuſpecti de hæreſi, loqui de ſuſpecto ob alia delicta poſitiva patrata, & omiſſionem denunciationis hæretici, licet reddat ſuſpectum de hæreſi, non tamen eſſe delictum poſitivum; eſt tamen delictum poſitivum, diſſuadere denunciationem; & ita docet Fel. n. 286.

48 Qu. XXVIII. An quilibet hæreticus, & ſuſpectus de hæreſi, &c. ſit denunciandus?

℞. Affirmative, atque adeo denunciandi ſunt Regularium Superiores, etiam Generales; item Duces, Reges, Imperatores, Cardinales, Epiſcopi, Inquiſitores &c. Vid. Luc. Ferrar. V. *denunciatio delict.* 2. 11. & 12. In illis autem locis, in quibus hæretici ſunt permixti cum Catholicis cenſent multi, non eſſe obligationem denunciandi. Vid. Bonac. *to. 1. tr. de on. denunc. qu. 2. n. 9.* Ferrar. V. *denunc.* n. 18. Fel. c. 5. n. 265. & La-Croix *lib. 2. qu. 59.* §. 1. n. 215. qui vero recte monet, quod ſi tamen in prædictis etiam locis ſciretur Epiſcopus, Parochus, Profeſſor Theologiæ, Confeſſarius, aliuſque ſimilis eſſe hæreticus, ſeque tantum externe chatholicum fingere; cum talis multum poſſit præjudicare bono Eccleſiæ, & Animarum, eſſet gravis obligatio, ſaltem ex jure naturæ, talem denunciandi apud illos, qui malum illud poſſent impedire.

An autem ſint denunciandi jam denunciati ab aliis ſuper eodem delicto, aut etiam jam puniti? examinabimus §. ſequ. qu. 14.

§. III.

De iis, qui denunciare tenentur.

49 Qu. I. Quinam teneantur denunciare delicta ad S. Officium pertinentia?

℞. Omnes utriuſque ſexus fideles poſt decimumquartum annum, cujuſcumque conditionis, ac ſtatus fuerint, ſive Clerici, ſive Laici, ſive Sæculares, ſive Regulares, etiam Moniales, cujuſcumque gradus, ac dignitatis ſint Duces, Principes, Provinciales, Generales &c. Imperatores etiam, Reges, & Cardinales. Conſtat ex Edictis Inquiſitorum, & ex Decreto Alexandri VII. incipiente *Licet alias*; quod allegavimus n. 26. & videri poteſt Fel. *in Exam. Confeſ. tom. 2. part. 2. cap. 4. num.* 248. & *num.* 252. & *ibid. qu. 1. num.* 254. & *num.* 255. Luc. Ferrar. V. *denunc. ad delict. a num. 9.*

50 Qu. II. An Uxor teneatur denunciare maritum formaliter hæreticum; & e converſo Maritus Uxorem? Similiter an Pater Filium, & e converſo, Item an frater fratrem, vel ſororem, & e converſo?

℞. Affirmative: videatur Fel. loc. cit. qu. 2. a n. 268. Diana *edit. coord. tom. 5. tr. 9.* ℞. 9. & 10. Mendo *in Stat. opin. benign. diſſert. 1. qu. 11.* Luc. Ferrar. V. *denunc. n.* 13. Bonac. *to. 1. tr. de on. denunc. pu. 2. n. 3.*

51 Qu. III. An prædicta reſponſio valeat etiam pro ſuſpicione de Hæreſi.

℞. Aliqui affirmant, alii negant. Affirmativam ſententiam probabiliorem putat Felix; lege eum *loc. cit. qu.* 3. & Dian. *to. 5. tr. 1. R. 162.* & *tr. 9. R. 11.* Luc. Ferrar. V. *Denunc.* n. 14. & 15.

Qu.

52 Qu. IV. An hæreticus formalis teneatur denunciare complicem?

℞. Negant aliqui, quos citat, & ſequitur Ferraris V. *Denunc.* nu. 17. Alii autem affirmant. Videatur Felix qu. 5. & Diana cit. tr. 9. R. 15. §. 2. & R. 16.

53 Qu. V. An ſuſpectus de hæreſi teneatur denunciare complicem?

℞. Negat Fel. loc. cit. n. 275.

54 Qu. VI. An id procedat etiam in pœnitente ſolicitato a Confeſſario, & conſentiente?

℞. Negative, ſed is tenetur denunciare Confeſſarium ſolicitantem; neque enim ipſe pœnitens conſentiens ſolicitationi Confeſſarii, in hoc judicio reputatur complex; ut recte notat Felix: quia delictum ad Sacrum Tribunal ſpectans non eſt actus inhoneſtus adæquate ſumptus, ut nimirum includit Confeſſarii, & pœnitentis conſenſum; ſed ſolum, ut includit Confeſſarii conſenſum, ſeu ut præciſe eſt ſolicitatio facta a Confeſſario; unde Mulier denuncians a Sacro Tribunali non accipitur ut complex, ſed ut teſtis.

55 Hinc nota, quod ſolicitata non tenetur ſuum manifeſtare conſenſum, imo nec de eo poteſt a Tribunali interrogari; quod ſi manifeſtet, non debet hujuſmodi denunciatio conſenſus pœnitentis ſcribi in Actis; ut etiam cum aliis monet Diana; tamquam res non ſpectans ad Tribunal Inquiſitionis, & quamvis aliqui ſecus docuerint, non ſunt tamen amplius audiendi, cum id declaratum fuerit ex ipſa Congreg. I. R. U. Inquiſitionis 27. Septemb. 1624. & noviſſime a Bened. XIV. Conſtit. *Sacramentum Pœnitentiæ* quam hic §. 8. deſcribemus. Videatur Fel. *tom.* 2. *par.* 3. *qu.* 5. *nu.* 577. & 578. Diana *to.* 5. *tr.* 9. *R.* 16. Bonac. *to.* 1. *tr. de on. denunc. pu.* 3. *n.* 10.

Qu. VII. An Viator, & Advena denunciare teneantur hæreticum, ſive ſuſpectum de hæreſi, quem noverint in loco, ubi per tranſitum reperiantur? 56

℞. Affirmative, & quidem ex vi Decreti Univerſalis Inquiſitionis Romanæ, quod ad verbum dedimus ſubſ. 1. Quonam autem loco, vel quibus Superioribus denunciationem facere debeant; examinabimus §. 5. qu. 2.

Qu. VIII. An, qui ex Confeſſione Sacramentali novit aliquem fuiſſe hæreticum, teneatur illum denunciare? 57

℞. Negative, imo nec poteſt, ſive ipſe Confeſſarius, ſive alter ſit, qui audierit vere confitentem delictum in fide Felix *par.* 2. *cap.* 5. *qu.* 8. *n.* 281. & *part.* 3. *cap.* 12. 597. & videri etiam poteſt Azor. *Inſtit. part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *qu.* 8. *circa finem*.

Qu. IX. An ſi ex ſecreto naturali ſciat quis, alterum eſſe hæreticum, aut ſuſpectum de hæreſi teneatur denunciare? 58

℞. Affimative, & etiamſi ſecreto fuerit adjunctum juramentum de non manifeſtando. Videatur Fel. *par.* 2. *c.* 5. *n.* 261. & *par.* 3. *c.* 12. *n.* 597. Diana *to.* 5. *tr.* 9. *R.* 66. & *dub. ſequ.* La-Croix *lib.* 2. *qu.* 59. §. 3. *n.* 217. Azor. *Inſtit. par.* 1. *l.* 8. *c.* 19. *qu.* 8. *fine* Bonac. *to.* 1. *de on. denunc. pun.* 2. *num.* 4.

Qu. X. An teneatur denunciare ſuſpectum de hæreſi, qui illum novit occaſione conſilii ab eodem ſibi petiti? 59

℞. Negat (ſed, ſi bene ſapio, minus cohærenter cum concluſione præce-

cedenti) Fel. *par.* 2. *c.* 5. *n.* 262. & *par.* 3. *c.* 12. *n.* 598. Videri etiam poteſt Azor. *Inſtit. par.* 1. *l.* 8. *cap.* 10. *quæſt.* 5.

60 Qu. XI. An id procedat etiam de hæretico formali?

℞. Negat cum Bordono Fel. cit. n. 262. Qui itaque aliquem eſſe hæreticum formalem novit occaſione conſilii ab illo ſibi petiti, tenetur hujuſmodi denunciare. Nec excuſatur a denunciando hæreticum formalem Confeſſarius ſciens delictum ratione conſilii: niſi conſilium illud det, ejus audiendo confeſſionem; Unde in hoc caſu hæreſis formalis, ſolum a denunciando excuſat ſecretum ex ſigilo ſacramentalis confeſſionis, ſecundum dicta quæſt. 8. Fel. loc. cit.

61 Qu. XII. An quis teneatur denunciare hæreticum, aut ſuſpectum de hæreſi, quem talem eſſe novit ex relatione alterius:

℞. Affirmative. Conſtat ex tenore Edictorum, præſertim ex illo Inquiſitionis Siculæ apud Felicem loc. cit. c. 3. ubi dicitur. *Se ſeperete, o avrete veduto, o inteſo dire.*

62 Interrog. hic 1. Quid? ſi qui delictum alterius refert, non ipſe immediate viderit, vel audierit, ſed acceperit ab alio. Petrus e. g. retulit tibi, Paulum dixiſſe ſibi tale delictum in fide fuiſſe commiſſum a Titio: obligaris ne, Titium denunciare?

℞. Affirmat. Felix par. 3. cap. 12. num. 593.

63 Interrog. 2. Quid? ſi qui refert, alium eſſe hæreticum, vel ſuſpectum de hæreſi, ſit levis, & mali nominis, ſeu famæ?

℞. Affirmant contra alios Felix n. 592. & Diana edit. coord. tom. 5. tr. 5. *R.* 69. §. 3. cum aliis: ſive referens ſciverit, ſeu viderit, vel audierit immediate per ſeipſum, ſive mediate ab alio referente; Videri etiam poteſt Ferraris V. *Solicit. ad turp. num.* 36.

Qu. XIII. An quis teneatur denunciare jam ab aliis denunciatum ſuper eodem delicto: ſi ipſe etiam illud ſciat. 64

℞. Affirmative: quia ſic probatur delictum; unde ſi decem viderunt hominem delictum in fide patrantem, tenentur ſinguli illum denunciare de eodem delicto; & etiamſi novem denuncient, decimus non excuſatur. Ita docet cum Bordono Felix *to.* 2. *par.* 2. *c.* 4. *n.* 251. qui tamen *par.* 3. *c.* 12. *num.* 594. loquendo in materia ſolicitationis ad turpia in confeſſione, docet, non teneri denunciare confeſſarium ſolicitantem, qui id ſcit ex relatione ipſius perſonæ ſolicitatæ: nam is non adderet majorem vim denunciationi: nec etiam ad talem, qui audivit ex alio fertur præceptum denunciandi in materia ſolicitationis; ſed ad eum qui novit ex auditu immediato ipſius Confeſſarii ſolicitantis, vel quia lateri Confeſſionarii proximus, caſu ipſum ſolicitationis actum audivit, aut vidit. Ita idem Fel. loc. cit. nam, inquit, in utroque caſu, ſcientis denunciatio addit denunciationi perſonæ ſolicitatæ majorem virtutem, & fidem.

§. IV.

De tempore præfixo ad denunciandum.

Qu. I. Utrum denunciatio hæretici, aut ſuſpecti de hæreſi facienda ſit etiam antequam præcedat privata fraterna correctio. 65

℞. Affirmative. Vid. Diana *cit. tr. 9. R. 3. & duab. ſeq.* Buſemb. *l. 2. tr. 3. c. 2. dub. 4. reſp. 4.* Fel. *par. 2. c. 4. qu. 2. n. 257. & par. 3. c. 12. q. 6.* & dicta §. 2. q. 7. ſed vide etiam ibi dicta q. 4. & ſequentib. interrog.

66 Qu. II. An denunciatio hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti facienda ſit ſtatim poſt habitam delicti ſcientiam, ſeu notitiam?

℞. Hoc pendere ex Edicto Inquiſitorum, in quo tamen non ſolet præcipi hujuſmodi ſubita denunciatio. Et quidem in Edicto Univerſalis Inquiſitionis Romanæ a nobis ſuperius deſcripto permittitur menſis integer, ſeu, ut ibidem explicatur, ſpatium dierum triginta, quemadmodum legentibus patet. Quod quidem ſpatium aſſignari conſueviſſe ab Inquiſitione prædicta, dicit Felix Poteſtas *to. 2. par. 2. c. 3. nu. 239.* Etſi in alio Edicto, ſeu Decreto in priori edicto Inquiſitionis ejuſdem Romanæ anni 1623. 3. Januar. quod affert Luc. Ferrar. V. *Denunc. quo ad delicta, n. 10. & meminit* Bonac. *to. 1. tr. de on. denunc. pu. 2. nu. 12.* aſſignatum fuerit ſpatium dierum duodecim. Quem etiam dierum numerum aſſignari ſolere in Edicto Epiſcoporum, & Inquiſitorum Italiæ teſtatur Ferraris cit. V. *Denunc. n. 37.* In Edicto autem Inquiſitionis Hyſp. aſſignari ſolere ſex, aut ſeptem dies, refert ex Leandro idem Ferraris V. *Solicit.* n. 49. In Edicto item Inquiſitionis noſtri Regni Siciliæ, ut eſt apud Felicem l. cit. c. 2. præfigitur ſpatium dierum ſex. Itaque pendet ex Inquiſitorum Edicto temporis ſpatium, intra quod denunciatio ſit facienda.

67 Interrog. 1. Unde nam prædicti dies, qui ſolent deſignari ad denunciandum, habeant principium, & finem?

℞. Auctores communiter docere, a die proxime ſequenti poſt diem ſcientiæ, ſeu notitiæ habitæ: finem vero poſt completum diem trigeſimum, ſive duodecimum, ſive ſextum, ſive alium præfixum; Rationem dant, quia diei termini inchoati in odioſis non computantur in termino Leg. *eum qui. 41. §. Plane. ff. de verb. oblig.* Vid. Fel. *par. 3. c. 12. qu. 12. a n. 632.* Dian. *edit. coord. to. 5. tr. 9. R. 19. §. 5. & R. 24.* &c.

Interrog. 2. Utrum, qui ignoravit obligationem denunciandi, cujus ſcientiam acquiſivit longe poſt notitiam delicti: poſſit computare initium temporis præfixi ad denunciandum, a die acquiſitæ ſcientiæ. 68

℞. Satis probabile eſſe, quod poſſit. Vid. Fel. *par. 3. c. 12. qu. 12. n. 633. & 634.* Diana, *cit. tr. 9. R. 18. & 19. §. 3. & R. 24. §. 6.*

Interrog. 3. Utrum, qui impeditus fuit denunciare intra tempus præfixum, poſſit ſimiliter expectare ſimile aliud tempus, puta alios ſex dies, ad denunciandum, computando a die ceſſati impedimenti? 69

℞. Aliqui probabiliter affirmant, alii probabilius negant. Vid. Felix *par. 3. c. 12. qu. 12. n. 635.* Dian. *cit. R. 18. §. 3. & R. 24. §. 6.*

Qu. III. Utrum, qui prævidit, fore ut non poſſit denunciare ultima hora temporis præfixi, teneatur ante prædictam horam? 70

℞. Affirmative. Vid. Fel. *loc. cit. n. 636.* Dian. *l. cit. R. 21.*

Qu. IV. Utrum, qui non denunciavit tempore præfixo, teneatur adhuc eo elapſo? 71

℞. Affirmative. Hac enim in re tempus præfigitur ad urgendam, non ad

ad ſolvendam obligationem V. Dian. *l. cit. R.* 19. Fel. *par.* 2. *c.* 3. *qu.* 1. *n.* 241. *&* *par.* 3. *c.* 12. *q.* 12. *n.* 637. Bonac. *to.* 1. *de on. denunc. pu.* 1. §. 9. *n.* 1. *&* *pu.* 2. *n.* 13.

72 Qu. V. Utrum, ſi aliquo anno non publicetur Edictum, ſingulis annis publicandum, ceſſet obligatio denunciandi hæreticos, ac de hæreſi ſuſpectos?

℞. Negative, etiam ex vi præcepti ſemel in Edicto publicato impoſiti. Vid. Dian. *R.* 20. 24. *&* 25.

73 Qu. VI. Utrum obligatio, denunciandi hæreticum, ac ſuſpectum de hæreſi, ſit perpetua, itaut obliget ſemper, & omni tempore, quantumvis longiſſimo?

℞. Affirmative. Vid. Fel. *par.* 2. *c.* 3. *qu.* 1. *&* *c.* 4. *qu.* 1. *nu.* 255. *&* *part.* 3. *c.* 10. *qu.* 2. *&* *cap.* 12. *qu.* 5. *n.* 611. Dian. *R.* 19. 20. 24. *&* 25. Idque de onere denunciandi Confeſſarium ſolicitantem declaravit expreſſe Bened. XIV. Conſtit. ſupra cit.

74 Qu. VII. Utrum obligatio, denunciandi hæreticum, ac ſuſpectum de hæreſi, extinguatur ſaltem illius morte?

℞. Quoad hæreticum negative; quoad ſuſpectum vero de hæreſi affirmative. Hinc obligatio denunciandi confeſſarium ſolicitantem, ceſſat confeſſario ſolicitante mortuo. Vid. Felix *par.* 2. *c.* 3. *qu.* 2. *&* 3. *&* *par.* 3. *c.* 11. *qu.* 12. *n.* 595. Ligor. *theol. moral. l.* 6. *tr.* 4. *cap.* 3. *in append. de Confeſſ. ſolicit.* §. 2. *n.* 692.

75 Qu. VIII. An, qui tenetur, ad denunciandum, ſi velit confiteri antequam elabatur tempus, intra quod debet fieri denunciatio, teneatur prævenire, ut poſſit abſolvi; itaut non poſſit abſolvi, niſi prius impleat præceptum denunciationis, etiamſi nondum completum ſit tempus conceſſum, ad denunciandum, puta, ſi concedantur ſex dies, & elapſi ſint tantumodo tres?

℞. Non tenetur prævenire, atque adeo ſi habet propoſitum ultimo ſaltem die denunciandi, licet illum abſolvere, quia non eſt, cur ei denegetur privilegium legis concedentis illam dilationem.

Animadvertendum tamen; id interdum non expedire; nimirum ſi ſit prudens timor, ne pœnitens omittat denunciationem intra tempus præfixum; quemadmodum timeri poteſt, ſi pœnitens ſit mulier, aut adoleſcens, aut homo vilis. Si tamen neceſſitas communicandi, aut ſimpliciter confitendi, urgeat, puta, quia ſcandalum eſſet, ſi omittat communicare, vel quia urget præceptum communionis Paſchalis, & ſimilia: abſolvatur, ſed graviter moneatur, eique inculcetur obligatio denunciandi, antequam tempus expiret. Videatur Fel. *part.* 3. *c.* 12. *nu.* 638. *&* 639. Diana *cit. tr.* 9. *R.* 22. Ferrar. *V. Solicit. n.* 55. *&* 56. 76

Qu. IX. Qui ex legitimo impedimento excuſetur a denunciando etiam elapſo tempore præfixo, an poſſit abſolvi, ſi promittat denunciare impedimento ſublato? 77

℞. Affirmative, quia tunc non habetur reſervatio, nec delictum non denunciando. Ita Fel. *par.* 3. *c.* 13. *q.* 15. *nu.* 643. qui tamen num. ſequ. animadvertit, prudentem Confeſſarium non debere hujuſmodi impeditum abſolvere, ſi impedimentum ſit duraturum per paucos dies, in quibus non urgeat neceſſitas communionis: ſed pœnitentem moneat de obligatione denunciandi, eique abſolutionem defferat; ſi vero neceſſitas urgeat,

E 2 geat,

geat, abſolvat, promiſſionem exigendo prædictam.

§. V.

De iis, quibus eſt denunciandum.

78 Qu. I. Quibus ſit denunciandus hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus?

℞. Inquiſitoribus adverſus hæreticam pravitatem, vel Epiſcopis, ſub quorum juriſdictione perſona denunciatura, & perſona denuncianda vivunt. In Regnis autem Hyſpaniarum facienda eſt denunciatio ſolis Inquiſitoribus. Quod ſi alia alicubi adeſſet conſuetudo, ut fiat eorum Commiſſariis locorum, quæ quidem foret multum rationabilis, fieri poſſet prædictis Commiſſariis denunciatio. Vid. Fel. *part.* 2. *c.* 3. *n.* 239. *& c.* 4. *nu.* 248. *& par.* 3. *c.* 12. *qu.* 8. *n.* 619. *&* 620. Diana *cit. tr.* 9. *R.* 95. *&* 96. Azon *Inſtit. part.* 1. *l.* 8. *c.* 18. *qu.* 8. Ferrar. V. *Denunc. ad del.* n. 40. qui cum Carena ſuadet Epiſcopis in locis, ubi etiam iiſdem poteſt denunciatio fieri, ut nihilominus hujuſmodi denunciantes in rebus ſpectantibus ad fidem catholicam mittant ad Inquiſitores fidei, quia in Sancto Officio melius, ait, formantur proceſſus ratione ſecreti, quam in Curiis Epiſcopalibus; & multa evitantur diſpendia.

79 In Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Confeſſarios, qui a Pœnitente requiſierint nomen Complicis cum denegatione abſolutionis, eſſe denunciandos Tribunali S. Inquiſitionis, ſtatuit Bened. XIV. Conſtit. incip. *Apoſtolici Miniſterii* on. n. 75. in ſelect. Conſtit. ejuſdem Pontif. part. 2.

80 Interrog. hic. In Regnis, ubi non adeſt Inquiſitio Hyſpanica, denuncietur quis a duobus, quorum tamen unus denunciet illum apud Inquiſitores, alter apud Epiſcopum; Inquiſitores autem, & Epiſcopus denunciatione accepta, illum citent eodem tempore; in hoc caſu ad quodnam Tribunal comparere debet? ad Epiſcopi, vel Inquiſitorum?

℞. Ex Azor. *Inſtit. par.* 1. *l.* 8. *c.* 18. *qu.* 8. Diana *R. cit.* 96. §. 8. *& tr.* 10. *R.* 34. §. 2. cum aliis, debet comparere coram Inquiſitoribus, non autem coram Epiſcopo, quia juriſdictio Inquiſitorum cum ſit dilegata a Summo Pontifice, ſuperior eſt, & major juriſdictione ordinariâ. Huic tamen ſententiæ contradicit Rojas, & Molina apud ipſum Dianam; Molina docens: poſſe adire, quem maluerit; Rojas vero volens, debere coram Epiſcopo comparere. Si autem denunciatus eſſet Regularis exemptus, concedit Diana in tali caſu poſſe cum coram Epiſcopo comparere, quia Epiſcopus contra illum procedit ex juriſdictione ſimiliter delegata. Idem ſignificat Azor. *l. cit.* initio, de quolibet alio exempto. Monet vero Diana, etiam hoc, ultimum non procedere in Regnis Hiſpaniæ, quia, ut dictum eſt, ex conſuetudine, & privilegio, cauſæ fidei ab Inquiſitoribus tantum tractantur, cum quibus aſſiſtunt Epiſcopi per Procuratores.

81 Qu. II. Viator, & Advena quibuſnam debeant denunciare delinquentem, quem noverint in loco, ubi per tranſitum reperiuntur?

℞. Inquiſitoribus loci, ubi deliquit, ſeu de quorum juriſdictione delinquens eſt. Vide Fel. *par.* 2. *c.* 4. *quæſt.* 1. Dicit etiam Bordonus apud eumdem Fel. ibi. n. 254. fine, quod ſi Petrus ſciat, Paulum feciſſe ſortilegium in Diœceſi v. g. Regienſi, ubi

Digitized by Google

ubi ambo erant eo tempore, & deinde receſſerunt, unus Bononiam, alter Parmam: teneatur Petrus denunciare Parmæ, vel Regii, vel Bononiæ.

82 Qu. III. Cuinam denunciandi ſint Epiſcopi delinquentes in hac materia? Item Legati Sedis Apoſtolicæ, ejuſdemque Officiales?

℞. Epiſcopos eſſe denunciandos Sedi Apoſtolicæ, non autem Inquiſitoribus; ſimiliter Nuncios, ſeu Legatos Sedis Apoſtolicæ, ejuſque Officiales. Vid. Azor. *Inſtit. par.* 1. *l.* 8. *c.* 18. *qu.* 14. & Fel. *par.* 3. *c.* 12. *qu.* 9. Sunt autem apud Ferrar. V. *Solicit. ad turp. n.* 42. qui velint, Epiſcopos ſolicitantes denunciandos eſſe Inquiſitoribus, qui tamen nequeant contra illos procedere, nec teſtes aſſumere: ſed teneantur rem ad Summum-Pontificem deferre.

Nota hic ex Fel. loc. cit. Epiſcoporum nomine hic venire etiam Epiſcopos Titulares; item Epiſcopos electos, & a Sede Apoſtolica approbatos, licet nondum conſecratos; minime vero tantummodo electos.

Illi autem dicuntur Legati Sedis Apoſtolicæ, ejuſque Miniſtri, ſeu Officiales, qui ad ejuſdem Sedis negotia deſtinati ſunt; minime vero qui ad cauſas particulares, quotidie a Sede Apoſtolica mittuntur: quia iſti non negotia Sedis Apoſtolicæ, ſed perſonarum particularium tractant, quamvis auctoritate Sedis.

83 Qu. IV. Cuinam denunciandi ſint ipſi Inquiſitores ſi delinquant?

℞. Vel Inquiſitori Generali, ſeu ſupremo Tribunali Inquiſitionis, vel Sedi Apoſtolicæ, pro varietate opinionum. Vid. Fel. *l. cit. qu.* 10. *nu.* 624. Azor. *Inſtit. par.* 1. *l.* 8. *c.* 18. *qu.* 14. Ferr. V. *Solicit. ad turp. n.* 43.

Qu. V. An Generales Ordinum denunciandi ſint Inquiſitoribus? 84

℞. Affirmative. Vid. Fel. *loc. cit. qu.* 11. *num.* 611. An vero poſſint ab iiſdem puniri? Vide eumdem ibidem, & Ferrar. V. *Solicit.* n. 45.

§. VI.

De modo denunciandi.

Qu. I. Utrum denunciationi, opus ſit, præmittere correctionem privatam fraternam hæretici, aut ſuſpecti de hæreſi? 85

℞. Negative; ſed fieri debet intra tempus præfixum ad denunciandum; ſive præceſſerit, ſive non præceſſerit privata correctio fraterna; ſive non fuerit, ſive fuerit emendatus. Vide dicta §. 2. qu. 7. & §. 4. qu. 1. ſed vide etiam dicta l. cit. §. 2. qu. 4. & ſequentib. interrog.

Qu. II. Utrum denunciatus teneatur perſonaliter accedere ad denunciandum Inquiſitori? 86

℞. Affirmative. Conſtat ex Edicto Inquiſitorum, præſertim ex illo Inquiſitionis Siculæ.

Interrog. 1. Quid? ſi non valeat per ſeipſum accedere ad Inquiſitorem ob impedimentum perpetuum: puta quia eſt Monialis Clauſtralis; vel ob impedimentum, quod credatur, ad longum tempus duraturum; vel ob aliam gravem neceſſitatem? 87

℞. Tenetur denunciare vel per alium, vel per Epiſtolam. Ita cum Viva La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 290. §. 1. *n.* 1958. fine. Felix Pot. *tom.* 2. *part.* 3. *c.* 12. *num.* 599. aliique apud Dianam *edit. coord. to.* 5. *tr.* 9. *R.* 12. §. 2. Quod quidem ſignificatur in Edicto Inquiſitionis Rom. ſupra deſcripto, in quo ſolum monetur, ne lit-

teræ ſcribantur ſine nomine, & cognomine denunciantis: ſic enim ſcriptis Epiſtolis non ſatisfiet denunciandi obligationi, ut ibidem dicitur per hæc verba... *Al che non poſſono ſoddisfare con bollettini, o lettere ſenza nome, e cognome dell' Autore, o altri modi incerti, de' quali non ſi tiene conto alcuno nel Santo Tribunale*. Quo modo loquendi ſignificatur, quod, qui non poteſt perſonaliter denunciare, debeat per Epiſtolas, quæ tamen ſic conſcriptæ ſint, ut ex illis dignoſcatur, denunciator quis ſit? tamquam ſi perſonaliter compareret ad denunciandum. Itaque deſcribi in hujuſmodi Epiſtolis debet nomen, & cognomen denunciantis, & locus, ubi reſidet: unde ab Inquiſitoribus, ſi de aliquo interrogandus ſit, facile id præſtari poſſit per alias Epiſtolas, vel per ſuos Delegatos. Dicit etiam Felix Poteſtas l. cit. hujuſmodi per Epiſtolas denunciantes eſſe poſtea a Tribunali vocandos, ubi nimirum ceſſaverit impedimentum perſonaliter accedendi; ut iterum juridice deponant.

88 Quod ſi Impedimentum credatur brevi ceſſaturum; exſpectari poteſt. Ita Fel. par. 3. c. 13. qu. 15. n. 643. An autem poſſit abſolvi, antequam denunciet? diximus §. 4. qu. 9.

89 Interrog. 2. An poſſit per Epiſtolam, vel per Internuncium, puta per Confeſſarium fieri denunciatio, ſi qua Mulier v. g. vereatur ad Inquiſitionis Tribunal accedere.

℞. Negative, ſed nihilominus teneri accedere perſonaliter: id enim durum nimis non eſt ob bonum Religionis, ſeu Catholicæ fidei. Ita cum aliis Diana *edit. coord. to. 5. tr. 9. R. 13.* §. 3. qui ideo cum Peyrino monet Confeſſarios, ut ſuadeant Mulieri, non eſſe inhoneſtum comparere coram Inquiſitoribus pro catholicæ fidei defenſione ad denunciandum hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos.

Cæterum ſi quis valde vereatur denunciationem hujuſmodi per ſe perſonaliter facere, rogare debet Epiſcopum, ſeu Inquiſitorem, ut mittere dignetur ad ſe Internuncium pro denunciatione recipienda; Qui delegare poſſet, ſeu mittere Confeſſarium perſonæ denunciatæ, ut recipiat in ſe ſcriptis, & cum juramento denunciationem, quæ ſtatim deferatur Judici competenti juxta Decretum Inquiſitionis Romanæ juſſu Urbani VIII. 27. Septemb. 1624. quod ex Bordono c. 23. *de Solicit.* num. 89. affert Luc. Ferrar. *in ſua Biblioth. Edit. 3. Bonon.* V. *Solicitatio* nu. 10. Quod ſi neque ad id poſſit Pœnitens a Confeſſario flecti, voluit Pontifex recurſum haberi ad Sanctam Sedem pro opportuno remedio, & interim non abſolvatur, utpote indiſpoſitus. Prædicti Decreti meminit etiam Viva, & aſſerit, de eo conſtare ex Epiſtola Cardinalis Mellini apud Carenam §. 10. Viva *in prop. 7. Alexand. VII.* n. 7. ubi etiam in hujuſmodi caſu, quo pœnitens quidam, timoris prætextu, induci minime potuit, ad denunciandum: teſtatur, ſe per Epiſtolam adiviſſe Pontificem Summum Innocentium XI., qui benigne dignatus fuit facultatem ei tribuere, abſolvendi pro ea vice Pœnitentem circa onus denunciandi.

Qu. III. An quis poſſit per ſe ipſum expurgare librum prohibitum, & ſic non tradere Inquiſitoribus? 90

℞. Negative. Fel. par. 2. cap. 13. num. 469.

Qu. IV. An quis poſſit, librum hæreticum per ſeipſum comburere? 91

℞. Negative; & quidem peccaret gra-

graviter. Fel. *l. cit. n.* 471. Vide tamen eumdem ibidem *qu.* 2. & Dian. *cit. tr.* 9. *R.* 99. An autem aliquam cenſuram incurrat? examinabimus §. ſequ. qu. 4.

§. VII.

De culpa, & pœna non denunciantium.

92 Qu. I. An incurrant culpam gravem, qui intra tempus præfixum, cum poſſint, non denuncient?

℞. Affirmative. Conſtat ex Bullis variis Pontificum, & Decretis Juris Canonici, & Edictis Inquiſit. Vide La Croix *lib* 2. *qu.* 59. §. 1. *nu.* 215. Ferrar. V. *Denunc. ad delect.* n. 38.

93 Qu. II. An etiam ſub excommunicationis pœna ferendæ, vel latæ ſententiæ?

℞. Sub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ. Conſtat item ex Bullis &c. Vid. etiam La-Croix *loc. cit.* Fel. *par.* 2. *c.* 3. *n.* 39.

94 Qu. III. An toties incurratur nova excommunicatio, quoties poteſt commode denunciari, & non denunciatur?

℞. Affirmat Bonacina *to.* 1. *de on. denunc. pu.* 1. §. 9. *nu.* 2. ſed alii negant, docentes tantum manere in eadem; quorum ſententiam ſatis probabilem eſſe, dicit Diana *edit. coord. to.* 5. *tr.* 9. *R.* 19. §. 4.

95 Q. IV. An aliquam cenſuram incurrat, qui librum Hæretici Inquiſitoribus non conſignet, ſed propria auctoritate per ſe ipſum comburat?

℞. Licet graviter peccet, ſecundum dicta §. præc. qu. 4. aliquam vero cenſuram incurrere, negat Felix *par.* 2. *n.* 13. *qu.* 1. *nu.* 471. ſed vide La Croix *l.* 7. *qu.* 39. §. 28. *n.* 355.

§. VIII.

De abſolutione eorum, qui pœnam non denunciantium incurrerunt.

Qu. I. An abſolutio ab excomunicatione, ob omiſſam denunciationem, ſit reſervata? 96

℞. Affirmative, & quidem Pontifici, & Inquiſitoribus. Conſtat ex Bullis &c. Fel. *par.* 2. *c.* 3. *num.* 259. Ferrar. V. *denunc. ad del.* n. 38.

Qu. II. Utrum is, qui incidit in excommunicationem, quia non denunciavit, poſſit abſolvi virtute Bullæ Cruciatæ, ſi promittat illico denunciare? 97

℞. Negative. Vid. Dian. *edit. coord. to.* 5. *tr.* 9. *R.* 23. Fel. *part.* 3. *c.* 12. *qu.* 13. & dicta hoc l. 4. par. 1. c. 2. art. 1. de Bull. Cruciat. Sect. 1. ſub. 3. §. 1. qu. 5. n. 40.

Qu. III. An prædictus poſſit ſaltem abſolvi poſtquam denunciaverit? 98

℞. Affirmat cum Sancio Diana *l. cit. R.* 21. §. 3. ubi hæc habet . . . . *Si Fœmina, quæ jam cenſuram incurrit, denunciationis præceptum adimpleat, poterit virtute Bullæ Cruciatæ a quocumque Confeſſario abſolvi cenſura; nam ſatisfacta parte, abſolvendi privilegium ab omnibus cenſuris traditur in Bulla; vel a Regularibus virtute privilegiorum; nec indigebit fœmina fateri Inquiſitoribus in Sacramento pœnitentiæ, nec extra, ſe negligentem fuiſſe in denunciatione, quod eſt valde obſervandum, quia quotidianum; & hoc procedit in omnibus aliis caſibus contentis in Edicto.* Videri etiam poteſt Felix *par.* 3. *c.* 12. *qu.* 14. ubi quoque docet, in præfato caſu abſolutionem non poſſe conferri a quolibet Confeſſario, niſi virtute Bullæ Duciatæ, vel a Regularibus privilegia-

Digitized by Google

giatis. Idem cum eo, & aliis tenet Ferraris V. *Solicitatio* n. 52. Verum hujuſmodi limitationem rejiciunt nonnulli apud Ligorium *theolog. moral. lib.6. tr.4.c.3. in append. de Confeſſ. ſolicit.* §. 3. *num.693.* volentes: facta denunciatione, pœnitentem prædictum poſſe abincurſa excommunicatione abſolvi a quocumque Confeſſario; quæ quidem opinio ſatis probabilis videtur ibi Ligorio.

99 Qu. IV. Qui incidit in excommunicationem ob omiſſam denunciationem, an poſſit abſolvi, ſi nunc ſit impeditus denunciare, & urgeat neceſſitas abſolutionis?

℟. Affirmat Felix *par.3. c.13. qu. 15. nu.643.* dicens, poſſe abſolvi a privilegiatis, vel virtute Bullæ ad reincidentiam, & cum promiſſione denunciandi, impedimento ceſſante; quo quidem ceſſante, non denunciando, denuo reincidit in culpam, & cenſuram reſervatam. Ratio, inquit, eſt, quia durante legitimo impedimento non obligat ſatisfactio partis, non tamen extinguitur, ſed ſuſpenditur, niſi adſit caput, quo extinguatur obligatio denunciandi. Suadetur a pari de eo, qui fuit in culpa ad reſtituendum, & poſtea evadit impotens, qui poteſt abſolvi durante impotentia: ita Felix.

100 Quoniam Benedictus Conſtit. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, præcepit, ut omnes Locorum Ordinarii ab omnibus Sacerdotibus approbandis ad confeſſiones audiendas, attente legi, & accurate obſervari curarent Conſtitutionem Gregorii XV. incip. *Univerſi Dominici gregis*: & prædictam ſuam, editas adverſus Confeſſarios Sacramento Pœnitentiæ nefarie abutentes ad turpia in materia ſexti præcepti Decalogi: ideo in commodum Confeſſariorum damus hic atque deſcribimus Conſtitutiones præfatas.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

UNIVERSI *Dominici Gregis curam, quamquam immeriti, cœleſti diſpoſitione gerentes, ſedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conſervetur immunis; multoque majori ſtudio providere, ut omnis peſtis ab iis avertatur, quibus alios ſanandi officium eſt commiſſum; ne, quod Evangelica ſcripta Nos admonent, ſale infatuato, non ſit, in quo ſaliatur, & ad nihilum proſit ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*

§. 1. *Quoniam autem a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris quibuſdam in locis proviſum fuit, ut impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolum inter Chriſti Fideles non eſſe, ſed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet ut aliquis Sacerdos ad ſacras audiendas Confeſſiones deputatus, Sacroſancto Pœnitentiæ Sacramento, ſolicitando Pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, & ex cœleſti Medico infernalis veneficus, ex patre ſpirituali proditor execrabilis Animarum reddatur: idcirco Nos ea, quæ his perniciosiſſimis Diaboli inſidiis arcendis, certis locis, ſalubriter conſtituta ſunt, ut nullibi deſiderentur, quantum ex alto conceditur, providenda duximus.*

§. 2. *Alias ſiquidem a fel. rec. Pio Papa IV. Prædeceſſore Noſtro emanarunt Litteræ tenoris ſubſequentis, videlicet:* Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Hiſpalen. in Re-

gnis Hiſpaniarum hæreticæ pravitatis Inquiſitori Generali. Cum ſicut nuper &c.

§. 3. *Igitur ut Litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter obſerventur, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Card. contra hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum præinſertas Litteras hujuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, illaſque non ſolum in prædictis Hiſpaniarum Regnis, ſed in quibuſvis Chriſtiani Orbis partibus firmiter, & inviolabiliter obſervari præcipimus, & mandamus.*

§. 4. *Ac præterea ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eoſdem procedendi, ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & ſinguli Sacerdotes, tam ſæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cujuſcumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive antea, vel poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa Confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi Confeſſiones Sacramentales audiuntur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire: ſolicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint: in Officio S. Inquiſitionis ſeveriſſime, ut infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & Locorum Ordinarios, omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum Univerſi Orbis Chriſtiani in ſuis quemque Diœceſibus, & Territoriis per has noſtras Litteras, etiam privative quo ad omnes alios ſpecialiter, ac perpetuo Judices delegamus, ut ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, pro ut in cauſis Fidei juxta Sacrorum Canonum formam, necnon Officii Inquiſitionis hujuſmodi Conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, & Decreta diligenter inquirant, & procedant, & quos ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis, ſuſpenſionis ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis activæ, & paſſivæ, ſi Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceris etiam in perpetuum abſque ulla ſpe gratiæ, aliiſque pœnas decernant, eos quoque, ſi pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ Sæculari puniendos tradant.*

§. 5. *Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam pernicioſum, ob probationum defectum, ſit impunitum, cum difficilis ſit probationis, teſtibus etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis,*

delictum probatum eſſe, arbitrio ſuo judicandi, & Curiæ ſæculari, ut præfertur, reum tradendum eſſe, pronunciandi.

§. 6. *Non obſtantibus omnibus, quæ dictus Prædeceſſor in ſuis Litteris prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

§. 7. *Mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos Pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu, ut præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu Locorum Ordinariis prædictis; quod ſi hoc Officium prætermiſerint, vel Pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, ut ſupra, iidem Locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant.*

§. 8. *Volumus autem, ut præſentium tranſumptis* &c.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 30. *Augusti* 1622. *Pontificatus noſtri anno* 2.

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Confirmatio, & ampliatio Conſtitutionis Gregorii XV. contra Sacerdotes ſuos Pœnitentes in Confeſſionibus ſacramentalibus ad turpia ſollicitantes.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SACRAMENTUM *Pœnitentiæ, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immerentes ad univerſi Dominici Gregis curam ſuperna diſpoſitione vocati omne ſtudium, & paſtoralem ſollicitudinem adhibere tenemur, ne quod poſt amiſſam Baptiſmi innocentiam datum eſt Divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perverſe utentium malitiam naufragis, ac miſeris peccatoribus inctuoſum evadat exitium: & quod in ſalutem, & curationem Animarum a Deo, qui dives eſt in miſericordia, inſtitutum eſt, execrabili ſceleſtorum quorumdam Sacerdotum improbitate in earum perniciem, atque interitum vertatur.*

1. *Dudum quidem a fel. rec. Gregorio Papa XV. Prædeceſſore Noſtro per ſuas literas in forma Brevium ſub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die* 30. *Auguſti MDCXXII. Pontificatus ſui anno ſecundo, ſapienter proviſum fuit contra quoſcumque Sacerdotes audiendis Confeſſionibus deputatos ad turpia, & inhoneſta ſollicitantes: & deinceps ſucceſſivis temporibus ad earum literarum interpretationem, & declarationem plura ſubinde a Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum ſub die* XI. *menſis Februarii anno Domini MDCLI. prodierunt decreta, & a rec. mem. Alexandro Papa VII. pariter Prædeceſſore Noſtro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Univerſalis Inquiſitionis die* 24. *Septembris MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & diſſonas propoſitiones, ſexta videlicet & ſeptima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt. Nos itaque mature perpendentes, quanti momenti ſit ad æternam animarum ſalutem ea ubique exacte obſervari, & quanti ad infirmas oves curandas & decorem Sanctæ Eccleſiæ Dei retinendum interſit, ne aliqui*

liqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem; pro piſce ſerpentem, pro medicina venenum porrigant, ſed animo ſecum recolentes, ſe a Chriſto Domino Præſides, & Judices animarum conſtitutos, ea ſanctitate, quæ ſublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum adminiſtrent; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtra præfatas literas hujuſmodi, ac omnia, & ſingula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, atque etiam quatenus opus ſit, denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum univerſi Orbis Chriſtiani in ſuis reſpective Diœceſibus, ut diligenter omnique humano reſpectu poſtpoſito inquirant, & procedant contra omnes, & ſingulos Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apoſtolicæ immediatæ ſubjectos, quorumcumque Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuſcumque Dignitatis, & Præeminentiæ, aut quovis Privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque perſona illa ſit, vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt Confeſſionem, vel occaſione, aut prætextu Confeſſionis, vel etiam extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionali, ſive in alio loco ad Confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo cum ſimulatione audiendi ibidem Confeſſionem, ad inhoneſta, & turpia ſollicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones vel tractatus temerario auſu habuerint: & quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis ſevere animadvertant per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii Prædeceſſoris Noſtri Conſtitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inſerta haberi volumus: dantes etiam, ſi opus ſit, & rurſus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei injurioſum remaneat ob probationum defectum impunitum, jam alias in præfata Conſtitutione tributam procedendi cum Teſtibus etiam ſingularibus, dummodo præſumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

2. Meminerint præterea omnes, & ſinguli Sacerdotes ad Confeſſiones audiendas conſtituti, teneri ſe, ac obligari ſuos Pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſollicitatos, ſedulo monere juxta occurrentium caſuum circumſtantias de obligatione denunciandi Inquiſitoribus, ſive Locorum Ordinariis prædictis perſonam, quæ ſollicitationem commiſerit, etianſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, aut ſollicitatio inter Confeſſarium, & Pœnitentem mutua fuerit, ſive ſollicitationi Pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam affluxerit, aut ſollicitatio a Confeſſario, non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit. Caveant inſuper diligenter confeſſarii, ne Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſollicitatos, ſacramentalem abſolutionem impertiant, niſi

F 2 prius

Digitized by Google

prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti Judici, vel ſaltem ſe, cum primum potuerint, delaturos ſpondeant, ac promittant.

3. *Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna cauſa commoti, vel aliorum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio poſthabito, & Eccleſiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Judices falſo ſollicitationis inſimulant: Ut igitur tam nefaria audacia, & tam deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur; quæcumque perſona, quæ execrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſeipſum innocentes Confeſſarios impie calumniando, vel ſceleſte procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam a Nobis, Noſtriſque Succeſſoribus, niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, ſpe abſolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Succeſſoribus prædictis reſervamus, perpetuo careat.*

4. *Demum magnopere cupientes a Sacerdotalis Judicii, & Sacri Tribunalis ſanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramentorum contemptum, & Eccleſiæ injuriam longe ſummovere, & tam exitioſa hujuſmodi mala prorſus eliminare, & quantum in Domino poſſumus, animarum periculis occurrere, quas ſacrilegi quidam Dæmonis potius, quam Dei Miniſtri, loco eas per Sacramentum Creatori ſuo, ac Noſtro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes in profundum iniquinatis barathrum nefarie ſubmergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magiſtrorum conſilio deſuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Epiſcoporum ſupplicationibus, hac noſtra in perpetuum valitura ſanctione, quemadmodum a pluribus Epiſcopis per Synodales ſuas Conſtitutiones jam factum eſſe novimus, omnibus & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſcumque Ordinis, ac Dignitatis, tametſi alioquin ad Confeſſiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Inſtituto, etiam ſpeciali expreſſione, & ſpecialiſſima nota, & mentione digna ſuffultis, Auctoritate Apoſtolica, & Noſtræ Poteſtatis plenitudine interdicimus & prohibemus, ne aliquis eorum extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi Præceptum commiſſo excipere audeat, ſublata propterea illi ipſo jure quacumque auctoritate, & juriſdictione ad qualemcumque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam, adeo quidem, ut abſolutio, ſi quam impertierit, nulla, atque irrita omnino ſit, tamquam impertita a Sacerdote, qui juriſdictione, ac facultate ad valide abſolvendum neceſſaria privatus exiſtit, quam ei per præſentes has noſtras adimere intendimus. Et nihilominus ſi quis Confeſſarius ſecus facere auſus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua abſolvendi poteſtatem Nobis ſolis, Noſtriſque Succeſſoribus dumtaxat reſervamus, ipſo facto incurrat.*

5. *Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuſcumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ ap-*

pel-

pellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti Confeſſionem dicti complicis hujuſmodi quiſquam valeat excipere, eique Sacramentalem abſolutionem elargiri, cum ad hanc effectum, & in hoc caſu nullus Confeſſarius, utpote qui in hujuſmodi peccati, & Pœnitentis genere juriſdictione, ut præfertur, careat, & abſolvendi facultate a Nobis privatus exiſtat, habendus ſit pro Confeſſario legitimo, & approbato. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, præſertim quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Univerſalis, plenarii, nec non quibuſvis Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliis quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

6. Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tam præſentes, quam futuri pro tempore exiſtentes in approbatione Confeſſariorum tam prædictam Conſtitutionem Gregorii Prædeceſſoris, quam præſentem hanc Noſtram ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, & accurate obſervari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Miniſterium ipſorum fidei commiſſum ſumma animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque ſemetipſos, ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei: memores præterea ſint, ſe locum tenere, ac vices obire Summi, atque æterni Sacerdotis, qui ſanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi. Sedulo igitur ſtudeant, diligenterque caveant, ne quærentibus, & pulſantibus eorum culpa Cœlum claudatur, ne deperditæ Oves ad Ovile Dominicum redire properantes eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne Prodigi Filii egentes, & saucii, ad cœleſtem Patrem revertentes nefaria eorum improbitate gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via ſunt, confodiantur.

7. Ut autem præſentes Literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari, ſicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent; utque ipſarum præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

8. Nulli ergo omnino hominum liceat

ceat paginam hanc Noſtræ voluntatis, ſanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Domini MDCCXLI. Kal. Junii Pontificatus Noſtri Anno Primo.

X. Sub Datarius.

Pro D. Card. Paſſioneo.

Cajet. Amatus.

Viſa de Curia N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtr. in Secretaria Brevium. Publicat. die XVII. ejuſdem Menſis, & Anni.

Sequitur Declaratio ejuſdem Conſtitutionis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

APOSTOLICI *muneris partes in procuranda præcipue rerum ſacrarum pura illibataque penitus adminiſtratione verſari debere probe intelligentes, non modo & aſſiduis hortationibus, & juſta, ubi res poſtulat, legum ſeveritate, ut ab Eccleſiaſticis quibuſque Miniſtris ſancta ſancte tractentur, quantum cum Domino poſſumus, providere ſtudemus, verum etiam leges ipſas, ne forte ſiniſtris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut deteſtabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire, ac roborare pro earumdem tuendo vigore, cum occaſio popoſcerit, non prætermittimus.*

1. *Sane cum Nos alias per quamdam noſtram Conſtitutionem, cujus initium eſt:* Sacramentum Pœnitentiæ: *Anno Incarnationis Dominicæ* MDCCXLI. *Kalendis Junii Pontificatus Noſtri Anno Primo editam, omnibus, & ſingulis Sacerdotibus tam ſæcularibus, quam regularibus, interdiximus, & prohibuimus, ne aliquis eorum, extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi Præceptum commiſſo excipere auderet: ita ut abſolutio, ſi quam impertiviſſet, nulla, atque irrita omnino eſſet, tanquam impertita a Sacerdote, qui juriſdictione, & facultate ad valide abſolvendum neceſſaria ipſi per Nos vigore ejuſdem Conſtitutionis adempta privatus exiſteret, & alias prout in memorata Conſtitutione, cujus tenorem præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſo, & inſerto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos ſubinde ſuper ea dictæ Conſtitutionis parte, quæ mortis articulum reſpicit, dubitationes quaſdam exortas fuiſſe acceperimus, quarum reſolutionem privato cujuſque judicio relinquendam minime exiſtimamus, ne Lex incertis conjecturis, & opinionibus jactata in ſenſus a mente Noſtra alienos forſitan diſtrahatur, ejuſque vigor paulatim langueat, atque enervetur.*

2. *Hinc eſt, quod Nos omnem dubitandi*

tandi

tandi rationem, quantum cum Domino poſſumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine memoratam Conſtitutionem noſtram, cum omnibus, & ſingulis in ea contentis tenore præſentium, quatenus opus ſit confirmamus, illamque integre, penitus, & omnino, atque ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari præcipimus, & mandamus. Præterea habita ſuper bis cum Venerabili Fratre Noſtro Vincentio Epiſcopo Præneſtino Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Petra nuncupato, Pœnitentiario Noſtro Majori, ac dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Miniſtris, qui rem juſſu Noſtro mature perpenderunt, deliberatione, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem Conſtitutione ſingulis, ut ſupra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non eſt in mortis articulo perſonam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujuſmodi quoque culpa rite contritam abſolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit; ita interdici re ipſa, & prohiberi prædicto modo tunc audire, & abſolvere, ut ſi alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamſi forte iſte alius ſimplex tantummodo Sacerdos fuerit, ſive alias ad confeſſiones audiendas non approbatus, poſſit nibilominus ipſe Sacerdos ſimplex confeſſionem excipere, ac abſolutionem impertire.

3. Porro, ſi caſus urgentis qualitas, & concurrentes circumſtantiæ, quæ vitari non poſſint, ejuſmodi fuerint, ut alias Sacerdos ad audiendam conſtitutæ in dicto articulo perſonæ confeſſionem vocari, aut accedere ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, conſerique poſſe, ac ſi revera abeſſet, atque deficeret: ac proinde in eo rerum ſtatu non prohiberi ſocio criminis Sacerdoti abſolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejuſmodi Sacerdos, & ſerio animadvertat, fore re ipſa coram Deo, qui derideri non poteſt, reum gravis adverſus prædictam noſtram Conſtitutionem inobedientiæ, latiſque in ea pœnis obnoxium, ſi prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi ultro ipſe confingat, ubi non ſunt: imo intelligat, teneri ſe graviter bujuſmdi pericula, quantum in ſe erit, antevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confeſſionis abſque ullius infamia, vel ſcandalo audiendæ. Ita enim ipſum teneri vigore memoratæ noſtræ Conſtitutionis declaramus; & nunc quoque ita ipſi faciendum eſſe diſtricte mandamus, & præcipimus.

4. Quod ſi idem Sacerdos, aut quovis modo ſeſe nulla gravi neceſſitate compulſus ingeſſerit, aut ubi infamiæ, vel ſcandali periculum timetur, ſi alterius Sacerdotis opera requirenda ſit, ipſe ad id periculum avertendum congrua media adhibere de induſtria neglexerit, atque ita perſonæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, conſtitutæ ſacramentalem confeſſionem excipere, ab eoque crimine abſolutionem largiri nulla, ſicut præmittitur, neceſſaria cauſa cogente præſumpſerit, quamvis hujuſmodi abſolutio valida futura ſit, dummodo ex parte pœnitentis diſpoſitiones a Chriſto Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requiſitæ non defuerint: Non intendimus autem pro formidando mortis articulo

eidem

Digitized by Google

eidem Sacerdoti quantumvis indigno neceſſariam juriſdictionem auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat; nihilominus Sacerdos ipſe violatæ auſu ejuſmodi temerario Legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Conſtitutione majorem excommunciationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reſervatam incurrat, prout illum eo ipſo incurrere declaramus, volumus, atque ſtatuimus. Non obſtantibus, omnibus, & ſingulis illis, quæ in præfata noſtra Conſtitutione voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

5. *Volumus, autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumtis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die octava Februarii an. milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto, Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

D. Cardinali Paſſioneus.

ARTICULUS II.

Not. Fer. 2. poſt Dom. 1. Quadrag.

De Officio Defunctorum.

101 IN Feriis ſecundis Quadrageſimæ in feriali officio recitari officium Defunctorum, notavimus 1. par. cap. 3. n. 11. An ſit obligatio illud recitandi? examinavimus ibidem quæſt. 2. num. 13.

De privilegio Regularium diſpenſandi in Irregularit.

PRÆLATI Regulares ſemel ſingulis annis feria ſecunda poſt Dom. primam Quadrageſimæ poſſe diſpenſare dicuntur cum ſuis ſubditis in omni irregularitate, quavis ex cauſa contracta: per Bullam Pauli III. conceſſam Valliſoletanis; & Sixti IV. conceſſam Carthuſianis. Verum de hujuſmodi privilegio vide Dianam *edit. coord. tom. 3. tr. 2. R. 64. §. 4. & tom. 5. tr. 8. R. 36. §. Nominatim & to. 7. tr. 1. R. 287. §. 13. & R. 292. §. 3. & R. 293. §. 1. R. 296. §. 3.* Et de privilegio Regularium ad diſpenſandum cum ſuis in irregularitatibus, videri etiam poteſt La-Croix *l. 7. qu. 59. §. 3. n. 462.* 102

ARTICULUS III.

Not. Fer. III. Dominc. I. Quadrageſimæ.

De Miſſa.

SI hodie occurrat feſtum SS. Quadraginta MM. variandam eſſe Orationem Poſtcom. hujus feriæ notavimus tr. 1. 10. Martii art. 2. nu. 3. Similiter ſi hodie occurrat feſtum S. Valentini M. variandam eſſe ſecretam, ſive ejuſdem ſi celebretur ſub ritu ſimpl. ſive feriæ, ſi celebretur ſub ritu dupl. vel ſemid. notavimus 14. Febr. n. 2. Vid. ibi dicta. 103

AR-

ARTICULUS IV.

Not. Fer. IV. poſt Dom. I. Quadrageſimæ. Quæ eſt Fer. IV. Quatuor Temporum Veris.

De Horis Canonicis.

104 QUID notandum pro horis Canonicis in feriis Quatuor Temporum? expoſuimus Tract. 1. in Septembr. part. 1. ſect. 5. ſubſ. 1. In hac feria recitantur Pſalmi Graduales. Vide dicta hoc l. 4. p. 1. c. 3. n. 11. & 13.

De Miſſa, Ordin., & Indulg.

105 QUID notandum pro Miſſa in feriis Quatuor Temporum? expoſuimus tract. 1. in Septembr. part. 1. ſect. 5. ſubſ. 2. Quid autem notandum pro collatione Ordinum? vide dicta ibid. ſubſ. 3. Quid pro Indulgentiis? ibid. ſubſ. 4.

De Jejunio Quatuor Temporum Veris.

106 AD ſatisfaciendum jejunio Quatuor Temporum pro Vere deſtinata etiam ſunt tria jejunia hæbdomadæ primæ Quadrageſimæ, videlicet, Jejunium hujus feriæ 4. 6. & Sabbati poſt Dom. 1. Quadrag. De Jejunio Quatuor Temporum fuſe egimus tr. 1. in Septembr. par. 1. ſect. 5. ſubſ. 5. Hic ſolum ex ibi dictis, mentionem facimus ſequentis caſus, qui hujus loci eſt proprius, nimirum: ſi Medicus concedat Titio licentiam comedendi carnes, vel ova, & lacticinia in diebus Quadrageſimæ: ſeu potius declaret, propter talem corporalem ipſius indiſpoſitionem poſſe comedere carnes, vel ova, & lacticinia dicto tempore: an poſſit illas comedere in his diebus Quatuor Temporum? Affirmavimus ibi cum Diana.

ARTICULUS V.

Not. Fer. VI. poſt Dom. I. Quadrageſimæ, quæ eſt feria VI. Quatuor Temporum Veris.

De Horis Canonicis.

QUID notandum pro horis Canonicis in feriis Quatuor Temporum? expoſuimus tr. 1. in Septembr. par. 1. ſect. 5. ſub. 1. 107

In hac feria in officio feriali recitantur Pſalmi Pœnitentiales, & Litaniæ. Vide dicta hæc lib. 4. part. 1. c. 3. n. 11. & 13.

De Miſſa, Ordin. Indulg. & Jejunio.

QUID notandum pro Miſſa, collatione Ord. Indulg. & Jejun. Quatuor Temporum? expoſuimus in Septembr. par. 1. ſect. 5. Ubi de Quatuor Tempor. in genere. 108

ARTICULUS VI.

Not. in Sabbato poſt Dom. I. Quadrageſimæ, quod eſt Sabb. Quat. Temp. Veris.

QUID notandum pro horis Canon. Miſſ. collatione Ordin. Indulg. & Jejun. Quat. Tempor.? expoſuimus tr. 1. in Septembr. par. 1. ſect. 5. ubi de Quat. Temp. in genere. Vid. ibi dicta. 109

CAPUT III.

Not. in Hebdomada II. Quadrageſimæ.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. II. Quadrag.

De Horis Canonicis.

1 DOM. II. Quadrageſimæ eſt 2. cl. ſemidupl. cedit quidem feſtis dupl. 1. cl. puta Patroni principalis, Tituli Eccleſiæ, & Dedicationis ejuſdem 1. cl. aliis autem minime cedit Sanctorum feſtis 2. cl. Vide dicta 1. par. c. 3. n. 1. Si hæc Dominica impediatur feſto dupl. 1. cl. an lect. 1. noct. Dom. licet non ſit initium Scripturæ, nihilominus reponendæ ſint infra hebdom. prima die in feſto occurrenti, carente lectionibus propriis primi nocturni, quæ deſumerentur de Scriptura occurrente, ſi feſtum illud extra Quadrageſimam incidiſſet? Vide in Dom. 4. Quadrag. ſect. 1. n. 2.

De Miſſa.

2 DOM. II. Quadrageſimæ dicta eſt Vacans, hoc eſt ſine officio proprio; nam Introit. Grad. Offert. & Communio ſumpta ſunt de fer. 4. præced. ut notat Gavant. *in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 6. n. 13.* Evangelium item eſt de Sabbato proxime præcedenti; ratio videri poteſt apud Meratum *to. 1. par. 4. tit. 2. nu. 7.* Exiſtimat Gavantius in *Rubr. Brev. ſect. 6. c. 11. n. 7.* & favet Azor. *loc. infra cit.* forte legi Evangelium de Transfiguratione, eo quod anno Chriſti ultimo, & initio Martii transfiguratus ſit Chriſtus, juxta aliquorum opinionem, ut Joannis Beleth, ac Durandi: & in Dominica hora quarta, ut ſcribit Epiphanius apud Azor. *Inſtit. Moral. par. 2. l. 1. c. 15. qu. 4. fine.*

Not. pro Edicto fidei S. Inquiſitionis Siculæ.

IN Dom. II. Quadrageſimæ conſuevit promulgari Edictum S. Inquiſitionis Regni Siciliæ; de hujuſmodi Edictis Fidei egimus, & diſputavimus in Dom. I. Quadrag. ſect. 4. Vid. ibi dicta. 3

ARTICULUS II.

Not. Fer. II. poſt Dom. II. Quadrageſimæ.

De Officio Defunctorum.

PRO Officio Defunctorum Vid. dicta fer. 2. poſt Dom. I. Quadrageſimæ. 4

De Miſſa.

SI hodie fiat commemoratio alicujus feſti ſimplicis Sancti Pontificis, & Martyris ex Miſſa: *Sacerdotes Dei* de Communi unius M. P. 2. loco, ut accidit, quando hæc feria occurrit die 4. Martii, qua die in Miſſa Sancti Caſimiri poſt commemorationem hujus feriæ fit commemoratio S. Lucii P. & M. ex communi, ut in Miſſa prædicta: *Sacerdotes Dei*; in hoc caſu varianda eſt Oratio Poſtcommunio dicenda pro commemoratione Sancti Simplicis prædicti, quia eſt eadem cum Poſtcommunio hujus feriæ, varianda itaque eſt, ut ſervetur Rubr. gen. Miſſ. *tit. 7.* 5

tit. 7. *n.* 8. Vid. dicta tr. 1. 23. Julii art. 1. num. 2. Sumatur autem ex Miſſa : *Statuit ;* ut in Communi unius M. P. 1. loco. Si autem hodie occurrat fieri de uno M. P. ſub ritu duplici, vel ſemid. atque adeo legatur de eo Miſſa, quæ etiam ſit : *Sacerdotes Dei ;* ut in prædicto communi ; in hoc alio caſu varianda eſt oratio Poſtcommunio feriæ hujus, quæ dicitur pro Commemoratione, non autem Oratio Poſtcommunio, quæ eſt principalis, ſeu illius Sancti, de quo eſt Miſſa ; ita quidem ex Rubrica prædicta. Verum ecce difficultas : undenam ſumetur hujuſmodi oratio Poſtcommunio diverſa, quæ dicenda eſt pro commemoratione hujus feriæ ? Reſpondeo ſumatur ex Miſſa feriæ tertiæ ſequentis. Hæc reſponſio eſt conformis doctrinæ Gavanti in ſimili ; hoc eſt in caſu occurrentiæ feſti Sanctorum Quadraginta Martyrum in feria quinta poſt Cineres. Vide dicta 10. Martii art. 2. Videri etiam poſſunt dicta 11. Novembr. art. 3.

ARTICULUS III.

Not. Fer. IV. poſt Dom. II. Quadrageſimæ.

De Pſalmis Gradualibus.

6 PRO Pſalmis Gradualibus. Vid. dicta hoc lib. 4. part. 1. cap. 3. n. 11. & 13.

ARTICULUS IV.

Not. Fer. VI. poſt Dom. II. Quadrageſimæ.

De Pſalmis Pœnitent. & Litaniis.

PRO Pſalmis Pœnitentialibus, & 7
Litaniis. Vid. dicta 1. par. cap. 2. num. 11. & 13.

CAPUT IV.

Not. in Hebdom. III. Quadrageſimæ.

ARTICULUS I.

Not. in Dom. III. Quadrageſimæ.

De Horis Canonicis.

DOM. III. Quadrageſimæ 2. cl. ſe- 1
mid. non cedit niſi feſtis 1. claſſis, ut Patroni Principalis, Tituli Eccleſiæ, aut ejuſdem Dedicationis 1. cl. Vid. dicta 1. par. c. 3. n. 1.

Si hæc Dom. impediatur feſto dupl. 1. cl. an lectiones 1. noct. licet non ſint initium Scripturæ, nihilominus reponendæ ſint infra hebdom. prima die in feſto occurrenti, carente lectionibus propriis primi Nocturni, quæ deſumerentur de Scriptura occurrente, ſi feſtum illud extra Quadrageſimam incidiſſet ? Vide in Dom. 4. Quadrag. ſect. 1. n. 2.

ARTICULUS II.

Not. Fer. II. poſt Dom. III. Quadrageſimæ.

De Officio Defunctorum.

PRO officio Defunctorum. Vid. di- 2
cta fer. 2. poſt Dom. 1. Quadrag.

De Miſſa.

3 Si hodie occurrat, fieri commemorationem SS. MM. Perpetuæ, & Felicitatis, variandam eſſe orationem Poſtcommunionem, docuimus 7. Martii n. 4. Ubi vero legatur Miſſa de laudatis SS. MM. varietur Poſtcommunio feriæ: ſumatur autem Poſtcommunio Miſſæ feriæ tertiæ proxime ſequentis, ut in ſimili diximus in fer. 2. poſt. Dom. 2. Quadrageſimæ num. 5.

ARTICULUS III.

Not. Fer. IV. poſt Dom. III. Quadrageſimæ.

De Pſalmis Gradualibus.

4 Pro Pſalmis Gradualibus vide dicta hoc lib. 4. par. 1. c. 3. n. 11. & 13.

ARTICULUS IV.

Not. Fer. V. poſt Dom. III. Quadrageſimæ.

De Horis Canonicis, & Miſſa.

5 Hodie in Officio feriali eſt Oratio ſingularis, ſeu ſpecialis de S. S. Coſma, & Damiano M. M. quæ tamen non impedit commune ſuffragium de iiſdem in Eccleſia propria; neque in oratione *A cunctis* omitti ideo debet ibidem conſueta nominatio eorumdem: quia hodierna præfata Collecta de laudatis Sanctis non eſt commemoratio in ſenſu Rubricæ. Confer dicta in ſimili, in Dominica Sexageſimæ ſect. 1. n. 2. & propter rationem eamdem, ut ibidem ſimiliter notavimus, non oportet, inclinare caput ad nomen horum Sanctorum in Miſſa.

6 Cur hodie prædicta recitetur Oratio? Rationem aſſignat Gavantus in *Rubr. ſect. 6. c. 11. n. 9.* quod Statio hodie celebretur in laudatorum Sanctorum Eccleſia. Sed hæc ratio non ſatisfacit: enimvero in aliis ſimiliter feriis Quadrageſimæ celebrantur in aliis aliorum Sanctorum Eccleſiis Stationes, nec tamen ſimilis eorumdem oratio recitatur. Nos igitur inclinamus potius ad credendum, Stationem ad Sanctos Coſmam, & Damianum hodie celebrari, & de iiſdem recitari Collectam, eo quod Eccleſia velit, oſtendere ſe Matrem piam, valde ſollicitam de filiorum ſuorum ſalute etiam corporali. Cum enim hodie inveniantur obſervantiæ quadrageſimalis conſummaſſe dimidium, timere videtur, ne genua illorum infirmata ſint a jejunio, & eorumdem caro immutata ſit propter oleum. *Pſ.* 108. 24. ut igitur curentur, vireſque reſumant, & ſic alacres reliquum ejuſdem quadrageſimalis obſervantiæ dimidium proſequantur, implorat auxilium Sanctorum Coſmæ, & Damiani, quia Medici fuerunt; ideo etiam legitur Evangelium de infirmis corpore a Domino Jeſu curatis. Hanc rationem indicare videtur Durandus in *Ration. Offic. lib. 6. c. 50.* fine, ubi ait: ideo fieri Stationem ad Sanctos Coſmam, & Damianum, quia in hac quinta feria Eccleſia oſtendit, non eſſe ſalutem niſi a Domino, & maxime per virtutes: unde Introitus Miſſæ eſt: *Salus populi ego ſum*: cum itaque agatur de ſalute, fit, inquit, Statio ad laudatos Sanctos, quia Medici fuerunt, & homines corporali-

Digitized by Google

raliter, & ſpiritualiter ſanabant; ideo etiam de ipſis fit mentio in oratione; ita Durandus.

ARTICULUS V.

Not. Fer. VI. poſt Dom. III. Quadrageſimæ.

De Pſalm. Pœnit. & Litaniis.

7 PRO Pſalmis Pœnitentialibus, & Litaniis vide dicta part. 1. c. 3. num. 11. & 13.

ARTICULUS VI.

Not. in Sab. poſt Dom. III. Quadrageſimæ.

De Miſſa.

8 IN hoc Sabbato poſt Dom. 3. Quadrag. legitur Epiſtola de hiſtoria Suſannæ, ex eo quia hodie fit Statio Romæ in Monaſterio B. Suſannæ Virginis; atque ita etiam ob ſimilitudinem quamdam Evangelium eſt de Muliere accuſata adulterii, quam Dominus liberavit; uti notavit Jo. Beleth de divin. Offic. c. 91.

CAPUT V.

Not. in Hebdom. IV. Quadrageſimæ.

ARTICULUS I.

Not. in Hebdom. IV. Quadrageſimæ.

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

1 DOM. IV. Quadrageſimæ ſemid. nulli cedit, niſi feſtis 1. cl. ut Patroni principalis, Tituli Eccleſiæ, & ejuſdem Dedicationis. Vid. dicta 1. par. c. 3. n. 1.

Hæc Dominica vocatur Dominica: *Lætare*: Quia Miſſæ hodiernæ Introitus incipit: *Lætare Jeruſalem*; ſicut in Adventu Dominica tertia dicitur: Dominica *Gaudete*; quia illius diei Miſſa incipit: *Gaudete in Domino*; ut ibidem notavimus ex Gavanto *in Rubr. Brev. ſect. 6. c. 11. n. 10.* Appellari etiam ſolet: *Dominica Roſæ*, quia ex uſu antiquiſſimo hodie Pontifex benedicit Roſam auream, de qua cæremonia tractatum valde eruditum ſcripſit Raynaudus *to. 10.* & alios plures, qui de hoc ritu ſcripſere, citat Meratus *tom. 1. par. 4. tit. 6. n. 25.* Ex laudato autem Rayn. hic monemus: apud Veteres nomine *Dominicæ Roſæ*, *ſeu Roſarum* veniſſe Dominicam infra Octavam Aſcenſionis, quia eo die Statio habebatur ad S. Mariam ad Martyres, vulgo Rotundam, & Pontifice ſuper Sacrum Concionante de futuro Adventu Spiritus Sancti, de altitudine Templi mittebantur roſæ in ſimilitudinem ejuſdem Spiritus Sancti; ita ex Benedicto Canonico S. Petri in ſuo cæremoniarum tractatu, notat Raynaud. *cit. to. 10. tr. de Roſa c. 1.* paulo poſt initium; ubi etiam ex Jacobo Genuenſi notat: hanc Dominicam ob Evangelium de quinque panibus, quod in ea ad Miſſam legitur, vocatam eſſe: Dominicam *panis*; quæ tamen in ſermone quodam, qui extat inter Sermones S. Chryſoſtomi, de *Reſurr. to. 3.* eſt denominatio Dominicæ Reſurrectionis, ob ſolemnem ea die fidelium communionem.

2 Lectiones primi Nocturni de Exodo, quæ leguntur in hac Dom. IV. Quadrag. quamvis non ſint initium ali-

alicujus libri; quoties iſta ſit impedita aliquo feſto primæ claſſis, reaſſumendæ ſunt infra hanc ipſam hebdomadam in feſto occurrenti, carente lectionibus propriis primi nocturni, ex D. S. C. R. 26. Novembr. 1735. *in Hiſpalen.* apud Caval. *to.* 2. *par.* 2. *c.* 34. *decr.* 11. qui in hujuſmodi Decretum hæc habet n. 1. & 2.

Num per feſtum primæ claſſis impeditis Dominicis Sexageſimæ, (Septuageſima namque cum contineat initium libri Geneſis, hoc utique reſumi debet, quoties impeditur:) Quinquageſimæ, ſecundæ, tertiæ, & quartæ Quadrageſimæ, lectiones primi nocturni earumdem Dominicarum infra hebdomadam reſumi debeant? dubium jam excitavit Guyetus lib. 4. cap. 16. q. 3. illudque reſolvit affirmative, dummodo infra hebdomadam occurrat feſtum non habens lectiones proprias, vel de communi aſſignatas; & ducitur, quia, etſi lectiones prædictæ non ſint initia Libri alicujus, ſed mera continuatio: continent tamen ſingulæ inſignes hiſtorias, ab aliis penitus diſtinctas, propriiſque nominibus, Nohemi videlicet, Abrahami, Jacobi, Joſephi, & Moyſis nuncupatas; quodque ad rem facit maxime, non fortuito, ſeu obvia currentis Libri ſerie, ſed cum delectu hiſce Dominicis privilegiatis addictas, utpote eximias ex Sanctorum Patrum interpretatione figuras, ac veluti præludia quædam myſteriorum Redemptionis noſtræ, cujus tunc primordia recoluntur. Addit, quod duæ ſaltem priores Nohemi, & Abraham continuantur in ſequentibus feriis, quod, niſi poſito initio, haud ſatis congruenter fieri, a ſimili de aliis, facile eſt, inferre. Inſignis itidem Machabæorum hiſtoria, ne omitteretur, transferri decernitur; quidni igitur id ipſum de prædictis erit dicendum? Guyeti ſententia nunc quo ad lectiones Dominicæ quartæ Quadrageſimæ, ſuper quibus Congregatio fuit interrogata, diſerte probatur, & ſaltem implicite etiam quoad hiſtorias cæteras, de quibus eadem procedit ratio. Hoc diſcrimen eſt inter iſtas hiſtorias, quod illæ Dominicæ Sexageſimæ, & Quinquageſimæ etiam in feriis reſumi debent, utpote in quibus lectiones Scripturæ leguntur; ex vero aliarum Dominicarum ſolum in feſtis, quippe feriæ cum gaudeant homiliis ſuper Evangelium, aptæ haud ſunt lectiones Scripturæ ſuſcipere. Quarum hiſtoriarum utile ſpatium erit uſque ad ſequentem Dominicam, in qua cum occurrat hiſtoria alia, idem jus habens, præcedentem ceſſare facit.

SECTIO II.

De Miſſa.

HÆC Dominica vocatur: Dominica: *Lætare:* ab Introitu Miſſæ: ut ſect. præced. dictum eſt; & cum lætitiam indicet, pulſantur Organa, & Dalmaticis utuntur Miniſtri in ſolemni Miſſa, *ex Rubr. gen. Miſſ. tit.* 19. *n.* 6. ut innuimus hoc l. 4. par. cap. 4. n. 14. Dalmaticas autem indicare ſolemnitatem, notavimus hoc tr. 2. lib. 1. par. 1. c. 3. n. 15. quod non valet pro ſequentibus feriis: quia in iis Miſſa hujus Dominicæ non reperitur, cum habeant propriam: ut obſervat Merat. *to.* 1. *in Gavant. part.* 4. *tit.* 1. *n.* 4. 3

Color ſacrorum paramentorum etiam in hac Dom. in Miſſa quoque ſolemni erit violaceus. *Merat. part.* 4. *tit.* 6. *n.* 25. Vide dicta in Dom. 3. Adventus n. 4. 4

AR.

ARTICULUS II.

Not. Fer. II. poſt Dom. IV. Quadrageſimæ.

De Officio Defunctorum.

5 PRO officio Defunctorum. Vide dicta fer. 2. poſt Dominicam primam Quadrageſimæ ſect. 1.

ARTICULUS III.

Not. Fer. IV. poſt Dom. IV. Quadrageſimæ.

De Pſalmis Gradualibus.

6 PRO Pſalmis Gradualibus vide dicta 1. par. c. 3. n. 11. & 13.

De Miſſa.

7 GAVANTUS *in Rubr. Miſſalis par.* 4. *tit. 6. n.* 15. hæc notat de feria 4. poſt Dom. IV. Quadrageſimæ. *Feria 4. Dominicæ 4. variatur Miſſa, cui datæ ſunt duæ lectiones, ut in feria 4. Temporum; putant aliqui ad indicium futurarum in Sabbato Ordinationum; ſed hac die fiebat Scrutinium Baptizandorum Paſchate, & inter ſeptem Scrutinia, hoc erat maximum.* Ordo Romanus. *Quod Scrutinium non eſt in uſu hodie, ſed tamen Miſſa eadem, in qua Catechumenis dicitur in Introitu:* Effundam ſuper vos aquam mundam. *Et item repetitur in prima epiſtola, & cum dicitur:* Lavamini: *in ſecunda; & in Evangelio, cæcus natus nondum lotus Catechumenum repræſentat, ex Auguſtino in homil. illius feriæ;* (verbis videlicet illis 2. lection. hodierni nocturni: quando inunxit, fortaſſe Catechumenum fecit:) *a qua feria uſque ad Paraſceven jejunabant quindecim diebus, demptis Dominicis*, ex Ruperto lib. 4. c. 18. *Cauſas autem Scrutinii in hac feria 4. vide apud Honor. in Gemma lib.* 3. c. 54. Hæc Gavantus; & videri etiam poteſt Meratus *tom.* 1. *in Gavant. part.* 1. *in præliminar. nu.* 95. Pro multiplici lectione, & pro *flectamus genua* quid notandum? Vid. dicta tr. 1. in Septembr. 1. par. Sect. 5. ſubſ. 2. ubi de Miſſa Quatuor Temporum §. 1. & 3.

In Evangelio hujus feriæ IV. poſt Dom. IV. Quadrag. ad illa verba: *& procidens adoravit eum*. Celebrans in Miſſa privata genuflectit verſus ipſum librum unico genu. *Rubr. gen. Miſſ.* tit. 17. n. 1. dum autem genuflectit innitur altare, utraque manu hinc illinc extenſa. In Miſſa vero ſolemni Celebrans genuflectit verſus Altare, dum Diaconus cantat prædicta verba; ſimiliter & omnes alii præterquam Diaconus, qui genuflectit verſus librum, Subdiaconus vero tenens librum, & Acolythi tenentes Candelabra omnino non genuflectunt. *Rubr. cit. nu.* 4. confer dicta tr. 1. 25. Decembr. n. 70.

ARTICULUS IV.

Not. Fer. VI. poſt Dom. IV. Quadrageſimæ.

De Pſalmis Pœniten. Litan. & Miſſa.

PRO Pſalmis pœnitentialibus, & Litaniis vide dicta 1. part. cap. 3. num. 11. & 13. 8

Tradit Meratus *to.* 1. *part.* 1. *tit.* 14. *n.* 1. *fine;* Miſſam propriam de Corona ſpinea in hac feria ſexta ante Dominicam Paſſionis conceſſam in

Ec-

Eccleſia Canoniſtarum Regularium Lateranenſium Terræ Viturclani Diœceſis Balneoregienſis, ex Decr. S.C.R. 3. Martii 1731. legi poſſe a quibuſlibet Sacerdotibus in laudata Eccleſia hodie celebrantibus; quod cæteroqui non liceret ex decreto S.R.C. a nobis allegato tr. 1. l. 1. c. 2. n. 53.

ARTICULUS V.

Not. in Sab. poſt Dom. IV. Quadrag.

SECTIO I.

De Horis Canonicis.

9 SABBATUM poſt Dom. 4. Quadrag. & ante Dom. Paſſionis vocari ſolet Sabbatum: *Sitientes:* quia ſic incipit Introitus Miſſæ hujus diei: ut notat Gavantus *in Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 6 *c.* 11. *n.* 16.

Si alicubi cras occurrat apud privilegiatos dies octava, officium Octavæ ceſſat ad Nonam hujus Sabbati, ex decr. S.C.R. (v. die ſeq.) Ab hoc Sabbato, ſeu a 1. Veſperis Dominicæ Paſſionis incluſive uſque ad feriam ſecundam poſt Octavam Pentecoſtes excluſive ceſſant commemorationes conſuetæ de Cruce, de S. Maria, & aliæ in Pſalt. poſitæ. *Rubr. Brev. hic:* Rationem pro tempore Paſſionis dat Durandus *in Rat. l.* 6. *c.* 60. *n.* 5. & ex eo Gavantus *in Rubr. Brev. ſect.* 5. *c.* 18. *nu.* 17. videlicet ut tempore Paſſionis uni Chriſto Crucifixo vacemus:

10 Ad Completorium in Reſponſorio brevi non dicitur: *Gloria Patri;* ſed repetitur ℞. in officio feriali uſque ad fer. v. in Cœna Domini. *Rubr. Brev. hic.* Quare autem taceatur? explicabimus ſequ. c. 6. n. 3.

Si in hoc Sabbato recitatum fuerit officium ſemiduplex, adhuc tacetur *Gloria Patri* ad Completorium in Reſponſ. brevi. Gavant. *in Rubr. Brev.* ſect. 6. c. 12. n. 8. Idem dic de 1. Veſperis Dominicæ Palmarum. Neque obſtat 1. ex Gavanto, (cui tamen contradicit Guyetus) recitandum eſſe *Gloria Patri* ad Completorium Dominicæ Paſſionis, ſi ſequantur ſemiduplex, ut ibi dicemus; nam diſparitas ex eodem Gavanto eſt, quia in ſecundis Veſperis Dominicæ Paſſionis inchoato feſto, per commemorationem ſemiduplicis, ea, quæ ſequuntur, feſtiva cenſentur. At in primis Veſperis Dominicæ Paſſionis Completorium ſequens habet magis de ratione Dominicæ inhoatæ in Veſperis, quam de ratione feſti jam finiti. Ergo recte omittitur *Gloria Patri* prædicto loco; Ita Gavant. *loc. cit. num.* 8.

Neque obſtat 2. in officio ſemiduplici de B. Virgine, quod a Regularibus ex privilegio fit in Sabbato, ſi in 2. Veſperis fiat de eo commemoratio, variari nihilominus finem hymnorum, & dici adhuc in Veſperis, & in Completorio in fine hymnorum: *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine:* ut docet Gavantus *ſect.* 5. *c.* 6. *nu.* 15. & nos ex eo docuimus tr. 1. l. 2. in Sabb. art. 4. n. 36. Etenim aliud eſt, mutare formam glorificationis Trinitatis in fine hymni Completorii: qua in re nihil perit Officio Dominicæ, quod ejuſdem ſit proprium; aliud autem eſt omittere glorificationem eamdem in Reſponſorio brevi, quod eſt de proprio ritu Dominicæ Paſſionis. Ita quoque Gavantus *ſect.* 6. *loc. cit.*

SE-

Digitized by Google

SECTIO II.

De Collatione Ordinum.

11 Sabbatum ante Dominicam Paſſionis eſt de temporibus, quibus ex jure communi conferuntur Ordines Majores. Vid. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 2. *n.* 7. *fin.*, & dicta tr. 1. in Septembr. part. 1. nu. 39. & ſequentibus.

SECTIO III.

De velandis Crucibus, & Imaginibus.

12 In Sabbato ante Dominicam Paſſionis *ante Veſperas cooperiuntur Cruces, & Imagines. Rubr. Miſſ. poſt Miſſam hujus Sabbati:* ſeu antequam recitentur Veſperæ in Choro. *Cærem. Epiſcop. lib.* 2. *c.* 20. Gavant. *in Rub. Miſſ. par.* 4. *tit.* 7. *n.* 1. Caval. *to* 4. *cap.* 18. *comment. in decr.* 7. *n.* 2. Velantur autem velo violaceo: niſi quod Velum Crucis Altaris, in quo celebratur Miſſa ſolemnis fer. v. Cœnæ mutatur in album; ſicut etiam Altaris exiſtentis in loco, ubi peragitur ſolemnis lotio pedum: In nigrum vero fer. vi. in Paraſceve, velum Crucis Altaris, in quo illius feriæ officium celebratur, ut ibi dicetur. Teguntur Cruces uſque ad prædictam feriam Paraſceves, ſeu uſque ad adorationem ſolemnem Crucis. Imagines vero aliæ uſque ad Sabbatum Sanctum ante Miſſam, vel *Gloria in excelſis:* ut ibi dicetur, & explicabitur. Vide tamen dicenda fer. v. Cœnæ ſubſ. 6. n. 169. & fer. vi. Paraſcev. ſubſ. 5. §. 8. n. 232.

In primis Veſperis Dominicæ Paſſionis non ſolum Cruces, & Imagines Salvatoris, ſed etiam Icones Altarium, & omnes Imagines Sanctorum tegi debent. S. R. C. 4. Auguſti 1663. in una *Dalmatiar.* apud Caval. *tom.* 4. *c.* 18. *d.* 8. Multo magis tegenda ſunt Imaginum ipſarum archetypa, videlicet corpora Sanctorum, aut horum partes ſaltem non exiguæ. Docet item Caval. *loc. cit. num.* 2. nomine Imaginum, quæ hoc tempore tegendæ mandantur, non incongrue intelligi, typos etiam quoslibet, adumbrationes, atque figuras; unde monet, tegendam eſſe Crucem, quæ ſi non Crucifixum, typum autem aliquem tenet Salvatoris, puta Agnum.

An autem tegendæ ſint Cruces nudæ, & ſimplices, hoc eſt, quæ nec Crucifixum, nec typum aliquem ſuſtineant Salvatoris? negat Cavalerius: 13
quia licet Crux, & ipſa ſit imago Chriſti Crucifixi, verius tamen mere eſt inſtrumentum Dominicæ Paſſionis, ad quam recolendam, Paſſionis tempus eſt potiſſimum conſecratum; & ad eamdem Crucem Eccleſia præ cæteris temporibus ſpecialiter dirigit preces ſuas.

At hæc ratio videtur probare, non opus eſſe, tegere Cruces, ſed ſolum Imagines Crucifixi. Conſuetudo autem, quæ eſt optima legum interpres, dum non ſolam Imaginem Crucifixi tegit in Cruce, ſed & Crucem ipſam velat, & velatam quidem eam eſſe, ſupponit Rubrica Miſſalis, ubi de adoratione Crucis fer. vi. in Paraſcev. præſcribens primo diſcooperiri parum a ſummitate; &, ut ibi ex eodem Cavalerio docebimus: primo diſcooperienda eſt a ſummitate parum ita; ut Crucifixi caput non appareat; & ipſe Caval. concedit, velandas eſſe Cruces tenentes effigiem Crucifixi: Conſuetudo, inquam, prædicta videtur, legem velandi Cruces,

Digitized by Google

interpretare de velanda Cruce etiam ratione ſui, & non ſolum ratione Crucifixi. Et quidem ſi Cruces habentes effigiem Crucifixi, velandæ ſunt non ratione ſui, ſed ratione Crucifixi: non videmus, cur in iiſdem Crucibus, non ſufficiat Imaginem tantummodo tegere Crucifixi? Deinde, quantumvis tempus hoc Paſſionis huic recolendæ ſit ſpecialius ab Eccleſia dedicatum, & ad Crucem, preces præ temporibus cæteris dirigantur, nihilo tamen minus ex ejuſdem Eccleſiæ inſtituto, commemoratio Crucis hoc eodem tempore ceſſat una cum aliis commemorationibus communibus Sanctorum, ſeu ſuffragiis, atque adeo, ut ita dicam, ipſa Crucis commemoratio tegitur. Rurſus, ſecundum ſuperius dicta ſect. 1. ratio, ex qua tempore Paſſionis omittuntur commemorationes prædictæ, ex Durando, & Gavanto eſt, ut hoc tempore uni Chriſto Crucifixo vacemus: & eo non obſtante, hoc eodem tempore Crucifixi imago velatur.

Igitur propius ad ſenſum legis de velandis Crucibus accedemus, ſi dixerimus: ipſas velandas Cruces etiam nudas, & ſimplices, hoc eſt, licet non ferant imaginem Crucifixi.

Illud autem, quod etiam Caval. affirmat ibidem: poſſe hoc tempore patenter exponi veram Crucem ipſam, ſeu Reliquiam Sanctæ Crucis: utique id conſuetudo permittit.

34 *Sabbato Paſſionis debent velari Imagines, & Cruces, etiamſi occurrat eo die feſtum Sancti Titularis, vel Patroni Eccleſiæ.* S.R.C. 16. Novembr. 1649. in *Januen.* apud Caval. *tom.* 4. *cap.* 18. *d.* 7. Itaque in Sabbato ante Dominicam Paſſionis teguntur Cruces, & Imagines ante Veſperas, ſive hæ ſint de tempore, ſive de feſto occurrenti in hoc eodem Sabbato (nam feſtum incidens in Dom. Paſſ. transfertur, quemadmodum cras notabimus) ut enim animadvertit Caval. l. cit. n. 3. fine, quæ innitantur myſteriis, & hujuſcemodi myſteriis Eccleſiæ toti communibus, communem etiam obſervantiam expoſcunt, a qua declinare non valent particulares Eccleſiæ ob particularem quamcumque rationem. Jam vero ut idem Caval. *Comment. in decr. 9. nu.* 1. obſervat: tempus Paſſionis conſecratum eſt doloroſæ recordationi Paſſionis Chriſti, qui ſicut media Paſſione ſalutem omnium noſtrum operatus eſt, factuſque eſt communis omnium Redemptor, ita etiam triſtitiæ argumenta (cujuſmodi eſt ritus iſte, de quo agimus, ut infra notabimus:) quæ ad recolendam ejuſdem Paſſionem invexit Eccleſia, Eccleſiis omnibus debent eſſe communia, abſque eo quod earumdem aliquæ, ob particulares ſpeciales rationes, valeant diſcrepare. Et ideo *Imagines, & Cruces detegi non debent, etiamſi in hebdomada Paſſionis occurrat feſtum Sancti Titularis, aut Dedicationis Eccleſiæ.* S.R.C. Novembr. 1649. in *Januen.* apud Caval. d. 9. Qui tamen to. 4. c. 20. fine, putat, ac docet in dicto caſu, Imagines, ſeu ſtatuas Sanctorum contegi poſſe velo raræ adeo texturæ, ut eadem facile inſpici valeant; imo certe convenire, quod non ſit ſaltem adeo denſæ, ut ipſas Statuas, vel Imagines ita occultet, ut populis nullatenus transluceat, quod per Proceſſionem (quæ fieri permittitur in prima hebdomada Paſſionis, etſi non in ſecunda, in honorem Sanctorum, ut ſuo loco diceretur:) defertur, aut ſpecialiter proponitur adorandum.

Cor-

Digitized by Google

15 Corpora Sanctorum, & horum partes ſaltem non exiguas, ſignificavimus ſtis c., eſſe tegenda tempore Paſſionis; an autem diſcooperiri poſſint, occurrente feſto ſolemni illius Sancti, cujus ſunt Reliquiæ? negat Caval. *cit. cap.* 20. *Comment. in decr.* 45. & merito, nam ſi in dicto etiam caſu diſcooperiri non valet Altaris Icon, aut ejuſdem Sancti Imago, ſive ſtatua, multo minus detecta apparere debent Sanctorum Corpora, & horum partes ſaltem non exiguæ, quæ cum ſpectent ad veritatem humani corporis, ſunt Imaginum ipſarum archetypa. Quas tamen Reliquias permittit idem Caval. extra triduum mortis Chriſti exponi per remotionem ſolius repaguli, itaut ipſæ maneant in loco, in quo cuſtodiri ſolent, & adhuc per velum coopertæ. Rurſus, concedit, exponi poſſe etiam ſine velo, Sanctorum Reliquias, minus proprie tales, puta veſtes, aliaſque res, quibus dum viverent, utebantur Sancti. Vide eumdem *tom.* 1. *c.* 4. *a n.* 10. Similiter concedit, exponi poſſe detecta Iaſtrumenta Dominicæ Paſſionis, & alias Reliquias Chriſti, quæ nec Imago ſunt, neque ullius Imaginis locum reipſa tenent. Denique exiſtimat devotionis gratia fidelium, qui Sanctum, cujus feſtum agitur, veneraturi accurrant, tolerari poſſe, quod Reliquiæ illæ exiguæ, etſi ſint ex pertinentibus ad integritatem corporis, quæ fidelium oſculis exhiberi ſolent, ſuper Altare exponantur detectæ, & exhibeantur eorumdem fidelium oſculis abſque ullo velo, cum ſolo vitri repagulo.

16 Nec quidem mutari poteſt (excipe feriam V. in Cœna, & feriam VI. in Paraſc. ut jam dictum eſt) color veli ex violaceo in alium colorem convenientem occurrenti feſto: ut ex praxi Eccleſiarum, & communi Auctorum ſenſu ſtatuit Caval. *in cit. decr.* 9. *n.* 2. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *nu.* 1. Porro color veli Crucis, & Imaginum non attinet ad feſta occurrentia, ſed ad myſterium, quod ab Eccleſia repræſentatur.

Velum, quo teguntur Imagines, non debere ſecum habere aliam Imaginem, monet Gavantus *l. ſupra cit.* nec non Meratus *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 1. *&* *to.* 2. *Sect.* 6. *c.* 12. *n.* 1. *fine*. Idque ex ſe evidens eſſe ait merito Caval. *in decr.* 9. *fine*: Sed nos vidimus hujuſcemodi velamina in nonnullis Eccleſiis habentia depicta myſteria Paſſionis Domini: puta Chriſtum ſpinis coronatum, flagellis cæſum &c. quod utique, tanquam ex imperitorum arbitrio dimanatum, reprehendendum putamus, cum, pro præſenti tempore, ab Eccleſiæ mente, & lege abhorreat. Et quamvis Sacrarum Imaginum uſum maxime & pro omni tempore commendemus, privatæque devotioni etiam pro præſenti liberum relinquamus; at in publico Eccleſiarum cultu ab ipſis Eccleſiæ legibus omnino diſcedendum non eſſe arbitramur: atque huc aptari poſſe putamus ſenſum Decreti S. C. R. 29. Januar. 1752. in una Ord. Carmel. Excalc. Prov. Polon. ad 7. dub. *Non ſunt violandæ Rubricæ imperitorum Laicorum cauſa*. 17

Profecto Cruces, & Imagines toto Paſſionis tempore conteguntur ad luctum, & mœſtitiam indicandam; & in ſpecie, ut hoc ritu ſignificetur: jam Chriſtum non in palam ambulaſſe apud Judæos hoc tempore, & abſcondiſſe ſe: quemadmodum in Evangelio Dominicæ Paſſionis dicitur; 18

ut obſervat Gavantus l. ſupra cit. & ſavet, quod antiquitus in Cappella Papali nonniſi ad illa Evangelii verba: *Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de Templo*; cooperiebantur Imagines: unde in Cæremoniali Romano Marcelli Corcyrenſis *l.* 2. *cap.* 38. ſic legitur: *Cum in fine Evangelii dicitur*: Jeſus autem abſcondit ſe, &. exivit de Templo: *Clerici Cappellæ, ſuper Altare velum paratum cordulis in rotulis ſupra in altum confixis, euntibus, ſurſum trahunt, ut eo imagines omnes ibidem depictæ cooperiantur*. Aliam rationem aſſignat Durandus: *Quia tunc Divinitas fuit abſconſa, & velata in Chriſto; permiſit enim ſe capi, & flagellari ut homo, tamquam non habens in ſe virtutem Divinitatis, unde in Evangelio hujus diei (Dominicæ Paſſionis) dicitur: Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de Templo*.

Cooperiuntur Imagines etiam Sanctorum: haud enim eſt decens, ut publice pateant, & ſolemniter appareant ſervi, dum eorum Domino non eſt ſpecies, neque decor, & quaſi abſconditus vultus ejus, & putatus quaſi leproſus, & percuſſus a Deo, & humiliatus. Iſ. 53.

In Sabbato denique ante Dominicam Paſſionis cooperiuntur Cruces, & Imagines, antequam Veſperæ recitentur, quia dies Eccleſiaſticus in Divinis officiis communiter incipit a Veſperis diei præcedentis civilis; vide dicta tr. 1. c. 1. art. 1. n. 8.

Rupertus *lib.* 5. *de divin. Offic. c.* 1. & Durandus *in Ration. l.* 6. *cap.* 60. *n.* 1. probant in Veſperis Sabbati ante Dominicam de Paſſione coactum fuiſſe primo Concilium Judæorum adverſus Jeſum: quod veriſimile videtur Gavanto: *l. ſupr. cit. num.* 2. & hæc eſt alia congruentia, ut tegantur Cruces, & Imagines; quam aſſignat idem Rupertus l. cit. fine, ubi ſic concludit: *Nihil igitur obſtat, quia eodem Sabbato (cujus in Veſpera Dominicæ Paſſionis annuam inchoamus memoriam:) illud impiorum Concilium collectum fuerit; & quia ab illo die cogitaverunt, ut interficerent eum, idcirco in Veſpera, quaſi poſt horam ejuſdem Concilii, luctum publicum incipiat Eccleſia, ſuo Domino per omnia compatiens, ut corpus capiti*.

CAPUT VI.

Not. Tempore Paſſionis.

TEMPUS Paſſionis eſt tempus illud, quod complectuntur ultimæ duæ hebdomadæ Quadrageſimæ; quod tempus procul dubio tempus Paſſionis eſt nuncupatum, quia in eo peculiari modo, quam reliquo præcedenti tempore Quadrageſimæ, memoria mortis Domini recolitur, & myſteria Paſſionis ejus in Eccleſia, & eccleſiaſticis officiis celebrantur. 1

Ratio autem, propter quam hæ duæ fuerint hebdomadæ deſignatæ huic ſpecialiori memoriæ Paſſionis Dominicæ recolendæ, eſt ex Ruperto *de Eccleſ. offic. lib.* 5. *cap.* 1. quod earumdem initio coactum fuerit primum Concilium Judæorum, quorum Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Aliæ quoque myſticæ rationes videri poſſunt apud Amalarium *de Eccl. Officiis l.* 4. *c.* 20. Durand. *in Ration. lib.* 6. *c.* 60. *num.* 3. Honor. *in Gemma l.* 2. *c.* 70.

In prædictis duabus ultimis hebdomadibus Quadrageſimæ licet multa ſint propria unius, & non alterius; nonnulla tamen etiam habentur, quæ utri-

utrique conveniunt. Ideo antequam ſeorſum de prædictis hebdomadibus diſtinctis capitibus, ut in præcedentibus fecimus, agamus, ſatis congruum viſum eſt, ea, quæ utrique hebdomadæ conveniunt, majoris claritatis gratia in communi quodam capite notare, quod præſtabimus hic Articulis III. In Art. I. agemus de Horis Canonicis. Art. II. De Miſſa. Art. III. De velandis Cruc. & Imagin.

ARTICULUS I.

De Horis Canonicis.

1 ETSI tempus Paſſionis ſit tempus illud, quod complectitur quinta, ſeu penultima, & ſexta, ſeu ultima hebdomada Quadrageſimæ: nihilominus, cum ultima hebdomada proprio ſpeciali nomine dicta fuerit, & etiamnum vocetur *Hebdomada ſancta*: inde eſt quod ſub nomine *Hebdomadæ Paſſionis* prior tantum ex illis uſuvenit.

Jamvero a Veſperis Sabbati præcedentis hebdomadam Paſſionis non fieri ſuffragia, in ſuperibus notatum eſt. Ad Completorium in ℟. br. non dici: *Gloria Patri*: in officio feriali uſque ad feriam v. in Cœna Domini, notavimus quoque in prædicto Sabbato. Omittitur item in Officio de tempore uſque ad Nonam incluſive Sabbati majoris hebdomadæ: *Gloria Patri*: in ℟. ad Matutinum, & ℟℟. brevibus Horarum, & in illis ſimiliter repetitur Reſponſorium ut in Breviario. *Rubr. Brev. in Dominica Paſſionis*; *& in Rubr. gen. tit.* 28. *n.* 2. Omitti quoque: *Gloria Patri*: in Invitatorii fine, ſtatim notabimus. Tacetur autem: *Gloria Patri*: ad triſtitiam denotandam. Vid. Rupert. *de Divin. offic. l.* 5. *c.* 2. Gavant. *in Rubr. Brev. ſect.* 5. *c.* 13. *n.* 3. Bened. XIV. *de Miſſa ſect.* 1. *cap.* 11. Et alteram rationem adhuc aſſignabimus cap. S. art. 3. ſect. 1. n. 16. & videri etiam poteſt Durand. *in Ration. l.* 6. *c.* 60. *n.* 4. Ante ultimum Triduum vero majoris hebdomadæ non omnino t... tur: unde recitatur in fine Pſalmorum, & alibi: idque ad ſignificandum: nondum eſſe triſtitiam ſummam, & omnimodam: quia nondum recolitur, ſeu repræſentatur Chriſtus paſſus, crucifixus, mortuus, & ſepultus; ſed ſolum recoluntur cogitationes, & Concilia Judæorum de Chriſto crucifigendo, & occidendo. Vid. Rupert. loc. cit.

3 Ad Matutinum in Officio de Tempore Invitatorium: *Hodie ſi vocem Domini &c.* quod dicitur a Dom. Paſs. uſque ad fer. v. in Cœna Domini. In Pſ. *Venite exultemus*: verba illa: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*: omittuntur, quia jam dicta ſunt a Choro repetente Invitatorium integre: *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Proſequitur ergo altera pars Chori: *ſicut in exacerbatione &c.* In fine hujus Pſalmi a Dominica Paſſionis uſque ad feriam quartam incluſive hebdomadæ majoris, non dicitur: *Gloria Patri*: niſi in feſtis, ſeu in officiis Sanctorum; ſed repetitur Invitatorium, ut alias in fine. *Rubr. Brev. in Dom. Paſſionis*. Hoc eſt poſt ultima illa verba Pſalmi: *Si introibunt in Requiem meam*: dicitur Invitatorium: *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*: & ſtatim repetitur integre: *Hodie ſi vocem Domini audieri-*

tis

tis, nolite obdurare corda veſtra : ita ut una cum *Gloria Patri* ; omittatur medietas illa Invitatorii, quæ extra tempus Paſſionis poſt *Gloria Patri* ; dicitur : id autem conſtat ex ſequenti declaratione S. C. *Nomine Epiſcopi Ruremundæ quæſitum fuit a S. R. C. declarari : an Invitatorium :* Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra : *tempore Paſſionis in Quadrageſima debeat cantari, ſicut alia Invitatoria extra tempus Paſſionis, ſcilicet ſexies integre, & ter imperfecte, hoc modo poſt verſum :* Quadraginta annis proximus fui &c. Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra ; *& omiſſo* Gloria Patri &c. Nolite obdurare corda veſtra ; *& iterum repetatur integre :* Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare &c. ? & S. R. C. reſpondit : *omiſſis* Gloria Patri &c. & Nolite obdurare corda veſtra : *repeti debere integre Invitatorium :* Hodie ſi vocem Domini &c. Ita S. R. C. 4. Julii 1683. in *Ruremunden.* apud Caval. *tom.* 2. *cap.* 34. *dec.* 2.

4 In Paſſione legitur Jeremias, quia multa narrat de eadem. Amalar. *lib. de Ordine Antiphonarii c.* 76. Rupert. *de divin. offi. lib.* 5. *c.* 3. Honorius in *Gemma l.* 3. *c.* 70. Hugo Victor *in ſpecul. Eccl. c.* 4.

Hymni, Verſic. & ℞℞. brevia poſita in officio Dominicæ Paſſionis dicuntur etiam in Dominica Palmarum, & in feriali officio uſque ad feriam quartam majoris hebdomadæ. *Rubr. Brev. in offic. Dom. Paſſ. & in Rubr. gen.* tit. 28. n. 4.

Ad abſolutionem Capituli lect. br. *Faciem meam* a Dom. Paſſionis uſ ad fer. v. in Cœna Domini excluſive, in officio de Tempore. Capitula poſita in officio feriæ 2. poſt Dom. Paſſionis dicuntur in feriali officio uſque ad feriam IV. majoris hebdomadæ incluſive. Antiphonæ vero per horas uſque ad Dominicam in Palmis : *Rubr. Brev. in offic. fer.* 2. *poſt Dom. Paſſ.*

5 Eccleſia in hymno *Vexilla Regis* : canit : *Impleta ſunt quæ concinit David fideli carmine, dicendo nationibus ; Regnavit a ligno Deus*. Jamvero quæres : ubinam extet hujuſmodi Davidicum teſtimonium ? Nam in Pſalmis non apparet ; nec aſſignari poteſt alius locus in vulgata editione latina, ubi legantur prædicta verba : *Regnavit a ligno Deus*.

Paralip. 1. c. 16. v. 31. ait David : *Lætentur Cæli, & exultet Terra : & dicant in nationibus : Dominus regnavit*. Et Pſ. 95. v. 9. dicitur. *Commoveatur a facie ejus univerſa terra : dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*. Jamvero hæc ultima verba veteres Patres legerunt ſic : *Dicite in gentibus quia Dominus regnavit a ligno*. Sic legit Tertul. lib. adverſus Judæos c. 10. ubi ait. *Age nunc ſi legiſti penes Prophetam in Pſalmis : Dominus regnavit a ligno*. Et c. 13. *Ipſe David regnaturum ex ligno Dominum, dicebat*. Et adverſus Marcionem *l.* 3. *c.* 12. *Age nunc, ſi legiſti penes David : Dominus regnavit a ligno*. Ita etiam legerunt Auguſtinus in *Pſ.* 95. Gregorius Magnus *homil.* 6. *in Ezechiel*. Bernard. *ſerm.* 1. *in die S. Paſchæ de ſeptem ſignaculis*, poſt initium ; & alii Patres apud Azor. & Lorinum.

6 Sunt ergo primo qui putant, vocem *A ligno* extitiſſe olim in textu hebraico, ſed Judæorum malitia expunctam eſſe ; in quorum ſententiam inclinat Joannes Lorinus *explan. in pſ.* 95. v. 10. Alii ſecundo reſpondent dicendo duplicem fuiſſe lectio-

nem

Digitized by Google

nem hebraicam, unam ſine voce *a ligno*: alteram cum voce prædicta: nunc vero ſolum extare Codices voce illa *a ligno* carentes. Alii tertio reſpondent, vocem illam *a ligno* explicationis gratia addidiſſe veteres Patres, qui paraphraſtico more aliquando interponunt aliqua ad loca ſcripturæ obſcuriora illuſtranda: & ex illis deſumptam eſſe, ejuſmodi vocem: *a ligno:* & poſitam in Pſalterio veteri, ac Romano, (de quo Pſalterio vid. 6. Januarii n. 29.) & Eccleſiaſtico hymno prædicto. Huic tertiæ ſententiæ adhærere videtur Azorius *Inſtit. moral. par.* 2. *l.* 1. *c.* 16. *qu.* 9. Favet exemplum, quod nunc habemus in oratione officii ſeptem Dolorum B. M. V. in qua ſic orat Eccleſia: *Deus, in cujus paſſione ſecundum Simeonis prophetiam, dulciſſimam animam glorioſæ Virginis, & Matris Mariæ doloris gladius pertranſivit &c.* At vero in prophetia Simeonis non adeſt ly *doloris:* ſed ſimpliciter *gladius:* Luc. 2. c. 2. v. 34. & 35. Additum eſt igitur ab Eccleſia ly *doloris:* ad explicandum, quinam fuerit gladius, qui Virginis animam pertranſierit? nimirum gladius metaphorice talis, videlicet maximus ille dolor animi, quem amantiſſima Mater fuit experta in paſſione, & morte filii ſui. Ex hiſce tribus ſententiis magis arrident mihi primæ duæ, utraque enim agnoſcit extitiſſe in Codicibus Hebraicis ſive in omnibus, ſive in pleriſque, certe receptis, vocem *A ligno.* Niſi enim ita fuiſſet, nec Tertullianus, neque alii Patres tam confidenter urgere potuiſſent Judæos ad agnoſcendam Chriſti crucifixi divinitatem ex verbis ipſis Davidicis: nam ſi illa verba ipſi de ſuo addidiſſent; præſumptum ab ipſis ſenſum facile elidere potuiſſent Judæi.

Quod autem Eccleſia potuerit ſimpliciter tanquam ex Simeonis Prophetia appellare *Gladium doloris*, quem Simeon *Gladium* dixerat dumtaxat; non evincit, idipſum potuiſſe efficere Patres in propoſita materia. Primo quia multo præciſior, & clarior, & ineluctabilis oportet ſit ſenſus ſcripturarum, quando adhibentur ad confundendos Judæos, & alios Infideles; ac quando exponuntur fidelibus & Catholicis, paratis excipere quamcumque interpretationem proponat ipſis Eccleſia: ſecundo quia in Prophetia Simeonis tam clarum eſt, ſermonem ibi eſſe de Gladio metaphorico, ſcilicet doloris Animi; quam clarum eſt, Gladium materialem non poſſe pertranſire ſpiritualem animam; præterea cuicumque notum eſt, B. Virginem nullis Impiorum gladiis occubuiſſe, ut optime animadvertit Beda l. 1. c. 7. in 2. Luc. Et Origenes hom. in c. 2. Luc. ad verba illa. *Et erant Pater ejus, & Mater mirantes.* Et Ambroſius *l.* 2. *in c.* 2. *Luc.* & S. Joan. Damaſc. *l.* 4. *Orat. fid.* c. 15. Contra vero num non poterat alia ratione regnare Deus, niſi ligno confixus? Atque id demonſtrare debuiſſent Patres; ſi ajente Davide, *Regnavit Deus*, intelligendum ipſi omnino contenderent: *Regnavit a ligno.* Quantæ ergo arrogantiæ confundere potuiſſent Tertullianum Judæi, ajentem: *Age nunc ſi legiſti penes Prophetam in pſalmis Dominus regnavit a ligno*: cum nihil tale dixiſſe Propheta legeretur in Pſalmis?

A R-

ARTICULUS II.

De Miſſa.

7 A Dom. Paſſionis uſque ad Sabbatum Sanctum excluſive in Miſſa de tempore non dicitur Pſalmus: *Judica me:* ante Confeſſionem. *Rubr. Miſſal.* hìc.

A prædicta Dominica ad Introitum non dicitur: *Gloria Patri*: uſque ad Paſcha: niſi in Miſſa de feſto, ſi occurrerit; ſed finito Pſalmo abſolute repetitur Introitus uſque ad Pſalmum: *Lavabo:* prætermitur: *Gloria Patri: Rubr. Miſſ.* hìc, *& in Rubr. gen. tit.* 8. *n.* 1. *& de rit. celebr. tit.* 7. *n.* 6.

Tacetur autem: *Gloria Patri*: Paſſionis tempore ob rationem ſupra ſignificatam art. præc. nu. 2. Omittitur pſalmus: *Judica me Deus*: quia non convenit tempore, quo mœſtitiam quærimus, a ſe mœſtitiam expellere dicendo *quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?* Vid. *Tournely de Euch. qu.* 8. *art.* 13. §. *de pſalmo Judica*.

8 Tempore Paſſionis in Miſſis de feſto, & votivis (quando permittuntur) dicitur pſalmus: *Judica me Deus:* & *Gloria Patri*: ad Introitum, & *Lavabo*. An autem dicendus ſit pſalmus prædictus, & *Gloria Patri* in Miſſis votivis de Paſſione, & de Cruce, quæ legantur hoc tempore? Hippolytus Tonellius in *Enchiridio de Cærem. Miſ. lib.* 2. *c. un. n.* 1. citat Gavantum, & Bauldr. affirmantes recitari debere: contra alios, qui negant quo ad Miſſam Paſſionis, eo quod vere ſit Miſſa de tempore, licet non ſit de die, & Rubrica præſcribit pſalmum omittendum eſſe in Miſſa de tempore; quibuſcum ſentire videtur ipſe Tonellius. Verum ſententia contraria mihi eſt probabilior; in Rubricis enim per Miſſas de tempore venire videntur tantummodo, quæ in corpore Miſſalis ponuntur, ut tali determinato tempore Paſſionis leguntur; & ſic Miſſa votiva etiam de Paſſione, adhuc Paſſionis tempore lecta non eſt Miſſa de tempore in ſenſu Rubricæ, & ita cum aliis docet Meratus *tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 4. *nu.* 29. *&* 38. *& par.* 2. *tit.* 3. *n.* 15. *& tit.* 7. *n.* 27. *& par.* 4. *tit.* 7. *n.* 2. quibus adhæret etiam Caval. *to.* 5. *c.* 13. *n.* 24. Idipſum docent La Croix loco ſtatim laudando, & alii. Animadvertunt autem Merat. *cit. nu.* 29. Caval. & alii, quod etſi id definitum fuiſſe dicatur a S. R. C. anno 1647. die 10. Februarii per Decretum hujus tenoris: *In Miſſis votivis de Paſſione, vel de Cruce, quæ dicuntur infra hebdomadam Paſſionis*, non eſt omittendus pſalmus: Judica me Deus: *neque* Gloria Patri *ad Introitum*, & Lavabo; *licet hæc omnia omittantur in Miſſa de Tempore*. S. R. C. 10. Febr. 1647. apud Hagerer relatum a Merato; & apud La-Croix in ſuo *indic. decret. n.* 226. quod idem Decretum La-Croix etiam allegaverat *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 72. §. 8. *n.* 504. animadvertunt, inquam, illud Decretum debita legitimitate carere: eo quod non reperiatur in Regeſtis S. C. R. concedunt tamen, doctrinam eſſe veriſſimam; & potius doctrinam prædictam confirmari volunt per Decretum quoddam S. C. R. quoad Miſſam ſeptem dolorum Beatæ Virginis emanatum, quod proferemus in feria VI. poſt Dominicam Paſſionis ſubſ. 2. nu. 20. In quo quidem decreto declaratur: in prædicta Miſſa dicendum *Gloria Patri* ad Introi-

troi-

troitum, & recitandum Pſalmum *Judica me Deus* ad Confeſſionem.

9 A Dominica Paſſionis uſque ad fer. v. in Cœna Domini in Miſſis ferialibus poſt orationem diei additur altera tantum oratio pro Eccleſia, vel pro Papa, & non dicitur tertia oratio. *Rubr. Miſſ. ibi : & In Miſſis ferialibus, quæ contingunt a Dominica Paſſionis ad feriam v. in Cœna Domini, ſi facienda obveniat commemoratio de ſimplici, omittenda eſt tertia oratio, quæ pro ſecunda aſſignatur in Miſſali, nempe pro Eccleſia, vel pro Papa*. S. R. C. 22. Novembr. *1659. in una Rubricarum;* apud Meratum *indic. Decret. Miſſ. nu.* 375. & alias iterum, iterumque Decretum apud eumdem Meratum *cit. ind. n.* 700. Confer eumdem *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *nu.* 4. & dicenda lib. 5. par. 2. in ejus 2. par. c. 2. n. 2.

Animadvertendum vero eſt ex eodem Merato cit. n. 4. fine, quod ſi hoc Paſſionis tempore accidat, eſſe præſcripta a Superioribus Collecta, ſeu Oratio pro aliqua neceſſitate: hæc recitanda eſt in Miſſa tertio loco poſt Orationem *Eccleſiæ* : ſeu de tempore, quæ non poteſt omitti, cum ſit præſcripta ex Rubr. & ſimiliter faciendum quovis alio tempore, nullam ex orationibus ex Rubrica præſcriptis omittendo, cauſa Collectæ a Superioribus præceptæ, ut ex S. R. C. declaratum notavimus tr. 1. 2. Febr. n. 62.

Notat Gavantus *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 9. *nu.* 4. numerum orationum minui in Miſſa hoc Paſſionis tempore ob eamdem rationem, ex qua, juxta Durandum, ceſſant in officio Suffragia Sanctorum, ut ſcilicet noſtra intentio feratur in Chriſtum ſolum, ſpes noſtra feratur in unicum ejus ſingulare refugium; utque uni Chriſto Crucifixo vacemus; Etſi, ad ferialem ritum ſervandum admiſſa fuerit oratio altera, nempe *Eccleſiæ:* vel pro Papa; Pro Eccleſia autem tempore Paſſionis orari, eo quod Chriſtus ſanguine ſuo fundaverit eam: inquit Caval. *tom.* 3. *c.* 8. *in decr.* 1. *num.* 16.

A Dominica Paſſionis uſque ad feriam v. in Cœna Domini in Miſſis etiam de feſto, vel votivis, non habentibus Præfationem propriam, dicitur Præfatio de Cruce, niſi feſtum habeat Præfationem propriam, ex *Rubr. Miſſ.* Videri poteſt Caval. to. 5. c. 14. n. 19. An, & quale peccatum ſit, omittere Præfationem propriam; ſive temporis, puta Paſſionis, ſive feſti occurrentis? & an ſuppleri debeat, ſi oblivione omittatur, ubi error deprehendatur? Videbimus in Domin. Reſurr. art. 3. qu. 1. & 2. 10

ARTICULUS III.

De Velandis Crucibus, & Imaginibus.

QUÆ notanda ſunt pro velandis Crucibus, & Sanctorum Imaginibus tempore Paſſionis diximus in Sabb. poſt Dom. 4. Quadrag. quod eſt ante Dominicam Paſſionis ſect. 3. 11

CAPUT VII.

Not. in Hebdom. V. Quadrageſimæ, quæ dicitur Hebdom. Paſſionis.

HEBDOMADA v. Quadrag. eſt de tempore Paſſionis ob rationem, quam innuimus cap. præced. num. 1. & ipſa dicitur ſpecialiter hebdomada Paſſionis ob rationem ibidem aſſignatam art. 1. n. 2. 1

In hac hebdomada aliqua notanda ſunt generaliter in tota hebdomada; alia particulariter in ſingulis ipſius diebus. Ideo Caput hoc in duos articulos ſubdividimus, in quorum primo agemus de iis, quæ in genere notari debent, in tota hebdomada. In 2. de aliis, quæ in particulari, ſeu in ſingularibus ipſius diebus. Sit ergo

ARTICULUS I.

Not. in Hebdomada Paſſionis in Genere.

De Horis Canonicis.

2 QUÆ notari debent in tota Hebdomada Paſſionis in genere pro horis Canonicis, habes cap. præc. art. 1. Solum nota hic: Reſponſorium primum primi Nocturni Dominicæ Paſſionis non repeti in ulla feria ejuſdem hebdomadæ: ne ſcilicet extra illam diem enuncietur quod unice proprium eſt hujus diei, illis verbis: *Quartadecima die ad Veſperum Paſcha Domini eſt: & in quintadecima ſolemnitatem celebrabitis Altiſſimo Domino.*

De Miſſa.

3 PRÆTER ea, quæ dicta ſunt cap. præc. art. 2. quæ habet hebdomada Paſſionis communia cum hebdomada majori, notanda ſunt ſequentia ſpecialiter in hac hebdomada. *In Miſſa ſolemni, (ſeu Conventuali) de feria, commemoratio non eſt facienda de Sancto ſemiduplici occurrente, cujus Miſſa pariter cantanda eſt abſque commemoratione feriæ, & in utraque Miſſa tempore Paſſionis dicenda eſt tantum ſecunda oratio* Eccleſiæ; *vel pro Papa, ut docet Gavantus (in Rubr. Miſſ. par. 1. tit. 9. n. 4.) In Miſſis autem privatis de feſto ſemiduplici, cum ſit clara diſpoſitio Rubricæ* IX. *de oratione n. 5. dicenda eſt ſecunda Oratio de feria, tertia* Eccleſiæ: *vel pro Papa; de ſimplici vero facienda eſt commemoratio juxta eamdem Rubricam*. S. R. C. 10. Januar. 1693. in una Galliarum apud Merat. *ind. decret. Miſſ. n. 506.*

Igitur in Semiduplicibus a Dom. Paſſionis ad Dominicam Palmarum dicuntur tres Orationes, 1. de feſto, 2. de feria, tertia de tempore: *Eccleſiæ*: vel pro Papa; quæ tamen omittitur, ſi facienda ſit aliqua commemoratio, puta ſimplicis occurrentis. *Rubr. gen. Miſſ. tit. 9. n. 5.* Merat. *to. 1. par. 4. tit. 7. n. 4.* Similiter in Votivis tempore Paſſionis, in quibus tamen 2. or. erit conformis Officio; confer dicenda in Dom. Palmar. num. 113.

In Miſſis autem Conventualibus de feſto ſemid. & de feria duæ tantum Orationes dicendæ ſunt in hac hebdomada Paſſionis: nimirum in prima Miſſa de ſemiduplici 2. or. *Eccleſiæ*: vel pro Papa; & in 2. Miſſa de feria iterum 2. or. *Eccleſiæ*: vel pro Papa; licet ſi Apoſtolica Sedes non vacet, congruentius putet Meratus *par. 1. tit. 9. n. 6.* in una orationem: *Eccleſiæ*: in altera recitare pro Papa. Quod ſi occurrat commemoratio Simplicis, in Miſſa Conventuali de ſemiduplici 2. or. erit de ſimplici, & non dicetur or. *Eccleſiæ*: nec fiet commemoratio feriæ; in Miſſa vero Conventuali de feria non fiet commemoratio ſimplicis, nec ſemiduplicis, ſed dicetur 2. tantum or. *Eccleſiæ*: vel pro Papa; vide Merat. *cit. n. 6. & par. 4. tit. 7. n. 4.* verſus finem,

Digitized by Google

finem , §. *Dixi : in Miſſis privatis ;* ubi tamen ait , non deeſſe , qui in Miſſa Conventuali de feſto ſemiduplici , præter orationem de feſto ſimplici occurrenti , dicant etiam tertiam or. *Eccleſiæ ;* vel pro Papa .

In Cathedralibus , & Collegiatis habentibus privilegium , celebrandi Octavam in Quadrageſima , debet tempore Paſſionis , quando contingat fieri officium de infra octavam , unica Miſſa cantari de feria cum commemoratione diei infra octavam , & Præfatione de octava , ſi habeatur propria ; ex Decr. S. C. R. 23. Junii 1736. *Enſidlen* . apud Caval. *to.* 2. *c.* 15. *d.* 4. & *to.* 5. *cap.* 14. *n.* 56. *decr.* 11. & apud Merat. *in ind. Decret. Miſſ. num.* 687. Vid. dicta hoc l. 4. par. 1. c. 4. n. 11.

Si in Hebdomada Paſſionis celebretur Miſſa B. M. Virginis ſub invocatione *Septem Dolorum* in alia die , quam in feria ſexta , & celebretur ut Votiva : quid notandum ſit ? dicemus art. 2. in fer. VI. hujus hebdomadæ ſub n. 21.

De non detegendis Crucibus , & Imaginibus .

4 IMAGINES , & *Cruces detegi non debent , etiamſi in hebdomada Paſſionis occurrat feſtum S. Titularis , aut Dedicationis Eccleſiæ* . S. R. C. 16. Novembr. 1649. in *Januen*. Vid. dicta in Sabb. ante Dominicam Paſſionis ſect. 3.

ARTICULUS II.

Not. in Hebd. Paſſionis in particulari .

SECTIO I.

Not. in Dominica Paſſionis .

§. I.

De Horis Canonicis .

DOM. Paſſionis major 1. cl. & nunquam omittitur , quocumque feſto in ea occurrente , quod erit transferendum in primam diem feſto duplici , vel ſemiduplici non impeditam , dummodo non fuerit intra majorem hebdomadam , & per octavam Paſchæ , quibus diebus non fit de aliquo feſto duplici , nequidem occurrente *Rubr. gen. Brev. tit. 9. n. 3. & tit. 10. n. 1. & in duab. tabell. poſt Rubr. gen. Brev.* Habet vero ritum ſemiduplicem . *Rubr. gen. Brev. tit.* 2. *n.* 1. Vid. dict. lib. 1. par. 1. cap. 2. n. 1. Si occurrat feſtum ſimpl. fit de eo commemoratio ; Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 3. *fin.* Officium ut in proprio . Ad Primam ad Abſolut. Capit. lect. br. *Faciem meam* : uſque ad fer. V. in Cœna Domini excluſ. in officio de tempore ; alia ut notavimus c. præc. art. 1. 5

Qui habent privilegium celebrandi octavam in Quadrageſima , occurrente die infra Octavam in Dom. Paſſionis , debent hujuſmodi privilegiati omittere commemorationem Octavæ in Laudibus , ac Miſſa Dominicæ tantum , & dicere preces ad Primam . Si autem in eadem Dominica occurrat dies octava , officium Octavæ ceſſat ad Nonam præcedentis Sabbati , ex Decr. S. C. R. 23. Junii 1736. in *Vinſidlen*. Vid. Merat. *Indic. Decr.* 6

Digitized by Google

Brev. n. 325. *&* 345. Caval. *tom.* 2. *cap.* 19. *d.* 5. Vid. dicta in Fer. IV. Cinerum num. 7. Et in Dominica dicantur preces ad Primam, & Completorium. Caval. l. cit. n. 8. fine.

Si autem in Sabbato occurat dies infra octavam, quæ non ſit ſeptima dies; fiet commemoratio de die infra Octavam; cui etiam dabitur dimidium Veſperarum, ſi de ea ſit officium recitatum, ſed in Dominica non fiet commemoratio Octavæ, & dicentur preces ad Primam. Deinde vero in Veſperis Dominicæ fiet commemoratio octavæ: Caval. n. 10. & non dicentur preces ad Completorium. Denique ſi in Dominica occurrat dies 7. infra Octavam, Veſperæ erunt de die oct. ut in 1. Veſperis feſti cum comm. Dom. Porro in Dom. Paſſionis non ita ceſſat Octava, ut ſi poſt eamdem uſque ad Dom. Palm. excl. ſuperſint dies aliqui octavæ, de iiſdem officium fieri non debeat. Caval. n. 9. Omittitur autem commemoratio Octavæ in Domin. Paſſionis, ut tota mens noſtra feratur in Chriſti humilitatis exemplum, & occupetur in contemplatione Paſſionis ejus. Feſti vero ſimplicis commemoratio fit in Laudibus, ſi occurat, quia alias de eo nihil fieret; non ſic Octavæ, quia de hac adhuc in feſto, & per reliquas dies agitur. Caval. n. 7.

7 Si Dominica Paſſionis concurrat cum ſequenti feſto ſemiduplici, dicendum eſſe: *Gloria Patri:* ad ℟. br. Completorii, docet Gavantus *in Rubr. Brev. ſect.* 5. *c.* 14. *n.* 2. *& ſect.* 6. *c.* 12. *num.* 8. addens rationem, quia ſcilicet, feſtum jam eſt inchoatum per commemorationem ſemiduplicis, & ſic ea, quæ ſequuntur, feſtiva cenſentur. Hæc autem Gavanti doctrina non placet Guyeto, qui negat, in dicto caſu Completorium pertinere ad feſtum, ſed vult, ſpectare ad ipſam Dominicam, de qua ſunt Veſperæ integræ recitatæ. Guyeti ſententiam hanc refert Meratus in Gavant. *cit. c.* 12. *n.* 3. nec ei contradicit. Verum La-Croix in ſuo *ind. decret.* ſub nu. 262. dat hoc decretum S. R. C. *Ad Reſponſorium breve Completorii in Dominica Paſſionis, ne omittatur Gloria Patri, ſi die ſequenti ſiat de feſto ſemiduplici. S.R.C.* 18. *Septemb.* 1666. Quod Decretum plane conforme eſt traditæ doctrinæ Gavanti.

Reſponſoria brevia Horarum, quæ ponuntur in Dom. Paſſ. dicuntur in officio de Tempore uſque ad Fer. V. in Cœna Domini excluſive. *Rubr. Gen. Brev. tit.* 28. *n.* 4. 8

Reſponſorium primum primi Nocturni hujus Dominicæ non repetitur in ulla feria ſubſequenti, ob rationem indicatam art. 1. n. 2.

§. II.

De Miſſa.

QUID pro Miſſa notandum? expoſuimus c. præce. art. 2. Hic ſoſum notamus duo. Primum, quod etſi hæc Dominica ſit 1. cl. ex quo excludat quodlibet feſtum incidens in eam, ut num. 5. notavimus: nihilominus poterit cantari Miſſa Votiva ſolemnis de Titulo Eccleſiæ, ſeu alio feſto, quod transferri debet, ubi ſit concurſus populi, ad celebrandum feſtum: cum hæc dies non recenſeatur in diebus exceptis in Rubr. gen. Miſſ. tit. 6. ut obſervat Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *num.* 3. *fine*; Qui etiam animadvertit: hujuſmodi Miſſam non 9

fere

ſore celebrandam ritu proprio Paſſionis, cum non ſit Miſſa de hoc tempore: atque adeo dicendum eſſe in ea Pſalmum *Judica*: *Gloria in excelſis* &c. confer dicta præced. cap. 6. num. 8.

10 Notandum: Quod in Aſperſione ſolemni Aquæ benedictæ, quæ immediate ante Miſſam ſolemnem facienda eſt in Dominicis: taceatur *Gloria Patri* poſt pſalmum *Miſerere*; in hac Domin. Paſſ. ſicut & in ſequenti Domin. Palmarum: quemadmodum tacetur in Miſſa, ad quam ſpectat, ſeu cum qua unam functionem, conſtituere creditur. Vid. dicta tr. 1. l. 2. in Dom. art. 3. ſect. 2. n. 40. & 42.

SECTIO II.

Not. Fer. II. poſt Dom. Paſſionis.

§. I.

De Officio Defunctorum.

11 Pro Officio Defunctorum, Vide dicta fer. 2. poſt Dominicam primam Quadrageſimæ ſect. 1.

§. II.

De Miſſa.

12 Feria *ſecunda poſt Dom. Paſſionis, quando recitatum eſt Officium Defunctorum, non dicitur Miſſa Conventualis de Defunctis, neque oratio* Fidelium: *quæ etiam in aliis feriis ſecundis Quadrageſimæ non dicitur juxta Rubricas, ſed ſolum Oratio* Omnipotens ſempiterne Deus; *quæ eſt pro vivis, & defunctis, & omittitur tempore Paſſionis.* S. R. C. 11. Julii 1643. in Lugdunen. apud Caval. *tom.* 3. *cap.* 8. *d.* 1.

Occurrente commemoratione Sancti Simplicis in fer. 2. poſt Dominicam Paſſionis, quando dictum eſt Nocturnum Defunctorum, in Miſſa dicenda eſt ſecunda oratio de ſimplici tantum. S. R. C. 4. Maji 1709. in Piſtorien. apud Caval. *to.* 3. *c.* 11. *d.* 4. confer dicta cap. præced. n. 9.

Paſſionis tempus videtur expoſcere, quod ſicut Suffragia communia Sanctorum propterea ab officio excludantur ut uni Chriſto Crucifixo vacemus; admiſſo dumtaxat officio Defunctorum, quod extra officium divinum eſt; ita a Miſſa rejiciantur ſuffragia communia Defunctorum. Caval. *Comment. in cit. d.* 1. *n.* 16.

SECTIO III.

Not. Fer. IV. poſt Dom. Paſſionis.

De Pſalmis Gradualibus.

Pro Pſalmis Gradualibus vid. dicta 13
1. par. c. 3. n. 11. & 13.

SECTIO IV.

Not. Fer. V. poſt Dom. Paſſionis.

De Horis Canonicis.

Cras fiet officium de ſeptem Do- 14
loribus B. M. V. ſub ritu dupl. maj. niſi occurrat aliud feſtum altioris ritus. In Veſperis omnia ut in propr. & fit commemorat. fer. ad hymnum Completorii: *Jeſu tibi, qui natus.*

SE-

SECTIO V.

Not. Fer. VI. poſt Dom. Paſſionis.

§. I.

De Horis Canonicis.

15 **B**ENEDICTUS *Papa XIII. benigne indulſit, ut officium B. M. V. ſeptem dolorum, pluribus Regnis, Dominiis, Civitatibus, Diœceſibus jam conceſſum, in poſterum in fer. VI. poſt Dominicam Paſſionis ab omnibus Chriſtifidelibus Sæcularibus, & Regularibus utriuſque ſexus, qui ad horas canonicas tenentur, ſub ritu duplici majori recitari, & Miſſa reſpective celebrari, poſſit, & debeat, ſervatis in reliquis Rubricis Miſſalis, & Breviarii Romani; ac ita in Breviario, & Miſſali Romano apponi mandavit præfatus Pontifex die 22. Auguſti 1727. in Decreto Urbis.* Apud Caval. *tom.* 2. *c.* 25. *d.* 16. Omnia ut in proprio 9. lectio de homilia feriæ, & ejuſdem commemoratio in Laudibus. Ad octavam benedictionem dicitur: *Cujus feſtum colimus*: non autem: *cujus tranſfixionem*; ut animadvertit Merat. *ind. decr. Brev. n.* 91. vide dicta tr. 1. lib. 2. par. 1. c. 2. ſect. 1. n. 8. Ad Horas in fine hymnor. *Jeſu tibi* . . . . *Qui natus*. In ℟. br. ad Primam. *Qui paſſus es pro homine*; 2. Veſperæ de eodem feſto ut in primis Veſp. præter Antiphonam ad *Magnificat*, & fit commemoratio feriæ. In hymn. Complet. *Jeſu tibi*. Quid notandum pro oratione, quæ in hoc officio recitatur. Vide præced. cap. 6 art. 1. n. 6.

16 Si feſtum Septem Dolorum concurrat cum feſto Annunciationis ejuſdem B. M. V. Veſperæ dicuntur de Annunciatione, utpote altioris ritus, ſine commemoratione de ſeptem doloribus; ex decret. S. C. R. 3. Septembr. 1672. apud Caval. l. cit. d. 12. Et hoc ſecundum innititur generali regulæ illi, quod de eodem in eadem parte officii fieri ſimul non poteſt officium, & commemoratio; ut obſervat Caval. loc. cit. n. 6. ſimiliter fiat, ſi officium Annunciationis concurrat cum officio ſeptem Dolorum: nimirum ſecundæ Veſperæ erunt de Annunciatione ſine commemoratione ſequentis feſti ſeptem Dolorum, ſed fiet commemoratio feriæ. Merat *to.* 2. *ſect.* 6. *c.* 12. *n.* 4.

Hoc officium habet hymnum proprium incipientem: *Stabat Mater*: 17 qui per partes de more diviſus in officio recitatur, quique ab aliquibus tribuitur S. Bonaventuræ, at communiter adſcribitur Innocentio III. Si ob concurrentiam feſti majoris ritus, prima pars ejuſdem hymni aſſignata primis Veſperis eveniat impediri, jungatur parti, quæ dicitur ad Matutinum, ut Rubrica diſponit hic; eiſi Caval. ſupra in *cit. d.* 16. *n.* 2. & *to.* 2. *par.* 2. *c.* 39. *in d.* 4. *n.* 3. concedat partem Veſperis aſſignatam in dicto caſu recitare ad Matutinum; partem aſſignatam Matutino, ad Laudes; & partem ejuſdem hymni, quæ Laudibus aſſignatur, in ſecundis Veſperis adhibere, quando his feſtum non careat; quemadmodum, ait, quaſi ſimilem ſubrogationem hymnorum mandavit S. R. C. 5. Maji 1736. pro feſto S. Hermenegildi. Vid. dicta tr. 1. 30. Januar. art. 1. & 13. April. art. 1.

Cum Officium B. M. V. ſeptem Dolorum Eccleſiæ univerſali pro feria VI. poſt Dominicam Paſſionis aſſignatum, multoties in dicta fer. VI. ob occurren- 18 *tiam*

tiam officii ſecundæ claſſis recitari minime valeat, propterea SS. D. N. Benedictus Papa XIII. ob ſpecialem devotionem erga B. M. V. ſeptem dolorum, die Sabbati immediate ſequenti, non obſtante quod dicta die occurrat aliud Officium alterius Sancti, dummodo non ſit altioris ritus, ab Eccleſia Univerſali in poſterum celebrari, & feſtum Sancti occurrentis juxta Rubricas generales transferri mandavit: die 25. Januarii 1729. in decreto Urbis, & Orbis. Apud Caval. *cit. c.* 25. *d.* 17.

Hac etiam de cauſa non eſſe alicubi deſignandum feſtum in Sabbato poſt Dominicam Paſſionis, ſed expedire, ut relinquatur vacuum ad effectum reponendi in eo feſtum Dolorum in caſu prædictæ translationis a feria VI. animadvertit idem Caval. l. cit. n. 7.

Si vero feſtum Dolorum non habeat aliquando locum in fer. VI. nec in Sabbato prædictis, eo anno omittatur; ex Decr. S. C. R. 26. Febr. 1693. apud Caval. *l. cit. d.* 13. & colligitur ex quodam Edicto Benedicti XIII. 13. Martii 1728. apud eumdem Caval. in *cit. d.* 17. *n.* 1.

19 Si in feria VI. poſt Dominicam Paſſionis occurrat feſtum particulare æqualis ritus & dignitatis ejuſdem, atque adeo ejuſdem B. M. V. aut dies Octava apud privilegiatos: feſtum Dolorum transferatur in Sabbatum immediate ſequens. Si autem in Sabbato occurrat feſtum altioris ritus, quapropter nec poſſit in eo reponi hoc feſtum Dolorum; tunc ne omittatur, concedit Caval. n. 8. feſtum particulare occurrens in fer. VI. transferri in primam diem non impeditam; de die vero octava, cum non poſſit transferri, commemorationem fieri in officio, & Miſſa ſeptem Dolorum in feria VI. prædicta licet enim officia particularia in paritate ritus, & dignitatis præponenda ſint univerſalibus in occurrentia; huic tamen generali regulæ exceptionem fieri poſſe, ait, in favorem feſti Dolorum, cujus repoſitioni, & celebrationi, ſi Decretum conſulit per amotionem occurrentis etiam feſti, multo magis per non conſiderationem majoris celebritatis, quam in loco particulari habet, quæque vix, in defectu cujuſcumque alterius diſparitatis attenditur. Ita ille. Quo ad diem vero Octavam, ſubdit, aitque, quod, etſi ex eo, quia transferri non valeat, donetur privilegio præferentiæ ſuper feſtum duplex majus, huic vero regulæ exceptio facienda eſt in favorem feſti dolorum, aliorumque ſimilium feſtorum, quæ transferri non poſſunt; Dolorum enim feſtum in utroque caſu alias omitteretur penitus; at in priori, feſtum particulare, quod amovetur, integre reſumeretur; & in poſteriori dies octava cum commemoratione ſaltem expleretur. Et ſane quo ad diem octavam ceſſare rationem dicti privilegii, quia inde ſequeretur omiſſio totalis alterius officii altioris ritus. Idipſum ſimiliter fieri vult in Sabbato, in caſu, quo feſtum Dolorum transferendum ſit a feria VI. ob occurrentiam feſti altioris ritus, & in dicto Sabbato occurrat dies octava apud privilegiatos, vel feſtum particulare æqualis ritus, & dignitatis ejuſdem.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De Miſſa.

20 Licet Sacra Rituum Congregatio die 31. Auguſti an. 1669. in Tornacen. ediderit decretum hujus tenoris: *Miſſa B. M. V. ſub invocatione ſeptem dolorum feria ſexta infra hebdomadam Paſſionis ab iis, qui gaudeat hujuſmodi Indulto, debet recitari cum* Gloria Patri *ad Introitum*, & *cum Pſalmo* Judica me Deus *ad Confeſſionem;* ſed ſine Gloria in excelſis apud Caval. *to.* 5. *c.* 9. *nu.* 28. & *c.* 13. *nu.* 24. At vero Benedictus XIII. in ſuperius cit. decreto mandavit, Miſſam ſeptem dolorum B. V. recitari in tota univerſal Eccleſia cum *Gloria in excelſis*, *& Credo*; ut animadvertit Caval. *cit. num.* 28. & Merat. *indic. decret. Miſſ. nu.* 440. Itaque in feſto ſeptem dolorum B. M. V. Miſſa propria: cum *Gloria in excelſis* commemoratio feriæ; dicitur ſequentia: *Stabat Mater*. *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 8. *n.* 5. & *Credo*. *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 11. Præfatio de B. V. ℣. *Et te in tranſfixione B. M.* Videri poteſt Caval. *to.* 5. *c.* 14. *n.* 38. Evangelium fer. in fine.

21 Quando hæc Miſſa dicitur ut votiva, debet etiam infra Hebdomadam Paſſionis ad Introitum dici *Gloria Patri;* Pſal. *Judica me Deus* ad confeſſionem: ſine *Credo*, & ſine *Gloria in excelſis*; niſi ſit Sabbatum: tunc enim dicitur *Gloria*, juxta Rubr. de votivis B. M. in Sabbato, Merat. *ind. decret. Miſſ. n.* 440. & videri poſſunt dicta 11. Decembr. n. 3. Item quando hæc Miſſa dicitur ut Votiva, omittenda eſt Sequentia ex decr. S. C. R. 26. Septembr. 1673. allegato in quodam Miſſali: ubi tamen notabatur poſſe omitti: ſed communiter in Miſſalibus ante Sequentiam *Stabat* notatur omittendam eſſe. In quodam Miſſali editionis Venetæ an. 1722. ante ſequentiam *Stabat* notabatur *ſequentia ſemper dicenda*; ſed procul dubio ex errore. In eadem Miſſa votiva dicitur oratio propria deſcripta ad calcem ejuſdem Miſſæ, atque aſſignata, ut dicatur, quando hæc Miſſa celebretur ut votiva; aliaque ſerventur communia Miſſis votivis de S. M. In Præfatione de B. V. in eadem Miſſa, ut votiva celebrata, adhuc dicendum eſſe; ℣. *& te in tranſfixione:* docet Caval. *to.* 5. *c.* 14. *n.* 41. arguitque ex eo, quia Rubrica nihil notet in contrarium quo ad hoc. Vide dicta tr. 1. l. 2. in Sab. n. 42. An autem dici poſſit privatim Miſſa prædicta, ut votiva? vide ibidem n. 40. & 41.

An, & quale peccatum ſit non dicere Sequentiam, item Præfationem propriam, ſed communem; & an poſſit, vel debeat ſuppleri, ubi error advertatur, ſi fuerit ex oblivione omiſſa? Examinabimus in Dom. Reſurrectionis art. 3. qu. 1. & 2.

Indulgentias conceſſas recitantibus Coronam ſeptem Dolorum B. V. habes tr. 1. l. 1. c. 4. n. 2. & lib. 3. par. 1. c. 5. ſect. 5. & in Appendice ad calcem Diarii c. 12. n. 5.

SECTIO VI.

Not. in Sabbato poſt Dom. Paſſionis.

§. I.

De Horis Canonicis.

Si recitatum hodie fuerit officium ſemiduplex, taceatur *Gloria Patri* ad Completorium in ℟. brevi. 22

Vi-

Vide dicta in Sabbato præced. quia ibi dicta pro 1. Veſp. Dominicæ Paſſ. militant etiam pro 1. Veſp. Dominicæ Palmarum, ut ibidem notavimus.

Si officium ſeptem Dolorum B. M. V. a fer. VI. præcedenti transferatur in hoc Sabbatum, vid. dicta in præced. fer. VI.

Si apud privilegiatos ad celebrandas octavas in Quadrageſima, hodie eccurrat dies infra Octavam, quæ non ſit dies ſeptima, ſi recitatum ſit officium de aliquo feſto admittente in 2. Veſperis commemorationem diei infra octavam, de qua non recitabitur ſequenti die, fiet in his Veſperis commemoratio de ea; cui etiam dabitur dimidium Veſperarum, ſi de eadem fuerit officium recitatum; Confer dicta in Dom. Paſſion. n. 6.

Si autem hodie ſit dies ſeptima ceſſabit octava ad Nonam incluſive; itaut nihil in Veſperis fiat de ea. Vid. Merat *ind. decret. Brev. n.* 345. & iterum confer dicta in Dom. Paſſ. l. cit. Porro adveniente Dominica Palmarum ceſſant, etiam apud privilegiatos octavæ; ut cap. ſequenti monebimus num. 2.

Si tamen hodie occurrat dies octava, fiet de ea uſque ad Completorium incluſive; & in 2. Veſperis octavæ fiet commemoratio ſequentis Dom. Palmarum: vide iterum Meratum l. cit.

§. II.

De Miſſa.

23 IN Sabbato ante Palmas congruum legitur Evangelium, in quo habetur, quod in craſtinum turbæ obviavere Chriſto; ex quo Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 7. *nu.* 5. ſic arguit: Ergo quæ notantur initio, contigerunt hac die; idipſum notat *in Rubr. Brev. ſect. 6. c.* 12. Nimirum juxta Chronotaxim ultimorum dierum Chriſti, quam ponit A Lapide in Matth. c. 26. v. 17. Chriſtus hodie cœnavit in domo Simonis leproſi, ubi unxit eum Magdalena, murmurante Juda, quod unguenti illius pretium non accepiſſet; ideoque de Chriſto prodendo cogitante.

Officium Miſſæ, hoc eſt Introitus, Graduale, Offertorium, & Communio eſt de fer. ſexta præcedenti, quia olim Sabbatum vacans dicebatur; quia Dominus Papa in hac die vacabat ab Officio Stationum, & eleemoſynis largiendis inſiſtebat. Vide vulgatum Alcuinum; ubi de hoc Sabbato, Jo. Beleth. *de divinis offi. c.* 92. & Durand. *in Ration. lib. 6. c.* 66. Unde huic Sabbato titulus in antiquis Antiphonariis invenitur: *Sabbato vacat Dominus Papa, & eleemoſynam dat.* teſte Ugone Victor. *lib.* 3. *de ſpecial. Miſſ. obſervat. c.* 6. Aſſignatur autem ratio hujus moris ex Veteribus Scriptoribus, quia hodie recitatur Evangelium Mariæ Magdalenæ, quæ accepit libram unguenti, & unxit pedes Jeſu, inde *Apoſtolicus vir in memoriam devotiſſimæ Mulieris, membris Chriſti hodie facit, quod ipſa fecit Capiti: & ideo a Statione publica vacat, non tamen a celebratione Miſſæ, quia huic negotio inſiſtit.* Ita vulgatus Alcuinus l. cit.; idipſum dicit Amalarius *de eccl. offic. lib.* 1. *c.* 9. Eamdem rationem aſſignat Rupert. *de divin. offic. l.* 5. *c.* 6. Beleth, & Ugo l. l. cit. & ſimilia habet Durandus l. cit. videri etiam poteſt Benedictus XIV. *de feſt. Dom. c.* 4. §. 5.

Si feſtum ſeptem dolorum B. M. V. a

V. a feria præcedenti in hoc Sabbatum accidat transferri, quid notandum pro Miſſa? vid. in dicta feria §. 2.

§. III.

Not. pro Baptiſmo ſolemni.

24 QUONIAM in Sabbato Sancto celebratur Baptiſmus, ſeu ſolemniter miniſtratur, ideo in Cæremoniali Epiſcoporum *l.* 2. *c.* 27. præſcribitur, quod in Eccleſia illa, in qua ab Epiſcopo erit Sabbati Sancti functio celebranda, nulli puero per octo dies ante conferatur Baptiſmus, niſi adſit periculum in mora. V. in Sabbato Sancto n. 340.

§. IV.

Not. pro præcepto Communionis Paſchalis.

25 SI feſtum Annunciationis B. V. incidat in Sabbatum ante Palmas tradit Illſung apud La-Croix *lib.* 6. *par.* 1. *qu.* 117. §. 17. *n.* 630. communiter adnumerari in diebus deſignatis pro Communione Paſchali. Verum hoc per ſe loquendo, non poſſe fieri, ſed ſolum ubi ſit conſuetudo recepta; docebimus l. 5. p. 2. in ejus 1. part. cap. 3. ſect. 2. qu. 1.

CAPUT VIII.

Not. in Hebd. VI. & ultima Quadrag. ſeu in Hebd. majori, ac Sancta.

1 ULTIMA Hebdomada Quadrageſimæ, quæ eſt ſexta a Dominica 1. Quadrag. vocari ſolet communiter *Hebdomada Major*, & *Hebdomada Sancta*. Græci, ut conſtat ex Chryſoſtomo homilia 30. *in Gen.* initio, illam vocant *Hebdomadam magnam*; & in Concilio Laodiceno c. 46. teſte Caſſalio c. 62. per excellentiam, & antonomaſiam nominant ſimpliciter *Hebdomadam*: ſine aliquo adjuncto. Horum autem ratio eſt, quia hæc poſtrema Quadrageſimalis Hebdomada cæteras excellit ſanctitate myſteriorum, quorum memoria in ipſa recolitur. Quapropter ſtrictiori conſuevit obſervantia cuſtodiri: quemadmodum ſignificatur in antiquo ordine Romano verbis ſtatim laudandis; viderique poteſt Benedictus XIV. *to.* 1. *Notific.* 16. *n.* 11. & dicenda in fer. VI. Paraſc. num. 294. ideoque ut hujuſmodi ſanctæ Catholicorum conſuetudini ſeſe opponerent Aeriani hæretici quidam veteres, hebdomadam ſanctam conviviis, & potationibus celebrabant; ut Epiphanius *Hæreſi* 75. & Socrates *lib.* 2. *hiſtor. cap.* 33. teſtantur; & notavimus tr. 1. lib. 2. in Dominica n. 77. fine. Laudatis inſuper titulis hæc decoratur hebdomada, quia majus, atque prolixius habet Officium: ut obſervat Honorius *in Gemma lib.* 3. *c.* 72. Joan. Beleth *de Divin. Officiis* c. 88. & Durandus *in Ration. divin. Offic. lib.* 6. *c.* 67. prope finem. Conſonat antiquus Ordo Romanus, ubi de primo Ordine in die Palm. fine ait: *Ideo autem hæc hebdomada Major dicitur, quoniam in ea maxima adhibenda eſt parſimonia; ſive quod majus Officium celebretur in ea.* Quæ etiam recitat Vulgatus Alcuinus ubi *de Dom. Palm.* fine. Aliquando etiam invenitur *Indulgentiæ Hebdomada* nuncupata; eo quod infra eam, ſcilicet in feria V. Cœnæ publici pœnitentes ſolemniter abſolvuntur; ut notat Honorius l. cit.

In

In hac hebdomada occurrunt aliqua notanda generaliter pro tota hebdomada; alia vero ſpecialiter, ſpectant ad Triduum proxime poſt Dominicam Palmarum: & alia ad proxime ante Dominicam Paſchæ; alia demum ſpecialiter notanda occurrunt in ſingulis ſigillatim diebus ipſius hebdomadæ majoris. De his omnibus majoris claritatis gratia, diſtinctis articulis agere juvat; atque adeo Notanda in Hebdomada majori.

Explicantur Articulis IV.

Art. I. *Not. in Hebdomada majori in genere.*

Art. II. *Not. in Triduo proxime poſt Dom. Palm.*

Art. III. *Not. in Triduo proxime ante Dom. Paſchæ.*

Art. IV. *Not. in ſingulis ſigillatim diebus hebd. major.*

ARTICULUS I.

Not. in Hebd. majori in genere.

§. I.

De Hor. Canon. Offic. B. V. Defunctorum &c.

2 Occurente in tota hebdomada majori quocumque feſto novem lectionum transfertur poſt octavam Paſchæ. *Rubr. gen. Brev. tit. 9. num.* 3. *& tit.* 10. *n.* 1. *& Rubr. par. ante Offic. fer.* 2. *maj. hebdom.* Hebdomada major, utpote ſpecialiſſime dedicata recolendæ Dominicæ Paſſioni, merito Officia feſtiva non patitur; ideoque etiam privilegiatis ad celebrandas octavas in Quadrageſima ceſſat omnino Privilegium hoc in Dominica Palmarum incluſive; ita ut non poſſit amplius fieri de octava, nequidem commemoratio. Vid. Caval. *tom.* 2. *c.* 19. *comment. in decr.* 5. *n.* 7. *&* 9.

3 In Hebdomada majori omittitur Officium parvum B. M. V. & Defunctorum: nec non pſalmi Graduales, & Pœnitentiales. Vid. dicta *par.* 1. *c.* 3. *num.* 11. Aſſignat Durandus *in Ration. l.* 6. *c.* 72. fine rationem, ex qua omittantur Officia prædicta, dicens: Officium Beatæ Virginis omitti hoc tempore, ut memoriæ, atque reverentiæ Paſſionis Domini Filii ejus, de qua in Eccleſia hoc tempore agitur ſpecialius, inſiſtatur ardentius. Cum enim honor, & obſequium ſpecialiter hoc tempore Chriſto, ejus Nato, in noſtra humanitate paſſo, impenſum, redundet in ipſam Matrem; nulla quidem ipſi fit injuria, ejuſdem officium omittendo.

Omittitur etiam Officium Defunctorum, quia cum recordatio beneficiorum Chriſti, præcipue quæ ipſe Paſſionis ſuæ tempore contulit, omnem noſtrum affectum, & intellectum requirat: proinde Eccleſia illud ſolum Officium, quod ad ipſum Chriſtum ſpectat, in quo de ejuſdem agitur Paſſione, hoc tempore agit, ut ſic non ad plura diſperſa, ſed ad unum dumtaxat vehementius occupetur. Neque ideo Defuncti, qui in Purgatorio ſunt, diſpendium patiuntur, quia cum ſint nobis per charitatem uniti, beneficia noſtra, ſecundum quod meruerunt, participantur ab eis, nec expreſſius memoria pro illis fieri poſſet, quam agendo memoriam de morte Chriſti, per quam liberari expectant a pœnis. Ita Durandus, qui tamen ſubdit, & monet: extra Eccleſiam, ſeu extra Cho-

rum utile eſſe , ipſa hæc Officia recitare .

Ubi ex diſpoſitione Teſtatorum ſingulis diebus canendum eſt in Eccleſia Reſponſorium pro Defunctis , poteſt quotidie decantari , exceptis feſtis primæ , & ſecundæ Claſſis , & Octavis privilegiatis , nec non tota hebdomada majori : in prædictis autem feſtis primæ , & ſecundæ Claſſis , & octavis privilegiatis , ac majori hebdomada , ne pia Teſtatorum voluntas defraudetur , Reſponſorium prædictum recitetur privatim in Choro abſolutis horis Canonicis . S. R. C. 8. Julii 1741. apud Caval. *tom.* 3. *cap.* 18. *d.* 3. Vide dicta tr. 1. l. 1. c. 6. fine .

§. II.

De Miſſa , Proceſſionib. & Solemnitatib. Sanctorum .

4 In *diebus , in quibus non poteſt fieri de feſto duplici , prohibentur Miſſæ Votivæ , & de Requiem.* S. R. C. 28. Aug. 1627. *in una Urbis* apud Caval. *to.* 3. *c.* 9. *d.* 2. Hinc habes infra hebdomadam majorem prohiberi Miſſas votivas , & Defunctorum . Vid. Caval. *l. cit. n.* 2. La Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 72. §. 2. *num.* 498. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 4. *n.* 3. *lit. O* Merat. ibi n. 11. Sed vide etiam dicenda in Dom. Palm. qu. 4. a num. 107. Neque pro Anniverſario poteſt cantari Miſſa de *Requiem* . Vide dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 9. n. 9. An vero in diebus ante ultimum triduum majoris hebdomadæ poſſit celebrari una Miſſa ſolemnis de *Requiem* præſente Cadavere? Vide cit. Append. c. 8. nu. 22. Ratio autem, cur prohibeantur Miſſæ de *Requiem* , intelligi poteſt ex dictis §. præced. n. 3. Pro Miſſis votivis non dicendis eadem militat ratio, quæ pro Miſſis de *Requiem* .

Sacra Rituum Congregatio interrogata : Utrum in Cathedrali Vilnenſi , cum multæ fundatæ eſſent Miſſæ votivæ quotidianæ in cantu , hæ eſſent prohibitæ, quando per Rubricas Miſſalis , ac Decreta Sacræ Congregationis prohibentur Miſſæ votivæ privatæ; videlicet a Dominica Palmarum uſque poſt octavam Paſchæ; Per Octavas Nativitatis , SS. Corporis Chriſti &c. Reſpondit affirmative ; & pro votivis ſubſtituendas eſſe Miſſas de feſto in cantu : vel ex rationabili cauſa ab ordinario dignoſcenda , & approbanda , ſubſtituendas Miſſas de feria , ſeu de feſto lectis , & ſic ſatisfieri poſſe fundationi . 22. Decembr. 1753. in Vilnen. ad 6. 7. & 8. dub. apud Caval. *tom.* 5. *in Collect. recent. Decret.*

Quando dies Anniverſaria Conſecrationis Epiſcopi incidit in Dominicam primæ Claſſis , infra hebdomadam majorem , in diem Paſchæ, Pentecoſtes , Nativitatis Domini , vel aliam ſolemniorem , non poteſt dici Miſſa de dicta Conſecratione, ſed in ipſa Miſſa de die fieri debet Collecta pro Epiſcopo ſub unica concluſione , ut diſponit Cæremoniale Epiſcoporum . S. R. C. 4. April. 1705. in Lycien. apud Merat. *ind. Decr. Miſſ. n.* 593. Vide Gavant. *par.* 4. *tit.* 17. *n.* 19. & 20. ac Merat. ibi n. 4. & 5. nec non dicta 25. Decembr. num. 101.

Licet in Eccleſiis ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus populi ad celebrandum feſtum , quod transferri debet , poſſint cantari duæ Miſſæ , una de die, alia de feſto: excipiuntur tamen quidam peculiares dies , inter quos ſunt omnes dies majoris hebdomadæ . *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 6.

In

Digitized by Google

5 In hebdomada majori non ſunt celebrandæ Proceſſiones in honorem Sanctorum. Vide Caval. *to.* 4. *c.* 20. *comment. in decr.* 45. quemadmodum in ſpecie ſtatutam eſſe quoad feſtum S. Joſephi occurrens in hebdomada majori, notavimus tr. 1. 19. Martii art. 5. Proceſſiones vero, quæ referantur ad myſteria Paſſionis, & mortis Chriſti, in ipſo etiam Triduo mortis Chriſti, permiſſas eſſe dicemus, ubi de feria VI. Paraſcev. num. 289. Multo magis licitæ eſſe videntur in feriis præcedentibus ejuſdem majoris hebdomadæ; & ita exiſtimat Caval. loco cit. Ait etiam Caval. præ triduo Mortis Chriſti id ſpeciale habere eaſdem ferias, ut in his patenter SS. Sacramentum exponi poſſit, & per proceſſionem deferri: id permittente implicite Inſtructione Romana Clementis XI. pro expoſit. SS. Sacramenti ratione Orat. quadraginta hor. §. 12. Dum in hujuſmodi caſu loco Miſſæ votivæ, quæ ſolemniter fieri deberet de Sacramento, Miſſam de die fieri mandat: Cavendum tamen omnino eſſe, monetur ibidem, ab his expoſitionibus, & proceſſionibus in fero feriæ IV. ne interturbentur Officia tenebrarum, quibus tunc temporis incumbit Eccleſia.

Primis autem quatuor diebus majoris hebdomadæ, hoc eſt in Dominica Palmarum, & tribus ſequentibus feriis feſtivitates Sanctorum poterunt ſine ſtrepitu, abſque ſolemnitate, & pompa celebrari, pro ut patitur tempus currens; ita nimirum, ut Miſſæ omnes, etiam ſolemnis, fiant de tempore in paramentis Altaris, Celebrantis, & Miniſtrorum coloris convenientis non quidem Sanctis, quorum feſtivitates aguntur, ſed Officio, quod ea die fit. Altaris Icon remanebit contecta, ſecundum dicta in Sabbato ante Dom. Paſſionis n. 14. Nec ſuper Altare apponentur flores, aut Reliquiæ, quæ tanquam ornamenta feſtiva in Sanctorum feſtis ſolent apponi; poterunt tamen ad Altare cerei plures accendi, quinimmo Altare ipſum parari candelabris argenteis, & veſtiri paramentis pretioſis, quæ induere etiam poterit celebrans nedum in privatis Miſſis, ſed etiam in ſolemni; Ita Caval. l. cit. qui item exiſtimat, Miſſam ſolemnem haberi poſſe cum pluralitate Miniſtrorum, & in cantu figurato, non tamen cum Organorum ſono, quorum ſtrepitum non patitur Miſſæ qualitas. An autem in hebdomada majori poſſint ſuper Altare exponi Sanctorum Reliquiæ quorum feſta recurrant? Vide in Sab. ante Dom. Paſſ. num. 15.

Qu. Utrum in hebdomada Sancta 6
ſit obligatio audiendi Miſſam?

℟. Negative, niſi ratione Dominicæ aut alterius feſti de præcepto occurrentis. Vide dicenda art. 3.

§. III.

Ubinam, Celebrari poſſint, aut debeant functiones Hebdom. Sanctæ.

FUNCTIONES *omnes hebdomadæ San-* 7
ctæ non ſunt de juribus mere parochialibus. S. R. C. 10. Decembr. 1703. in Decreto generali approbante Clemente XI. 12. Jan. 1704. apud Merat. *ind. Decret. Miſſ. n.* 566. Vide dicenda in Dom. Palm. nu. 69. & fer. V. Cœnæ n. 133.

Benedictus XIII. juſſit in omnibus Eccleſiis Parochialibus celebrari om-

nes

nes functiones ſolemnes , etiam ſine numero Cantorum , & Miniſtrorum : Atque parvum Cæremoniale pro Eccleſiis minoribus evulgari præcepit an. 1725. ac ſervari mandavit Dominica Palmarum , feria V. in Cœna Domini , feria VI. in Paraſceve , Sabbato Sancto &c. apud Meratum *ind. Decr. Miſſ. n.* 515.

ARTICULUS II.

Not. in Triduo proxime poſt Dom. Palmarum .

De Hor. Canon. & Miſſa.

8 OCCURRENTE in Triduo proxime poſt Dom. Palmarum , hoc eſt feria 2. 3. 4. infra hebdom. majorem feſto trium lectionum , fit utique de eo commemoratio in Officio , & Miſſa : Eruitur reſpective ex Rubr. Brev. ante fer. 2. major. hebd. & Rubr. gen. Miſſ. tit. 7. nu. 1. Sed in hoc caſu omittatur in Miſſa Oratio tertia , que pro ſecunda aſſignatur in Miſſali , ſecundum dicta c. 6. art. 2. nu. 9. & in Officio non legatur lectio de prædicto ſimplici , etiamſi eam habeat propriam in Breviario.

Si in hoc Triduo recurrat feſtum ſolemne alicujus Sancti , recolantur dicta art. præc. §. 2. n. 5.

ARTICULUS III.

Not. in Triduo proxime ante Dom. Paſchæ.

EXPLICANTUR SECTIONIBUS V.

Sect. I. *De Hor. Canon.*
Sect. II. *De Miſſa.*
Sect. III. *De Exequiis Defunct.*
Sect. IV. *De Obſervantia Tridui ante Paſcha.*
Sect. V. *De Indulgentiis.*

SECTIO I.

De Hor. Canon.

IN Triduo proxime ante Dominicam Paſchæ, hoc eſt feria V. Cœnæ Domini , feria VI. in Paraſceve , & Sabbato Sancto Matutinum cum Laudibus recitatur etiam in Choro pridie ſero hora competenti ; ita nimirum , ut in Choro abſolvatur poſt occaſum ſolis , incipientibus fieri tenebris : ideoque *Officium Tenebrarum* communiter nuncupari , ait Benedictus XIV. *de feſt. Dom. c.* 5. §. 1. , & Burius in *Onomaſtico Etymologico* V. *Matutinum*. Licet nos credamus potius vocari *Tenebrarum Officium :* propter luminum extinctionem , tenebras , & obſcuritatem , quæ in recitatione hujuſmodi Matutini fieri ſolent in templo : ob rationes myſticas inferius explicandas num. 26. Alicubi conſueviſſe incipi duabus horis , aut etiam tribus ante ſolis occaſum , teſtatur Azorius. Hujuſmodi conſuetudo anticipandi in prædicto Triduo Matutinum , & Laudes ſequentis diei , etiam in Choro , antiquiſſima eſt : exemplo quoque Romanæ Eccleſiæ confirmata , ut videre eſt in Ordine Romano Jacobi Cajetani c. 82. & apud Petrum Amelium cap. 61. quos allegat Benedict. XIV. l. cit. Et ratio quidem obvia eſſe poteſt, ut Clerus deinde ſit expeditior pro functionibus Eccleſiaſticis Matutinis , & populus commodius interveniat , quam ſi ſub Auroram , ut oporteret, recitarentur. 9

In ultimo Triduo majoris hebdomadæ 10

Digitized by Google

madæ dicto ſecreto *Pater noſter*, *Ave Maria* & ad Matutinum, atque in principio Primæ *Credo*; omnibus aliis prætermiſſis, abſolute incipitur Officium ad Matutinum & Veſperas ab Antiphona primi pſalmi, & Antiphonæ duplicantur, ſicut in feſto duplici. Porro in hoc Triduo Officium eſt duplex primæ Claſſis: *Rubr. gen. Brev.* Ideoque non fit commem. de feſtis per ſe ſimplicibus. *Rubr. Brev. ante fer. 2. major. hebdom.* Imo nec de ſimplicibus per accidens. Vide dicenda in Append. ad calcem Diarii cap. 1. num. 8.

Signum Crucis adhiberi poteſt ante Antiphonam primi pſalmi, ut ante Officium fieri ſolet ad ℣. *Deus in adjutorium*: ita Gavant. *in Rubr. Brev. ſect. 7. c. 13. n. 8.* qui etiam allegat S. Hieronymum dicentem: *Ante omnem actum manus pingat Crucem*. Omni quidem ævo Chriſtiani, cum alicujus momenti opus inciperent, ſignare ſe ſigno conſuevere Crucis: qua de re Veterum teſtimonia videri poſſunt a nobis allegata tr. 1. l. 1. c. 7. de bened. menſæ qu. 10. n. 29. Ad prædictum itaque initium maxime convenit, adhibere ſignum Crucis, his præſertim diebus, quibus ut canit Eccleſia, *Vexilla Regis prodeunt: fulget Crucis myſterium*. Hinc ſunt majora reverentiæ ſigna erga S. Crucem per hos dies exhibita. Nam poſt Veſperas feriæ IV. uſque ad Miſſam Sabbati Sancti excluſive, tranſeuntes ante Crucem, quæ eſt in Altari majori (non item in minoribus) reverentiam illi faciant etiam flectendo unicum genu; excepto Celebrante parato, atque Canonicis, qui tamen profunde ſe inclinabunt eidem: ſed & hi ſimiliter genuflectent in feria VI. Paraſceves uſque ad recitatam Nonam Sabbati Sancti; tunc enim ſpecialiſſime fulget Crucis myſterium. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 8. n. 13.* Merat. ibi n. 17. fine, *& tit. 9. n. 36. & tit. 10. nu. 3. fine* & *in Rubr. Brev. ſect. 6. c. 13. nu. 4. fine*. Caval. *to. 4. c. 1. in decr. 9. nu. 4.* Vid. dicenda fer. V. Cœn. num. 165. & 167. & fer. VI. in Paraſcev. num. 215. & 260. & Sabb. Sancto num. 305. Diſcrimen autem maximum, quod inter Crucem eſt, & Chriſtum ipſum ſeu figuram, & figuratum, profecto requirit, ut hoc Triduo SS. Euchariſtiæ Sacramentum etiam in Tabernaculo reconditum, vel aliter recluſum, & coopertum, utroque genu flexo adoretur ab iis reſpective, qui Crucem unico genu flexo venerari debent, ut ſupra, quemadmodum animadvertunt Caval. & Meratus ll. cit. Niſi ubi ſurgendum ſit citius, puta in Proceſſione &c. Cruciferarius tamen, & duo Acolythi Ceroferarii cum candelabris, medium habentes illum, numquam genuflectunt, nequidem SS. Sacramento: ut ſuis locis monebimus. *cum Gav. & aliis Meratus par. 4. tit. 8. n. XI.*

11 In fine Pſalmorum non dicitur *Gloria Patri*: per omnes Horas, nec in Reſponſoriis. *Rubr. gen. Brev. tit. 22. n. 7.* & in fine cujuslibet Pſalmi ad Matutinum extinguitur una ex quindecim Candelis poſitis in Candelabro triangulari ante Altare. Ubi autem ventum erit, ad Canticum *Benedictus*; interim dum dicitur, extinctis prius omnibus candelis in candelabro triangulari præter unam, quæ poſita eſt in ſummitate Candelabri prædicti: extinguuntur paulatim ſex candelæ poſitæ a principio ſuper Altare; ita ut in ultimo verſu præ-

præfati Cantici extinguatur ultima candela; (vide dicenda inferius nu. 15.) ſimiliter extinguuntur Lampades, & Luminaria per Eccleſiam: præter Lampadem, quæ lucet ante SS. Sacramentum in Tabernaculo reconditum. Cum autem repetitur Antiphona *Traditor*, accipitur ſuprema candela ex Candelabro triangulari, quæ extincta non eſt, & abſconditur ſub Altari in cornu Epiſtolæ. *Rubr. Brev. ante Off. fer. V. Cœn. Dom. & in fine Laud. ipſius Officii in Cœn. Dom. Vid. Merat. to. 2. ſect. 6. c. 13. nu. 6.*

12 Hoc triduo poſt verſiculum Nocturnorum dicitur totum ſecreto *Pater noſter*: Nec dicitur Abſolutio, neque dantur benedictiones ante Lectiones. In fine Lectionum non dicitur: *Tu autem Domine*: *Rubr. gen. Brev. tit. 26. n. 11.* Sed primæ tres Lectiones Jeremiæ terminantur ut in Breviario: *Jeruſalem Jeruſalem* &c. *Rubr. Brev. in Offic. fer. V. hebdom. major.*

Eſt obligatio ſub veniali, ut tribus ultimis feriis hebdomadæ ſanctæ in privato etiam Officio ad Lamentationes Jeremiæ addantur litteræ hebraicæ *Aleph Beth* &c. ſaltem ubi in Choro cantantur: (ut quidem cantari, ſeu recitari debent ex Ordin. Roman. *tit. de Offic. a Cœna Domini* poſt initium; & *tit. de Ordine in nocte Paraſcev.*) quia privata oratio quoad talia debet conformari publicæ. *La Croix lib. 4. qu. 188. §. 5. num. 1206.*

A feria V. in Cœna Domini incluſ. uſque ad feriam tertiam Paſchæ incluſ. ſi occurrat feſtum trium Lectionum, nulla de eo fit commemoratio. *Rubr. Brev. poſt Offic. Dom. Palm.* Ad Laudes Capitulum, & Hymnus non dicuntur, ſed tantum verſus.

Repetita Antiphona ad *Benedictus* dicitur: *Chriſtus factus eſt &c.* variando, ſeu addendo quotidie ut in Breviario: & ſic dicitur etiam per omnes horas diei. Cum incipitur ℣. *Chriſtus factus eſt*, Omnes genuflectunt; & eo finito dicitur *Pater noſter* totum ſub ſilentio; poſtea Pſalmus *Miſerere* aliquantulum altius; quo finito ſine *Oremus*, dicitur ſimili voce oratio *Reſpice*; ſed *Qui tecum* dicitur ſub ſilentio. *Rubr. Brev. in Offic. fer. V. in Cœn. Domin.* Pſalmus *Miſerere* & oratio præfata, etſi non ſub ſilentio, adhuc tamen humili voce dicuntur. Gav. *in Rubr. Brev. ſect. 6. c. 13.* Oratio dicitur non a ſtante, ut alias, Sacerdote, *Amalar. de Eccl. Offic. lib. 4. c. 21.* ſed genuflexo ex Cæremoniali Papæ *lib. 2. c. 42. & Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 22.* teſte Gavant. loc. cit. qui id etiam colligit ex Breviario ipſo, ex iis verbis: *& omnes ſurgunt*. Ergo, ait, non prius Celebrans ſurgit; confer Merat. *to. 2. ſect. 6. c. 13. num. 7.* In ultimis tribus feriis hebdomadæ majoris, ſi Matutinum ſeparetur a Laudibus, dicitur in fine Matutini. ℣. *Chriſtus factus eſt* cum Pſalmo *Miſerere*, & oratione genibus flexis. *Gavant. l. cit. n. 18.*

Non genuflectere, cum ex præſcripto Rubricæ genuflectendum eſt, etiam extra Chorum, aliqua eſt venialis culpa ex Tamburino *in Decalog. lib. 2. c. 5. §. 6. n. 4.* Nulla vero præciſo contemptu, ex Caſtropalao, & Garcia apud Dianam *to. 3. edit. coord. tr. 6. R. 45. §. 4.* qui tamen recte monet debere communiter ſervari hujuſmodi Rubricas etiam in recitatione privata. Vide dicta tr. 1. l. 2. in Dominica art. 7. qu. 2.

Finita oratione fit fragor, & ſtrepitus

pitus aliquantulum: mox profertur candela accenſa de ſub Altari, & omnes ſurgunt, & cum ſilentio diſcedunt. Rubr. Brev. fer. v. Cœnæ. Ex hac Rubrica Gavantus ſupra cit. n. 20. aliique arguunt omiſſionem Orationis Dominicæ, Antiphonæ finalis, & cujuslibet alterius in fine Horarum hujus Tridui; & ex communi uſu taceri etiam conſueviſſe Orationem *Sacroſanctæ*, teſtatur Cavalerius *tom.* 2. *par.* 2. *c.* 40. *in decr.* 3. *num.* 7. fine. Antiphonam finalem B. Virginis in hoc Triduo non eſſe dicendam, habet expreſſe Rubr. Brev. gen. tit. 36. n. 1. & partic. ubi de Antiphon. *Ave Regina*. Non excluditur autem Salutatio Angelica, quæ in Choro juxta Auctores genibus flexis ſecreto dici debet ad ſignum tabulæ, loco ſigni meridiani; (Confer dicta tr. 1. lib. 1. c. 5. nu. 4. & dicenda fer. V. Cœnæ n. 165.) Meratus apud Caval. l. cit. approbat, ubi moris eſt, aſperſionem aquæ benedictæ poſt Matutinum, quæ præſertim fit apud Regulares.

14 In ultimo Triduo majoris hebdom. ad Horas, videlicet ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, dictis ſecreto *Pater noſter*, *Ave Maria*; & ad Primam *Credo*: Abſolute inchoatur a Pſalmis conſuetis, qui ad Primam ſunt ut in feſtis. *Rubr. Brev. in Cœn. Dom.* Horæ minores recitantur voce demiſſa, ut in Rubrica propria, quæ eadem eſt cum antiquis, teſte Gavanto *ſect.* 6. *c.* 13. *n.* 23. Pſalmis finitis dicitur ℣. *Chriſtus factus eſt*; flexis genibus, & dicitur ſecreto *Pater noſter*. Deinde Pſal. *Miſerere*; & Oratio *Reſpice*; ſicut in Laudibus, ut ſupra. *Rubr. Brev. in Offic. fer. V. Cœn. Dom.* In fine Horarum hujus tridui non dici Orationem Dominicam, nec aliud quidquam, notavimus ſupra. In hoc triduo non annunciatur aliquid de Martyrologio, nec dicitur *Pretioſa*. Rubr. Brev. l. cit.

Ad Veſperas dicto ſecreto *Pater noſter*, & *Ave Maria*; inchoantur Veſperæ abſolute a prima Antiphona ſine cantu. Capitulum, hymnus, & ℣. non dicuntur in hoc triduo. Ad *Magnificat* poſt Antiphonam dicitur ℣. *Chriſtus factus eſt*, cum reliquis, ut ſupra in Laudibus, & ſuo loco in Brev. *Rubric. Brev. loc. citat.*

Completorium in hoc triduo inchoatur a *Confiteor*. Gavant. cit. n. 23. Non dicitur: *Jube Domne*; nec lectio brevis, nec *Deus in Adjutorium*; neque Oratio Dominica; ſed facta confeſſione, & abſolutione incipitur a Pſalmo *Cum invocarem*. Dictis Pſalmis recitatur: *Nunc dimittis*; deinde ℣. *Chriſtus factus eſt*, cum reliquis, ut ſupra in Laudibus, & ſuo loco in Breviario. *Rubr. Brev. l. cit.* Sic terminantur omnes Horæ in hoc triduo uſque ad Veſperas Sabbati Sancti. *Rubr. Brev. l. cit.*

Cum ad Horas omnes, quæ reci- 15
tantur in Choro, ardere debeant in Altari duæ ſaltem candelæ, ex declar. S. C. R. 7. Aug. 1595. apud Lucium Ferrar. V. Reſolut. SS.CC. *in priori ind. nu.* 20. quæres: utrum in hoc Triduo ad Horas minores accendendi ſint cerei in Altari? Reſpondeo ex Gavanto l. cit. n. 29. accenduntur quidem in Nocturnis, & Laudibus; at extinguuntur cum cantatur *Benedictus*: a verſu illo: *Ut ſine timore*. Confer dicta ſuperius nu. 11. Feria autem VI. in Paraſceve Horæ dicuntur ſine cereis accenſis, antequam incipiant functiones illius diei ad Altare, ex Cærem. Epiſcop.

lib. 2. *cap.* 25. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 9. *n.* 2. Idipſum faciendum in Sabbato ante novi ignis benedictionem. In aliis Horis ante Miſſam fer. quintæ, (quamvis hoc non ſit in uſu apud omnes Eccleſias, teſte Merato *to.* 2. *ſect.* 6. *c.* 13. *n.* 8.) & ad Veſperas quaſcumque accendi debent, non ad Completorium, niſi Sabbati Sancti; Ita Gavantus ſupra cit. nu. 29. Vide dicenda fer. V. Cœn. Dom. ſubſ. 6. n. 165. & in Paraſc. ſubſ. 5. §. 19. num. 260.

Expoſitio myſtica ſacrorum Rituum, & Cæremoniarum ad Horas Canonicas.

16 In Horis Canonicis hujus Tridui celebramus exequias triduanæ mortis Chriſti. *Alcuin. ubi de fer.* 4. *maj. Hebd. fine. Rupertus de Divin. Offic. l.* 5. *c.* 24. *Honor. in Gemm. lib.* 3. *c.* 87. *Durand. in Ration. lib.* 6. *cap.* 72. *nu.* 2. Matutinum, & Laudes præter ordinarium morem, etiam in Choro recitantur pridie ſero; ita nimirum, ut abſolvantur in Choro poſt occaſum ſolis, incipientibus fieri tenebris, ad repræſentandum occaſum Solis Juſtitiæ Chriſti Domini; & ad ſignificandas Gentis Judaicæ tenebras ſpirituales, quæ negavit eum, & crucifixit; ita cum aliis Benedictus XIV. *to.* 1. *Notific.* 24. *num.* 6. Sine conſueto initio inchoamus Matutinum, & Horas item, & ſine ſolito abſolvimus fine; ſcilicet: *Deus in adjutorium. Per Dominum. Benedicamus:* & alia hujuſmodi omittuntur: quia receſſit, & a nobis ablatus eſt Chriſtus Dominus, qui eſt Alpha, & Omega, principium, & finis, qui etiam eſt ſummus Sacerdos, & Caput noſtrum, ac traditus eſt impiis, nec eſt a quo petamus, quod intendat in adjutorium noſtrum. Rupert. loc. cit. cap. 25. Amalarius *de Eccl. Offic. l.* 4. *c.* 21. Jo: Beleth *de Div. Offic. c.* 85. & *c.* 101. Durand. n. 6. Poteſt etiam dici, id fieri, ad ſignificandum ingentem mœrorem, & luctum propter Paſſionem, & Mortem Domini, hominumque peccata, & inde magnam animi perturbationem; ut bene ſentit Benedictus XIV. *de feſt. Dom. c.* 5. §. 1. poſt initium.

Non dicitur: *Gloria Patri, & Filio*; quia in filii Paſſione abſcondita fuit fortitudo gloriæ ejus, & in ejuſdem morte Trinitas viſa eſt extincta in cujus laudem dicitur ille verſus. Jo: Beleth cap. 85. Durand. n. 6. & 17. Tacetur itaque *Gloria* &c. quia toti ſumus in recolendo, quomodo Chriſtus ſaturatus fuerit opprobriis. Honor. *in Gem. l.* 3. *c.* 70.

Invitatorium omittitur, quod olim Romæ in nullo recitabatur Officio. Merat. *to.* 2. *ſect.* 5. *c.* 5. *n.* 1. Veterum illum morem hoc triduo retinemus in deteſtationem invitationis malignantium Judæorum ad Concilia contra Chriſtum. Jo: Beleth *c.* 96. & *c.* 101. Durand. n. 8. Alcuin. cap. *de Cœn. Dom.* Honor. *in Gem. lib.* 3. *cap.* 88. Amalar. *de Eccl. Offic. lib.* 4. *c.* 21. Præterea Paſſionis tempore percuſſo Paſtore, diſperſæ ſunt oves gregis: nimirum Apoſtoli diſperſi erant, qui alios ad Dominum invitare, & convocare conſueverant. Duran. loco citat.

Hymnus etiam laudis non dicitur, quia in Paſſione Dominus factus eſt opprobrium hominum, & abjectio plebis. Duran. l. cit.

In fine Pſalmorum cujuslibet Nocturni dicitur totum ſecreto *Pater noſter;* pro eo quod de Evangelio ſumitur; tem-

Digitized by Google

tempore autem Paſſionis, fugientibus Apoſtolis, Evangelica enunciatio ceſſavit. Item quia Chriſtus oravit Paſſionis ſuæ initio avulſus ab aliis, & quaſi in ſilentio, & valde ſecreto. Duran. l. cit. Rurſus, quia Apoſtoli tunc trepidaverunt in occultis. Honor. l. cit. fine. Et in horto a Chriſto moniti, ut vigilarent, & orarent, ipſi vero dormiebant præ triſtitia.

Non dicitur: *Jube Domne:* nec *Tu autem Domine*. Nec datur benedictio ante lectiones, quia Paſtor, & Sacerdos receſſit, fons omnis benedictionis, qui gregi ſuo benedicere, & miſereri debet. Rurſus per *Jube Domne* intelliguntur ad prædicationem euntes; & per *Tu autem:* inde redeuntes; ideo ergo neutrum dicitur, quoniam Apoſtoli, quos repræſentant, qui lectiones legunt, hiſce diebus fugerant, unde nec ad prædicationem miſſi ſunt, nec qui miſſi erant, ſublato Domino, redierunt. Durand. n. 9. Beleth c. 85. & c. 101. Amalar. cit. c. 21. Honor. *in Gem.* l. 3. cap. 88.

37 Lectiones primi Nocturni ſunt de Threnis Jeremiæ Prophetæ. Threni autem ſunt lamentationes, quæ a Jeremia compoſitæ fuerunt poſt dirutam Jeroſolymam, & Templum illius expoliatum a Nabuchodonoſor Rege Babylonis. Originem prædictæ vocis, & quamdam aliam ſignificationem ejuſdem tradunt Beleth cap. 101. fine, & Durand. n. 12. qui videri poſſunt. Threni quidem, ſeu lamentationes Jeremiæ bene conveniunt huic tempori, & hiſce Officiis, in quibus deflemus peccata noſtra, & captivitatem noſtram ſub jugo Diaboli. Repræſentamus item Paſſionem, & mortem Domini, atque recolimus, quomodo ipſe dederit percutienti ſe maxillam: ſaturatus fuerit opprobriis: ut in ipſis Threnis dicitur. Lugemus, quia *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris:* ut in iiſdem Threnis prædicitur. Unde in his Officiis recitantur etiam, quia continent prædictionem Dominicæ Paſſionis. Item recitantur ad ſignificandam deſolationem, & mœrorem Eccleſiæ viduatæ ſponſo ſuo Chriſto Domino. Rurſus, ut adhibeantur tanquam verba exprimentia internum ingentem animi dolorem, quo quilibet fidelis eſſe debet affectus propter Paſſionem, & mortem Domini Salvatoris ſui; unde dicitur Zachariæ 12. *Aſpicient ad me quem confixerunt: & plangent eum planctu, quaſi ſuper Unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte Primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jeruſalem, ſicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. Et planget terra: Familiæ, & Familiæ ſeorſum.* Quæ Prophetia verificatur ſingulis annis, præſertim in Hebdomada Sancta, ut ex Hieronymo, & aliis ſacris Interpretibus notat A Lapide in laudatum locum Zachariæ Prophetæ, §. *Symbolice hunc planctum:* ubi hæc habet: *Hunc planctum recte accipias.... eum, quo quotannis fideles, præſertim in hebdomada ſancta.... recolunt, & plangunt Paſſionem Chriſti, dum cogitant, ſe ſuis peccatis crucifixiſſe Chriſtum.* Et rurſus prope finem ejuſdem capitis: *Plangunt quotannis Chriſti cædem omnes familiæ fideles in hebdomada ſancta. Prophetia enim hæc cœpit impleri moriente Chriſto, & poſt ejus mortem pergit impleri per ſingula ſæcula, donec compleatur in fine mundi, & die Judicii.*

Nota hic: Threnos a Jeremia ſcriptos fuiſſe ex ingenti doloris, & compaſſionis affectu: unde pathetici ſunt, hoc eſt, pleni ſunt affectibus: ideoque ſæpe ſententiæ non cohærent. Sicut enim qui vehementer dolet, & affligitur, ſine ordine jam clamat, jam luget, jam indignatur, jam obſecrat, & in varios animi motus ſe verſat: ita Jeremias hic iiſdem affectibus, & dolori ſuo ſine ordine, aut ordinato diſcurſu indulget, atque ſententias quaſi tumultuarie congerit, pro ut eas dolor effundit: ut optime obſervat A-Lapide *Comment. in Threnis* in argumento. Ubi etiam in præfatione hæc habet ad rem noſtram: *Symbolice in hiſce Threnis Chriſti patientis affectus, ac dolorum acerbitatem ita in ſe graphice hic exprimit, ac depingit Jeremias; ut Chriſtum hic in Cruce gementem, loquentem, lamentantem audire tibi videaris. Quare Eccleſia Mater noſtra hos Threnos ſanctiſſimo anni tempore, hebdomada nimirum majori, ipſoque die Veneris Sancto uſurpat, & publice, ac lamentabiliter decantat, ut Chriſtum patientem repræſentet, omneſque ad compaſſionem moveat, atque ad pœnitentiam peccatorum, dolorem, ſeriam confeſſionem, vitæque emendationem efficaciſſime excitet, & impellat.*

Alphabeto Hebraico diſtinguuntur, ſeu prænotantur verſus Threnorum *Aleph*, *Beth*, *Ghimel* &c. ad innuendum, Threnorum artificium eſſe quoddam genus carminis Alphabetarii, hoc eſt ſingulos Threnorum verſus in textu hebraico, unde in latinum converſi ſunt, incipere ab eiſdem litteris, quæ iis præponuntur juxta ordinem Alphabeti hebraici. Primus enim verſus incipit ab *Aleph*, ſecundus a *Beth*, tertius a *Ghimel*, & ſic conſequenter; ita tamen, ut ſint in Threnis quatuor Alphabeta, juxta quatuor capita, in quæ dividuntur. In primo Alphabeto capitis primi ſub ſingulis litteris concluduntur terni verſus dedocaſyllabi. In ſecundo Alphabeto capitis ſecundi terni quoque verſus ſub una, eademque littera continentur: quorum primus ſexdecim eſt ſyllabarum, duo vero reliqui verſus ſunt ſyllabarum duodecim. In tertio Alphabeto capitis tertii ponuntur terni verſus non ſolum ſub unica littera, ſed ab eadem ſinguli inſuper inchoantur: quorum unus non ſervato ordine, quatuordecim, alii vero ſyllabarum duodecim eſſe ſolent. Quartum denique Alphabetum capitis quarti binus complectitur ſub una littera verſus. Hic ergo ſunt dimetri, in cæteris trimetri: ut obſervat A-Lapide in argumento Threnor. Quo circa Sanctus Hieronymus Ep. 155. ad Paulam Urbicam ait: eos quaſi ſapphico metro eſſe conſcriptos, hoc eſt, trimetro; nam alioqui pedes, & numeros ſapphici carminis non habent; atque numerus, & Menſura eorum ignoratur; vetus enim Hebræorum poeſis interiit: ut laudatus teſtatur A-Lapide l. cit. ubi tamen etiam innuit, Hebræos in verſibus non uſos certis numeris pedum, ac temporum, ut Latini, Græcique ſolent, ſed certo ſore numero ſyllabarum; & ita a Jeremia Threnos fuiſſe deſcriptos, ordine inſuper Alphabedario hactenus explicato.

Hebræi autem prædictum artificium alphabetarium adhibent in Canticis ſive lætitiæ, ſive luctus alicujus multum notabilis, pro ut in ultimo capite Proverbiorum, ubi laudatur Mulier fortis, & in Pſalmo 118. aliiſ-

aliiſque nonnullis indicatis a S. Hieronymo l. cit. a Jo. Lorino in Pſ. 110. poſt initium . Hinc puto ſecundo : alphabetico hebraico prænotari verſus Threnorum , ad indicandum , in eis agi de re multum notabili : atque adeo ad conciliandam ſpecialem attentionem Lectorum , ſive auditorum . Tertio alii dicunt , Jeremiam in Threnis uſum litteris hiſce alphabeti , ut per eas quaſi elementa , tanquam pueri ad ſcientiam Dei adipiſcendam , & ad cordis compunctionem , vitæque emendationem nos æque ac Judæi inducamur ; ita ex Ruperto Cornelius A-Lapide in cit. argum. , qui etiam *præfat. in Thren.* obſervat : Eccleſiam hac quippe de cauſa has ipſas hebraici alphabeti litteras voce lugubri decantare. Quarto , alii dicunt : alphabetum hebraicum recitari in Triduo Paſſionis , ut per hoc notetur , & increpetur cæcitas , & duritia Judæorum , qui rem tamquam alphabetum notiſſimam , videlicet Paſſionem Chriſti Salvatoris intelligere , & credere nolunt ; ita Durand. n. 13. Quinto denique ex eodem Durando n. 15. ideo Threnorum verſus alphabetico prænotantur hebraico, quia interpretationes litterarum ipſarum alphabeti hebraici maxima ex parte continent ſententiam verſuum , quibus anteponuntur ; quod oſtendit ibi Durandus , qui videri poteſt .

Lectiones primi Nocturni terminantur cum exhortatione : *Jeruſalem Jeruſalem convertere* . ly Jeruſalem geminatur exemplo Chriſti , qui Matth. 23. hac geminatione uſus eſt : ut notavit Mich. Timoth. apud Gavant. n. 14. & ſignificat etiam Durandus n. 9. ex hoc autem arguitur , ſeu reprehenditur duritia Judæorum , & peccatorum , ut idem Durandus obſervat .

Quod in tertio Nocturno non legatur hoc Triduo de Evangelio , ſed ſed Epiſtolis Divi Pauli ; monumentum eſſe , dicitur , Ritus veteris , ex quo in primo Nocturno legebatur de veteri teſtamento ; in tertio de novo , non tamen ex Evangelio , quod Miſſæ lectioni deſtinatum erat ; & in ſecundo Patrum ſermones , varietatis gratia , inſerebantur . Vid. Caval. *to.* 2. *par.* 2. *c.* 34. *in decr.* 18. *n.* 1. Merat. *to.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 12. *num.* 3. & 11.

19 In hoc Officio Capitulum , quod legere Majoris in Choro officium eſt , ſubticetur : quia Majores , ideſt Apoſtoli diſperſi fuerant tempore Paſſionis . Verſus tamen , utpote Minorum Officium , non omittitur , quia Minores , ideſt Diſcipuli , forſan minus cogniti erant Chriſti fuiſſe Diſcipuli , atque adeo diſperſi non ſunt tempore Paſſionis ; unde & Officium hoc triduanum potius a minoribus celebratur , in typo minorum Diſcipulorum , & mulierum , qui Chriſtum Dominum ſequebantur ; ita Durandus n. 26. Amalarius cit. c. 21. & ex eo Gavantus *ſect. 6. c.* 13. *n.* 19. inquit , ideo taceri Capitulum , non item Verſum , quia Majorum munus eſt , cantare Capitulum : Confer Merat. *to.* 2. *ſect.* 4. *c.* 5. *n.* 5. Minorum autem eſt , dicere verſum ; cum igitur hoc Officium ſit de Chriſti humilitate , decet , tacere Majores , & audire Minores : & hi quoque Minores ex Diſcipulis (uti ſunt Mulieres) adhæſere Crucifixo .

20 Fragor, & ſtrepitus, qui fit , poſt Orationem , *Reſpice* : ſignificat concrepationem Judæorum , & tumultum Cohortis , quam cum gladiis , & ſu-

& fuſtibus Judas contra Chriſtum adduxit. Honor. *in Gem. l. 3. c.* 88. Duran. n. 27. Item terræmotum magnum Chriſto moriente factum: ut bene quoque interpretatur Durand. l. cit., qui etiam n. 8. dixerat, fieri ſonitum per tractum ligni cum manu, quia Chriſtus in ligno Crucis pendens voce magna clamavit.

21 Pſalmus. *Miſerere*: & Oratio humili voce dicuntur ad deſignandum Apoſtolorum timorem. Durand. nu. 28. Item ad ſignificandam ſpiritus dejectionem ex mœrore animi, cauſa Paſſionis, & mortis Chriſti propter ſcelera noſtra; *in mœrore animi dejicitur ſpiritus. Prov.* 15. 13. Oratio dicitur a Sacerdote genibus nixo, ad imitandum Chriſti Domini exemplum humilitatis: Gavant. nu. 20. qui quidem in horto *poſitis genibus orabat*. Luc. 22. 41. & *procidit in faciem ſuam*. Matth. 26. 39.

Sacerdotali benedictione non utimur, hoc eſt: *Dominus vobiſcum*: non dicitur, ad deteſtandam proditricem ſalutationem Judæ. Beleth c. 96. Durand. n. 6. Amalar. cit. cap. 21. Vel quia ſummus Sacerdos moritur, ut ſenſit Alcuinus cap. de Cœna Domini. Item ſalutatio ad invicem magis competit lætitiæ; nunc autem tempus eſt triſtitiæ, mœroris, & luctus; confer dicta tr. 1. lib. 1. cap. 6. num. 2.

22 His diebus fit Officium humilius ſolito propter Domini humiliationem, & triduanam ejus ſepulturam, quam commemoramus. Durand. nu. 7. Amalar. cit. c. 21. Verumtamen Nocturnale Officium per quod ſignificantur Prophetiæ Prophetarum, alta voce, & manifeſtius cantatur, quia Prophetæ, & alii Sancti Patres veteris teſtamenti alta, & aperta voce, quæ de Chriſto erant ventura, prædixerunt: & quod Spiritus Sanctus dictabat illis, remota formidine, nuntiarunt. Diurnum vero Officium, per quod Apoſtolorum prædicatio figuratur, voce demiſſa, & quaſi ſub ſilentio cantatur, quia tempore Paſſionis Apoſtoli, oppreſſi triſtitia omnino tacuerunt, aut ſaltem occulte prædicaverunt. Rupert. *l. 5. c.* 32. & 33. Durand. *num.* 7. Jo: Beleth *c.* 102.

Pſalmi Horarum minorum dicuntur ſine Antiphonis. Veſtigium hoc eſſe, volunt aliqui, veteris moris, ex quo Horæ minores carebant Antiphonis. Merat. *to.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 3. *nu.* 5. Alii autem tradunt, Antiphonas ad vocis modum Pſalmis dandum, ſolummodo fuiſſe inſtitutas, & hinc nullas eſſe in minoribus Horis trium ante Paſcha dierum, quia eatum Pſalmi recitari tantum, non cani ſolent. *Emman. Azevedus de Divin. Offic. Exercit.* 32. ſed videtur obſtare, quod etiam Veſperæ eodem triduo perſolvantur ſine cantu juxta Rubricas in fer. V. Cœn. & in Paraſc. & nihilominus ſuis de more donantur antiphonis. Fortaſſe vero, quia Veſperæ ſunt pars Officii ſolemnior, quam Prima, Tertia &c. quæ vocantur Horæ minores, ideo Veſperæ ſuis non ſunt antiphonis ſpoliatæ, etiamſi debeant & ipſæ ſine cantu perſolvi. 23

Martyrologium non legitur, nec dicitur *Pretioſa* ad Primam, atque adeo omittitur commemoratio de Paſſione, & Morte Sanctorum, quia Chriſti Paſſioni jam nimis ſumus intenti, de paſſione aliorum Sanctorum nihil cogitantes; Ita Burius in *brevi notit. Rom. Pontif. in Onomaſtico Etymologico V. Martyrologium* fine. Simi- 24

Digitized by Google

milem rationem in Sabbato ante Dom. Paſſionis nu. 9. aſſignavimus ex Durando, & aliis, de eo, quod ſuffragia Sanctorum omittantur tempore Paſſionis.

25 Reſtat non admodum facilis explicatio de numero quindecim Candelarum Candelabri Triangularis, & de cæremoniis circa illas. Rupertus *de Divin. Offic. lib. 5. c. 26.* ſic ait: *Numeroſa quippe luminaria, quæ ſurgentes ad Vigilias* (nocturnas, ſeu ad Matutinum; Vide dicta tract. 1. l. 1. c. 1. n. 18.) *ardentia reperimus, univerſos ſignificant Sanctos, qui prophetico ſermone lucentes, Solemque Juſtitiæ naſciturum, & paſſurum, tanquam ſtellæ præviæ nunciantes lumen divinæ ſcientiæ populo illi* (Judaico) *diverſis temporibus infundere miſſi ſunt.* At vero ex Jo: Beleth *de Divin. Offic. c.* 101. & ex Durando *n.* 18. ſignificant duodecim Apoſtolos, Beatam Virginem Matrem Domini, Mariam Magdalenam, & alteram Mariam, quæ ſequutæ fuerant Dominum. Idem Durandus n. 25. & alibi dicit: Candelam in ſummitate Candelabri triangularis poſitam ſignificare Chriſtum Dominum; ſed non explicat, an aliquas perſonas, quaſve tunc ſignificent reliquæ quatuordecim? Dixerat quidem nu. 19. Candelam in ſummitate Candelabri poſitam ſignificare Chriſtum Dominum, reliquas vero quatuordecim, articulos quatuordecim fidei. Sed hæc explicatio, ex eo, quod meminit articulorum fidei quatuordecim tempore Paſſionis: rejicienda eſt, utpote innixa falſo ſuppoſito, ut mox animadvertemus.

Quod autem præfatæ Candelæ inter hæc Officia Divina extinguantur, & non ſimul, ſed una poſt aliam nimirum poſt ſingulos Pſalmos; id ita interpretatur Rupertus l. cit. poſt ſupra recitata verba ſubdens: *At illi* (Judæi) *vitam eorum* (Prophetarum) *extinguentes corporalem, cæcitatem ſibimet intulere ſpiritualem, tandemque audire meruerunt: ut veniat ſuper eos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, a ſanguine Abel juſti &c. Igitur Candelæ in eo, quod ſingulæ poſt ſingulos extinguantur Pſalmos, Prophetas ſignificant, qui ſinguli expleto prophetiæ ſuæ miniſterio, ab illis* (Judæis) *occiſi ſunt.* Ita Rupertus. Verum Beleth cit. c. 101. & Durandus n. 23. qui, ut ſupra diximus, prædictas Candelas accenſas ſignificare, volunt, diſcipulos Chriſti: ideo eas extingui, & unam poſt aliam, interpretantur, ad ſignificandum, diſcipulos, ſeu Apoſtolos Chriſti omnes relicto eo fugiſſe, & a Præceptore ſuo non ſimul, ſed ſucceſſive unum poſt alium diſceſſiſſe. Item extingui poſt ſingula Cantica, ſeu poſt ſingulos Pſalmos, quia ſingulis canticis, ſive Pſalmis mœſtitia decidimus, eo quod verus Sol occubuerit, & gaudium noſtrum ſit converſum in luctum, dicit Duran. ibid. Amalar. *de Eccl. Offic. l. 4. c.* 22. & Honor. *in Gem. l. 3. c.* 87.

Quatuordecim ex quindecim Candelis Candelabri ſignificare quatuordecim articulos fidei, voluiſſe n. 19. Durandum, modo ſupra innuimus; nunc addimus, extinctionem ſignificare extinctionem fidei factam in fuga Apoſtolorum tempore Paſſionis. Sed monet Gavantus in *Rubr. Brev. ſect. 6. cap. 13. n.* 22. & nos etiam mox animadvertemus, opinionem hanc a modernis Theologis reprobari: præterea tunc nondum fuiſſe quatuordecim articulos fidei: Unde Durandus ſupponit falſum.

Du-

Durandus item poſtquam dixiſſet: Paſſionis tempore extinctam pene fuiſſe fidem in Apoſtolis, aliiſque, idque ſignificari per Candelarum extinctionem; idem deinde cit. num. 25. affirmat, per Candelam, quæ in ſummitate Candelabri collocata non extinguitur, ſignificari: in triduo Paſſionis totam fidem in ſola Virgine remanſiſſe; idipſum dixerat c. 7. n. 12. Idem docuerunt, idque per hæc ſignificari putarunt quoque Alexand. Alenſis 3. *par. qu. ult. art.* 2. & *Card.* Joan. Turrecrem. *lib.* 1. *de Eccl. c.* 30. & *lib.* 3. *c.* 61. Accedit Cornelius A Lapide in *Matth.* 26. 31. ubi dicit: quod *Eccleſia ſentire videtur, fidem Chriſti tunc* (hoc eſt Paſſionis tempore) *in ſola B. Virgine permanſiſſe, dum in Paraſceves Officio omnes Candelas ſucceſſive extinguit, unica dumtaxat ardente relicta*. Ita ille. Paſſionis tempore manſiſſe in ſola Virgine fidem, habetur item apud auctorem tractatus de Paſſione Domini, qui legitur inter opera Divi Bernardi Abbatis *tom.* 2. *edit. Venet. ann.* 1616. *pag.* 328. In prædicto quidem tractatu prope finem capitis ſecundi leguntur hæc: .... *In perſona Chriſti conquerentis loquitur Beatus Job*: Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos. *Per labia quippe, quæ cæteris ſunt membris molliora, mulieris ſexus mollis, & infirmus intelligitur, qui ſolus Chriſto, diſcipulis fugientibus, adhæſit, figuratur. Elegit enim Dominus infirma mundi, ut confunderet fortia. Si vero fugam mentalem intelligimus, nec vir, nec mulier relictus eſt cum eo, præter illam, quæ ſola benedicta eſt in mulieribus, quæ ſola per illud triſte Sabbatum ſtetit in fide, & ſalvata fuit Eccleſia in ipſa ſola*. Hæc ibi. Allegatur etiam pro hujuſmodi opinione Auguſtinus, aliique apud A Lapide loc. cit. laudantur.

Verum contraria ſententia eſt omnino vera, atque ita communis, ut Toletus in c. 18. Joannis annot. 11. dixerit: eam ab omnibus eſſe receptam: cui quidem teſtimonio non contradicit ipſemet A Lapide l. cit. ubi etiam hanc ipſam ſententiam tandem amplectitur, atque confirmat. Et vero priorem opinionem illam cenſentem Apoſtolos a Chriſti fide Paſſionis tempore defeciſſe, falſam omnino eſſe probant moderni Theologi in tractatu de fide, & videri poteſt Canus *de loc. Theolog. lib.* 4. *cap.* 5. & *lib.* 6. *c. ult.* Hieronymus a Rua *controverſ.* 7. *ſcholaſt.* Suarez *de fide diſp.* 9. *ſect.* 3. *n.* 7. Du-Val *tract. de Pontif. par.* 4. *quæſt.* 6. Raynaud. *tom.* 7. *tract. de Diptych. Marian. par.* 1. *pun.* 9. *n.* 27. & *in Gloſſ.* V. *Lectulus Dei* §. *Altera ratio*. Bened. Plazza *Devot. vindic. par.* 2. *c.* 15. *n.* 30. Bellarmin. *l.* 3. *de Eccleſ. milit. c.* 17. ubi inquit: *Et ſane periculoſum videtur, dicere, in ſola Virgine manſiſſe veram fidem; quia Eccleſia periiſſet; non enim una perſona poteſt dici Eccleſia, cum Eccleſia ſit populus, & Regnum Dei*. Canus item cit. c. 5. ſub initium cenſet, quod id, *non cum ratione ſolum, ſed etiam cum ſacris litteris pugnat*. Niſi forte illa prior opinio intelligi velit de ſola fide explicita Reſurrectionis Domini. Et hoc quidem ſignificare poteſt conſuetudo prædicta, quæ extat in Eccleſia, non extinguendi ultimam illam Candelam: ut putant Abulenſis *qu.* 14. *Prolog. in Matth.* aliique, quibus magis adhæret ipſe A Lapide l. cit. poſtquam enim dixiſſet: Eccleſiam, dum in Paraſceves Officio omnes

Can-

Candelas ſucceſſive extinguit, unica dumtaxat ardente relicta, ſentire videri, fidem Chriſti in ſola B. Virgine permanſiſſe; ſtatim ſubdit: *Sed hoc verius alii arctant ad fidem Reſurrectionis, quod ſcilicet ſola B. Virgo Chriſtum a morte reſurrecturum ad lumen vitæ, crediderit*: nimium clare, & explicite. Dicit etiam Gavantus l. cit. Candelam prædictam poſſe ſignificare excellentiam fidei ejuſdem B. Virginis ſuper Apoſtolos.

Quod autem Candela eadem occultetur, & rurſus oſtendatur populo; ſignificare primo poteſt, Chriſtum, qui licet videretur extinctus, dum corpus ejus erat in ſepulchro poſitum, & anima ejus deſcenderat in inferiores partes terræ, h. e. in infernum, ſeu Limbum Sanctorum Patrum; Attamen ſecundum Divinitatem, quæ illi erat occulta, vivebat: etenim ex D. Thoma 3. *part. qu.* 52. *art.* 3. *corp.* . . . . *in illo triduo mortis Chriſti dicendum eſt, quod totus Chriſtus fuit in ſepulchro, quia tota Perſona fuit ibi per corpus ſibi unitum; & ſimiliter totus fuit in inferno: quia tota Perſona Chriſti fuit ibi ratione animæ ſibi unitæ*. Poſtea vero reſurgens cum luce clariſſima ſe ſuis diſcipulis manifeſtavit. Atque adeo prædicta Candela ſignificat Chriſti gloriam adverſus omnes fremitus devictis tenebris ſuperſtitem; quæ ſignificatio eſt Joannis Beleth *de Divin. Offic. c.* 101. ac Durandi *l. cit. num.* 26. & 28. eamque approbat Raynaudus in *Diptyc. Mar. l. cit.* ubi quoque teſtatur, quod Julius Firmius *lib. de error. profan. c.* 20. uſum quemdam ethnicum referens, demonſtraverit, idoneum hoc eſſe ſymbolum Chriſti. Secundo prædicta Candela non extincta, ſed occultata, & mox iterum revelata ſignificare poteſt fidem Eccleſiæ tempore Paſſionis non quidem extinctam, ſed occultatam fuiſſe. *Gavant. l. cit.* Scilicet, quod Apoſtoli, aliique Diſcipuli Chriſti Domini non auſi fuerint palam illum confiteri, ſed quod mox publice cœperint confiteri, uti Joſeph ab Arimathæa, Nicodemus, & alii multi tum Gentiles, tum de populo Hebræo, qui ſtatim poſt mortem Domini e Calvariæ monte *revertebantur percutientes pectora ſua*. Luc. 23. 48. & dicentes: *Vere Filius Dei erat iſte*. Matth. 27. 54.

Ruperti tamen tempore ultimam prædictam Candelam conſueviſſe cum cæteris extingui, conſtat ex ejuſdem *lib.* 5. *de Divin. Offic. cap.* 26. & 33. qui cit. c. 26. vult, Candelas Altaris extinctas cum aliis ſignificare Prophetarum mortem: ut ſuperius diximus: & Judæorum cœcitatem, qui tandem ipſum etiam Dominum occiderunt: cujus mortem ſignificatam fuiſſe tradit per extinctionem ultimi cerei.

Deinde extinguuntur omnia luminaria, vel etiam velantur feneſtræ Templi, & fiunt tenebræ: quia Eccleſia in luctu eſt, & mœrore propter Paſſionem, & mortem Domini. Durand. num. 2. Item ad ſignificandum, quod moriente Domino, *tenebræ factæ ſunt in univerſam terram* . . . *& obſcuratus eſt ſol*. Luc. c. 23. v. 44. & 45. Alcuinus *c. de Paraſceve*. Durand. *n.* 2. & 15. Jo: Beleth *de Divin. Offic. c.* 100. Raban. *Inſtit. Cler.* 2. *c.* 37. Rupert. *cit. c.* 26. Tertio, quia Sol juſtitiæ, & Lux Mundi Chriſtus Dominus extinctus, ſeu mortuus eſt. Alcuin. *l. cit.* Amalar. *de Eccl. Offic. l.* 4. *c.* 22. Durand. *num.* 15. 26

Tandem poſt Orationem *omnes ſurgunt, & cum ſilentio diſcedunt* a Choro: ex Rubr. ſilentium indicitur rigoroſius ob dierum reverentiam, & ad indicandum mœrorem ob Paſſionem, & mortem Domini.

SECTIO II.

De Miſſa.

Utrum in Triduo ante Paſcha liceat celebrare Miſſas privatas?

27 PRÆMITTO primo quæſtionem in præſenti non eſſe: an liceat dicere Miſſas in feria V. Cœnæ Domini, quando in eam incidit feſtum Annunciationis B. M. Virginis, vel S. Joſeph Sponſi laudatæ SS. Dei Genitricis? nam in eo caſu poſſe celebrari Miſſas privatas ea ratione, & modo, quo diximus 19. Martii a nu. 11. & die 25. ejuſdem menſis a n. 32. certum eſt. Idemque licere, ſi alicubi occurreret aliquod aliud feſtum de præcepto in foro; Auctores affirmare, notavimus 19. Martii cit. num. 11.

Præmito ſecundo, nec quæſtionem eſſe poſſe de feria VI. in Paraſceve, nam in ea feria certum etiam eſt, jamque Auctores conveniunt omnes, prohiberi omnino Miſſæ Sacrificium, uti notabimus in dicta feria n. 205.

Præmitto tertio, quæſtionem procedere de feria V. majoris hebdomadæ extra caſum prædictum occurſus feſti de præcepto. Et item de Sabbato Sancto.

Jam olim fuiſſe prohibitum in Sabbato Sancto celebrare, conſtat ex Innoc. I. C. *Sabbato* 13. *diſt.* 3. *de conſecr.* ubi dicitur: quod *Traditio Eccleſiæ habeat iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari*. Sermo autem ibi eſt de biduo ante Paſcha, de feria ſcilicet ſexta, & Sabbato majoris hebdomadæ. Dubium autem eſt: an hæc prohibitio affecerit omnem, & quamcumque Miſſæ celebrationem, an ſolum privatam.

Quamvis enim nonnulli putent, Reſurrectionis Miſſam ſolemnem nunc in Sabbato Sancto mane celebratam, olim fuiſſe celebratam poſt mediam noctem Sabbati, adeoque in ipſa Dominica Reſurrectionis; plerique tamen tradunt, prædictam Miſſam in ipſo Sabbato fuiſſe celebratam, non mane quidem, ut nunc fit; ſed poſt Solis occaſum ad initium noctis: tum vero poſt illam ſolemnem Miſſam cuilibet Sacerdoti licitum fuiſſe celebrare.

Jamvero poſtquam Reſurrectionis Miſſa ſolemnis novo jure Eccleſiæ anticipata fuit ad tempus antemeridianum Sabbati; quaſi potiori jure controverſum eſt; an duret adhuc illa vetus prohibitio ſacrificandi in hoc ſabbato privatim, vel abſolute, vel uſque ad Miſſam ſolemnem?

Cum vero aliquid peculiaris Juris ſit in hac quæſtione pro Sabbato, quod non eſt pro feria V. in Cœna; hinc etiam nos diſtinctis Subſectionibus quæſtionem hanc valde utilem pro eruditione & praxi breviter attingemus.

SUBSECTIO I.

An liceat dicere Miſſas privatas Fer. V. Cœnæ Domini?

POSSE in feria V. Cœnæ Domini celebrari Miſſas privatas a quovis Presbytero, plurimi & magnæ notæ docuerunt Theologi inter Ve- 28

teres;

teres; ex eo ducti, quod nullum de hac re inhibitivum Decretum invenirent. Siquidem quod legitur C. *Sabbato* ſupra citato, loquitur tantum de *Biduo* ante Paſcha: unde potius videtur firmare exceptionem in favorem feriæ V. Pro hac ſententia fuere Henric. Henriquez *in Sum. to.* 1. *l.* 9. *c.* 24. *n.* 3. Navar. *in Manual. c.* 25. *n.* 28. Card. de Lugo *de Euchar. diſp.* 20. *ſect.* 1. *n.* 14. Tambur. *Meth. celebr. Miſ. c.* 6. §. 1.

29 Caſtigatius loquendo alii, poſtularunt, ut id fieret ſecreto, & abſque concurſu populi, ſecluſo ſcandalo propter aliquam conſuetudinem in contrarium, & puſillorum ignorantiam. Ita Suarez *in* 3. *par. tom.* 3. *diſp.* 80. *ſect.* 2. §. *Supereſt*. Et alii.

30 Alii rurſus pro firmo ſtatuentes nullam dari quo ad hoc Univerſalem Eccleſiæ legem prohibentem: negarunt dumtaxat pro caſu, quo alicubi daretur vel conſuetudo contrarium recepta, quæ utique pro Lege ſervanda eſſet, vel Synodalis præſcriptio, cui procul dubio parendum. Ita Azor. *Inſtit. Moral. part.* 1. *l.* 10. *c.* 24. *qu.* 5. *fin.* Bonac. de Euchar. *diſp.* 4. *qu.* 7. *pu.* 2. *n.* 15. Laym. apud Franc. de Lugo *de Sacr. lib.* 5. *de Miſ. c.* 5. *qu.* 3. *n.* 25. Tancr. *to.* 4. *Qq. Moral. tr.* 3. *de Voto diſp.* 4. *n.* 71.

31 Poſtremo in hoc concurrebant omnes: ita privatæ Miſſæ Celebrationem cuilibet Presbytero licitam eſſe hac die, ut fiat dumtaxat ante Miſſam ſolemnem: qua utique abſoluta, luctus, & peculiaria myſteria Mortis Chriſti potiſſimum incipiunt celebrari, quando abſtinendum omnino eſt a celebratione Sacrificii. Ita Diana *to.* 2. *edit. coord. tr.* 1. *de celebr. Miſſ. Reſ.* 73. §. 3. Salmantic. *tom.* 1. *tr.* 5. *de Miſſ. c.* 4. *qu.* 1. *nu.* 2. La-Croix *lib.* 6. *part.* 2. *de Sacrif. Miſſ. qu.* 31. Notabile vero eſt, quod huic ſententiæ faveat conſuetudo Eccleſiæ Pariſienſis, ubi Presbyteri non communicant hac die de manu Celebrantis Miſſam ſolemnem, ſed ipſi per ſe celebrant privatim Miſſam, antequam abſolvatur Miſſa ſolemnis: ita teſtatur Benedictus XIV. de feſt. Dom. c. 6. §. 5. Andreas Sauſſay, qui ita concludit narrationem ſuam: *Porro Pariſiis contrarium morem uſurpari conſpicimus, & paſſim in Gallia; dicunt etiam in Hiſpania. At an procedat de facto, vel de jure; ipſi viderint, qui faciunt. Excuſari tamen cenſeo ex tolerantia Epiſcopi; qui videt, nec prohibet*. Ita apud Dian. *tom.* 2. *Edit. coord. tr.* 1. *Reſol.* 73. §. 1.

Poſt tantam vero Veterum Scriptorum in hac decidenda quæſtione trepidationem, vera & in praxi habenda ſententia eſt Negativa; quod ſcilicet abſolute prohibitum ſit celebrare Miſſas privatas in feria V. Cœnæ Domini. 32

Nam quidquid ſit de C. *Sabbato*: quidquid etiam ſit de aliis Decretis, de quorum authentia dubitavit Cardinalis de Lugo *de Euch. diſp.* 20. *ſect.* 1. *num.* 14. & dubitarunt etiam Salmanticenſes *tom.* 1. *tr.* 5. *de Miſſ. Sacrif. c.* 4.

His, inquam non attentis; certum habemus Sacr. Congreg. Decretum ex mente Summi Pontificis Clementis XI. emanatum 15. Martii 1712. quod licet primario reſpiciat feriam VI. Paraſceves, pro qua facta fuit interrogatio, tamen extenditur ad feriam V. Cœnæ & Sabbatum Sanctum; eſtque hujus tenoris: *Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares privilegiati non poſſunt in feria* VI., *occaſione*

SS. Annunciationis in dicta die occurrentis celebrare in quavis Eccleſia, ſeu Oratorio aliquam Miſſam ſolemnem, vel privatam, nec facere feſtum, vel parare aut ornare Eccleſias aut Altaria, licet dicata Beatiſſimæ Virgini etiam Annuntiatæ; cum ob doloroſam Mortis Noſtri Redemptoris recordationem, tenendæ ſint coopertæ Sacræ Imagines, & altaria ſpoliata: ſed tantum debet fieri ſolita ſacra functio, prout præſcribit Miſſale Romanum, in Eccleſiis ſcilicet, in quibus feria v. *in Cœna Domini collocari ſolet Venerabile in aliquo Altari, vel alio decenti loco vulgo vocato* il Sepolcro. *Poſtremo Sanctitas Sua declarat, hac interdictione, quæ feriæ* VI. *ratione facta eſt, haud permittere ut feria* v. *& Sabbato ejuſdem Majoris Hebdomadæ Sacra privatim inſtituantur, ſed Conventuale ſolummodo, juxta ritum Sanctæ Eccleſiæ, & juxta plura decreta Sacrorum Rituum Congregationis*. Hoc Decretum extat par. 2. Bullarii particularis laudati Pontificis, & apud Cherubinum tom. 8. part. 2. p. 256. col. 2. edit. Luxemburg. 1727. & apud Caval. *to.* 4. *d.* 16. *d.* 1. Cui affine monitum juſſu ejuſdem Pontificis promulgavit Cardinalis Paraccianus Urbis Vicarius ann. 1719. die 3. April. in hæc verba: *Sanctitas ſua juxta ea, quæ pluries a Sacra Rituum Congregatione ſancita ſunt, præcipit omnibus Sacerdotibus, ut a Miſſis celebrandis privatim abſtineant non modo feria* VI. *ſed etiam feria* v. *& Sabbato Majoris Hebdomadæ tum in privatis Sacellis, tum publicis Regularium, vel Sæcularium, quibuſcumque privilegiis prædita ſint, quæ omnia, & quamlibet contrariam conſuetudinem penitus abrogat*. Apud Bened. XIV. *tom. XI. Inſtit. Eccl. inſtit.* 38. *n.* 9.

Nota hic cum Caval. *tom.* 4. *c.* 21. 33
comment. in decr. 1. *n.* 8. quod præfatis verbis tria evertuntur Capita, quibus potiſſimum innitebantur Auctores concedentes Miſſas celebrari privatas in feria V. Cœnæ: nimirum quod id fieret ex Conſuetudine, quod ſecreto, & quod a privilegiatis.

Excipe a præſenti prohibitione ca- 34
ſum, quo in feria V. Cœnæ occurrat feſtum Annunciationis B. M. V. aut S. Joſeph aut alterius Sancti de feſto in foro celebrandi de præcepto in aliquo loco, pro quo caſu manet proviſum ex pluribus Decretis S. R. C. ut nonnullæ Miſſæ privatæ, pro neceſſitate & multitudine populi, ab Ordinario Loci decernantur celebrandæ. V. in hoc noſtro Diar. ſub die 25. Mart. & 19. ejuſd. & hic infra in feria V. Cœnæ.

Cum itaque viderimus pleroſque ex 35
Auctoribus concedentibus Miſſam in fer. V. motos fuiſſe ex carentia Decreti certo inhibentis fieri Sacra privata in hac die: cumque nos jam attulerimus certa decreta, idcirco, ut recte monet Benedictus XIV.: *Non eſſe æſtimanda eorum teſtimonia, qui Sacrum eadem feria* v. *confici poſſe ſcripſerunt: fatentur enim ſe ignorare, utrum id vetitum unquam fuerit*. l. ſup. cit. Quinimmo putare debemus, ex tam claris Decretis Sacr. Congreg. Auctores illos reprobaturos fore priorem ſuam ſententiam *ſi poſt allegatas, ſanctiones ſcriberent*. Ita Caval. tom. 4. com. *cap.* 21. *com. in decr.* 1.

SUB.

SUBSECTIO II.

Utrum liceat celebrare Miſſas privatas in Sabbato Sancto.

36 CELEBRATIONEM Miſſæ privatæ licitam in Sabbato Sancto admiſere fere omnes illi, quos ſupra retulimus admiſiſſe in feria V. Nimirum hi putarunt, per anticipationem Lætitiæ Paſchalis factam novo jure Eccleſiæ a nocte Sabbati Sancti ad meridiem, ſeu ipſum mane ipſius Sabbati Sancti, abolitam pari jure fuiſſe prohibitionem celebrandi contentam in C. Sabbato 13. diſt. 3. *de Conſecr.* quare cum de nullo (ipſi ajebant,) novo jure conſtet Miſſas prohibente pro tali die, licitum eſt celebrare.

37 Quamquam ſubvidentes & ipſi nonnullam in iſta licentia inſolentiam, talibus ſententiam ſuam limitationibus, aut conditionibus concluſerunt, ut trepidatione ipſa ſua, neſcio an ulli illam probarent.

Ut alios minoris notæ omittam,
38 Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 80. *ſect.* 2. licet hanc ſuam opinionem vocet ſatis probabilem, & practice ſecuram, ſubdit tamen: *Non conſulerem uſum illius niſi in aliquo caſu, cum cauſa, vel occaſione rationabili, & ſcandalum omne diligenter vitando.* Ita nimirum ſcribebat, quia *antiqua probibitio abrogata cenſetur, & nulla adeſt nova.*

39 Conditiones vero ab aliis appoſitæ recidunt fere in eaſdem, quas ſubſect. præc. pro feria V. appoſitas legimus, puta quod non celebretur niſi poſt Miſſam ſolemnem, aut fiat ex Superiorum permiſſu, aut occurrente feſto de præcepto, aut urgente neceſſitate miniſtrandi Viaticum Infirmo, quod ſecus haberi non poſſet.

40 Quamvis autem ſententia prorſus negans celebrationem Miſſarum privatarum ſit nobis ex certiſſimis S. C. Decretis ſtatuenda, tamen quia in hujuſce quæſtionis inveſtigatione multa ſunt Veteris eruditionis ſcitu digna tum ne prorſus ſine ratione Veteres illos Scriptores in affirmativam ſententiam abiiſſe putemus, operæ pretium eſt exponere, quid Juris in Veteris Eccleſiæ Liturgia, quid in poſteriori circa Miſſam Sabbati Sancti ſubinde fuerit.

41 Olim igitur per totam diem ſaltem Civilem Sabbati Sancti repræſentaſſe Eccleſiam Chriſti requiem in Sepulchro; & ſolitudinem ſuam & mœrorem de morte Chriſti ſolitudini & Mœrori Apoſtolorum comparaſſe, nemini dubium eſt: Sicut ergo præcedenti feria VI. abſtinuit ab omni Sacrificio tum publice tum privatim ob peculiares rationes contingentes Mortem ipſam Chriſti in ipſa feria VI. Paraſceves Crucifixi, (quas v. infra fer. VI. ubi de Miſſa): ſic in Sabbato in ſolitudine & mœrore ſuo perſeverans ab eodem abſtinebat: quæ omnia luculenter indicat Innocentius I. in epiſt. ad Decentium Epiſcopum cap. 4. nu. 7. & habetur C. *Sabbato* ſup. laudato: hæc ſunt verba Innocentii Papæ: *Sexta feria propter Paſſionem Domini jejunemus: Sabbato prætermittere non debemus, quod inter triſtitiam, & lætitiam temporis illius videtur incluſum. Nam utique conſtat Apoſtolos biduo iſto & in mœrore fuiſſe, & propter metum Judæorum ſe occultaviſſe. Quod utique non dubium eſt, in tantum eos jejunaſſe biduo memorato, ut traditio Eccleſiæ habeat, iſto biduo. (majoris hebdomadæ,) Sacramenta penitus non celebrari.*

42 Dixi per totam diem *ſaltem Civi-*

lem

Digitized by Google

lem abſtinuiſſe Eccleſiam a Sacrificio in Sabbato Sancto: quia ſententiam non probamus eorum, (inter quos Vaſquez apud de Lugo de Sacram. Euch. diſp. 20. ſect. 1. num. 15. & Suar. loc. ſup. cit.) qui putarunt, ex Canonis relati auctoritate Miſſam, quæ ſub titulo legitur Sabbati Sancti, poſt mediam noctem ejuſdem Sabbati celebratam fuiſſe in vetuſtiori Eccleſiæ Liturgia: 1. quia nullum habemus monumentum ad hoc dicendum; Miſſa enim quæ dici debuerat poſt mediam noctem Sabbati, non poni debuiſſet ſub titulo Sabbati, ſed Dominicæ Reſurrectionis ad mediam noctem ut fit in die Nativitatis Domini, pro prima Miſſa. 2. quia ex variis teſtimoniis deducitur, fideles uſque ad Miſſam Sabbati exſpectaſſe jejunos, quod utique neceſſarium non fuiſſet, ſi Miſſa dicenda erat poſt mediam noctem Sabbati, ideſt poſt ingreſſum Dominicæ: hanc autem conſuetudinem tradit Amalar. de Eccl. Offic. l. 4. c. 20. & confirmatur ex teſtimonio Ugonis, qui loquens de anticipatione hujus Miſſæ, quæ jam fiebat ſuo tempore, illam tribuit debilitati modernorum fidelium, qui ad epulas feſtinantes, tempus anteverterunt conſtitutum; ut mox referemus. 3. quia in ipſa Miſſa ad finem loco Poſtcommunionis notantur dicendæ Veſperæ utique Sabbati; quas, nimis abſonum eſt putare, præſcribi in Dominica. Verba igitur prædicti Canonis *Sabbato* ubi dicunt *Biduo* non celebrari Sacramenta; intelligenda ſunt, abſolute includere totam feriam VI. ſed Sabbatum pro tota ipſa civili die, nimirum uſque ad noctem, quantum ſatis ad intelligendum Biduum conſuetæ Sacramentorum celebrationi deputatum, nam quod jam de nocte faciendum inſtabat Sabbato, peculiare erat, & præter conſuetudinem.

Cum ergo conſtet Miſſam Sabbati in ipſo Sabbato dicenda fuiſſe, licet in Nocte; ulterius notandum eſt, primis Eccleſiæ Sæculis horam ipſi dicendæ conſtitutam fuiſſe quaſi mediæ nocti conterminam, nimirum fere tranſacto die Sabbati; ſed in decurſu ad indulgendum debilitati fidelium, ne cogerentur tam longum protrahere jejunium, quod nonniſi poſt Veſperas ſolvere licebat, anticipata eſt Miſſa ad noctis initium. Ita Ugo a S. Victore lib. 3. de ſpecial. Miſſar. obſervationib. cap. 21. *Vere*, inquit, *Antiqui jam fere tranſacto die Sabbati*, *Officium hoc celebrabant*, *ſed modernorum debilitas ad epulas feſtinans tempus prævenit conſtitutum*: Et jam mos iſte celebrandi Miſſam ſub initium noctis Sabbati Sancti vigebat temporibus S. Thomæ, ut ipſe perhibet *in* 5. *diſt.* 13. *qu.* 1. ut notat, & refert Gavantus *in Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 10. *n.* 45. de eodem teſtatur Ordo Romanus, qui ſcriptus fuit tempore Caroli Magni, & ſic habet: *Ut fuerit prima ſtella in cœlo viſa*, *ſonant ſigna*, *& incipiunt canere Litaniam . . . Poſtquam finierint; dicit Sacerdos: Gloria in excelſis*. Conſentit Rabbanus Maurus qui obiit Ann. 855. & *lib.* 2. *de Inſtit. Cleric. c.* 38. loquens de Sabbato Sancto, ait: *Hac autem die inclinante ad Veſperam ſtatuta celebratio noctis Dominicæ in Eccleſia incipitur*. 43

Poſtremo huic anticipationi alia ſucceſſit, quæ jam noſtrorum eſt temporum, cum, anticipatis in diem fere omnibus nocturnis celebritatibus, 44

hæc

hæc ipſa Sabbati Sancti de mane peragitur.

45 Hinc omnis emerſit diſputandi licentia; Utrum anticipatione iſta facta, privatim celebrare cuilibet liceat Presbytero, poſt Miſſæ ſolemnis celebrationem. Siquidem & ratio, & temporis circumſtantia olim privatæ Miſſæ celebrationem interdicebant: Ratio, quod Eccleſia per totum fere integrum Sabbati diem, ex Domini Morte mœſtitiam præſeferebat, neque eam niſi inſtante & adventante Dominica Reſurrectionis ſolvebat; unde etiam ex temporis circumſtantia privatis Presbyteris, neque ſi voluiſſent, integrum fuiſſet Miſſam dicere in Sabbato.

46 Ubi vero ad ipſum noctis initium anticipatio facta eſt celebrandi ſolemnem Miſſam; multoque magis poſteaquam ad matutinas horas, ut noſtra jam fit ætate; tum omnis mœſtitiæ ratio ſublata eſt, & temporis circumſtantia patuit, quando, ſolemni abſoluto Sacrificio, privata ab aliis Presbyteris commode valeant celebrari.

47 Et ſane hujuſce facultatis indicium non leve exſtat apud Micrologum, qui cap. 53. de Sabbato Sancto hæc præſcribit: *Poſt Baptiſmum Presbyteri demum poſſunt Miſſam, ſi neceſſe fuerit, privatim celebrare, quia jam renati ſunt, de quibus in Miſſa ſpecialiter agere debemus; nec poſtea a Lectionibus, quas jam audivimus, ſed a Litania incipere ſolemus*. Eſt autem hec liber magnæ auctoritatis, ut conſtat ex Pamelio in præfat. ad illum: fuitque ſcriptus circa annum Domini 1080. quando nimirum, ut vidimus ſup. nu. 43. anticipatio inducta jam fuerat celebrationis Miſſæ ſolemnis ad noctis initium. Ex quo teſtimonio Cardinalis de Lugo infert, incipiente nocte ipſa Sabbati liberum fuiſſe cuilibet Sacerdoti celebrare: qua tamen facultate, ait, paucos fortaſſe uſos fuiſſe tum propter occupationes illius noctis, tum etiam propter onus jejunii, quod diutius trahere cogerentur; ideoque conſuetudo illa unicam ſolemnem Miſſam celebrandi protracta eſt, cui tamen ſemper aliqui reclamarunt, præſertim noviſſimis temporibus, cum multi jam privatim in Sacellis & Oratoriis celebrant etiam ex devotione. Ita de ratione & praxi hujuſce opinionis teſtatur de Lugo, qui etiam adverſus P. Vaſquez ait, hanc conſuetudinem non poſſe dici occultam, quia illam innumeri Auctores in publica luce editi, & qui præ omnium manibus habentur, teſtantur ubique dari. Hæc omnia Cardin. de Lugo *diſp.* 20. *de Sacram. Euchar. ſect.* 1. At vereor ne quod hic ait de Auctoribus teſtantibus conſuetudinem celebrandi privatim in Sabbato Sancto, parum conſiderate dixerit; cum neminem de ea affirmantem legerim (licet multos legerim pro feria V. in Cœna) ſed tantum hypothetice, *ubi detur conſuetudo, niſi obſtet conſuetudo in contrarium: ſi abſit ſcandalum: dummodo fiat ſecreto: ſi adſit facultas Superiorum:* & quod magis eſt ipſe Suarez qui apud ſemetipſum ſecurus erat de licita celebratione Miſſæ privatæ in Sabbato Sancto, etiam pro praxi; tamen cum ad factum alicujus conſuetudinis deveniat, uſque adeo de ea dubitat, ut neque audeat opinionis ſuæ uſum alicui ſuadere indiſcriminatim: *Eſt ergo hæc opinio* (ita libratis rationibus concludit cit. tom. 3. in 3. part. diſp. 80. ſect. 2.) *ſatis probabilis, & practice ſecura;*

non

non tamen conſulerem uſum illius, niſi in aliquo caſu, cum cauſa, vel occaſione rationabili, & ſcandalum omne diligenter vitando.

48 Unum fortaſſe caſum Miſſæ privatæ in Sabbato Sancto deductum fuiſſe ad S. R. C. videri poſſet; in quo affertur conſuetudo immemorabilis. S. C. interrogata ab Archiepiſcopo Lucano: An Parochi in alienas Eccleſias convenientes vel non convenientes, poſſent, attenta conſuetudine immemorabili, aut ſaltem antiqua, Sacrum facere in die Sabbati Sancti cum cantu, aut ſine cantu in propria Eccleſia, prætermiſſis Benedictionibus Ignis, Cerei, prophetiis, aliiſque ritibus ipſa die præſcriptis: aut non obſtante eadem conſuetudine idem Sacrum omittere tenerentur? (Nota interim ad intelligentiam Quæſiti; quaſdam eſſe Parochias quas filiales vocant, quarum Parochi tenentur ad functiones & Cæremonias hujus diei, in Parochia Matrice convenire; jam de his ſermo eſt; & de aliis, qui licet non convenirent, tamen ut in quæſito celebrabant. Videri autem poſſet, maxime quod etiam celebrarent ſine cantu, Miſſam ibi dici privatam.) Reſpondit vero S. C. *Congruit ut Miſſæ celebrandæ in Sabbato Sancto, Ignis, & Cerei Benedictio præcedat, ante quam Miſſam Prophetiæ omitti non debent.* S. R. C. die 12. April. 1755. in Lucana ad 4. dub. ut refert Caval. *tom.* 5. *in Collect. recent. decret.* Jamvero, evidens eſt Sacram Congregationem non habuiſſe pro privata Miſſam cui præſcribit, quamvis congruenter, Benedictionem ignis &c. & ſane Parochialis Miſſa ipſo ſui nomine, Miſſam de jure publicam, & ſolemnem denotat. Sed in favorem præſentis Quæſiti, privative ut non poſſit trahi ad alias Miſſas quæ non ſint Parochiales, facit Diſpoſitio Benedicti XIII. de qua meminimus ſupra n. 7.

Devenientes igitur ad Quæſtionis 49
propoſitæ deciſionem; utrum in Sabbato Sancto liceat privatim celebrare præter unicam ſolemnem Miſſam? dicimus: ſententiam abſolute negativam, eſſe procul dubio certam: quam præter decretum allatum ſup. n. 32. omnino commendant, & pro lege firmant plura alia: Sic die 11. Mart. 1690. approbante Alexandro VIII. S. R. C. decrevit: *In Sabbato Sancto etiamſi occurrat feſtum Annunciationis B. M. V. celebratio Miſſarum privatarum omnino prohibetur in quibuſcumque Eccleſiis & Oratoriis tam publicis, quam privatis, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, ſed una tantum Miſſa Conventualis una cum officio ejuſdem Sabbati celebretur.* Apud Caval. *tom.* 4. *c.* 21. *d.* 1. Benedict. XIV. de Miſſ. *Sect.* 2. *c.* 1. §. 1. *fin.* Rurſus 10. Januar. 1693. *Quando feſtum Annunciationis B. M. V. occurrit in Sabbato Sancto, Miſſæ privatæ celebrari non poſſunt; & feſtum Annunciationis transferendum erit ad fer.* 2. *poſt Dominicam in Albis, tamquam ad diem propriam, & fixam juxta decr.* 11. *Februar. &* 11. *Mart.* 1690. apud Merat. *Ind. decr. Miſ. n.* 504. Tertio S. R. C. 13. Julii 1697. in Januen. decrevit: *In Eccleſiis tam Parochialibus, quam non Parochialibus, ubi deeſt numerus Cantorum non poteſt celebrari in Sabbato Sancto unica Miſſa privata loco ſolemnis; ut in iiſdem Eccleſiis fiat benedictio tam Luminis, & Cerei, quam Aquæ, attentis maxime Decretis* 11. *Febr. &* 11. *Mart.* 1690. *prohibentibus celebrationem Miſſæ.*

Digitized by Google

Miſſarum privatarum, & unicam tantum Miſſam Conventualem una cum Officio Sabbati Sancti celebrari præcipientibus. Apud Merat. *Ind. decr. Miſſ. num.* 515. Quamquam huic Decreto quoad Parochiales Eccleſias derogavit Benedictus XIII. ut diximus ſupra n. 7. cui Benedictinæ diſpoſitioni ſe conformavit S. R. C. in poſteriori reſponſo ad Archiepiſcopum Lucanum, de quo diximus n. 48.

Cum igitur tam ſevere, & in ipſo concurſu Annunciationis B. M. V. Miſſas celebrari privatas in Sabbato Sancto Sacra Congregatio interdixerit, nullamque contrariam approbaverit conſuetudinem, imo & poſitive reprobaverit, quis audeat tanquam probabile tueri contrarium?

50 Solis Epiſcopis in Sabbato Sancto celebrare licet pro Collatione Ordinum Miſſam privatam in ſuo domeſtico Oratorio, quam ipſam incipere debent a Prophetiis, ut declaratum eſt a S. R. Congr. V. in Sab. Sancto ſubſect. 9.

51 Supervacaneum jam eſt quærere, utrum in hoc triduo Celebrare aliquis teneatur ex onere alicujus Beneficii, aut Capellaniæ obbligantis ad Miſſam quotidianam, de quo Veteres illi diſputabant in hypotheſi probabilis opinionis quod liceret ſive in fer. V. ſive in Sabbato hujuſce majoris hebdomadæ celebrare. Siquidem Veteres illi ſi præ oculis habuiſſent certa S. R. Congregationis decreta id prohibentia, quæ jam temporibus noſtris cum omni authentia circumferuntur, non dubitandum, quin ipſi opinionem illam ſuam ſtatim fuiſſent averſaturi.

52 Nec non tanquam ineptias abigengas eſſe patet, quæ nonnulli ſubinferebant de qualitate Miſſæ privatim legendæ: Cum enim ritus Miſſæ privatæ omnino non deſignetur in Miſſa, caret enim Miſſa prout jacet in Miſſali, introitu: quod ipſum cum accidat in Sabbato Vigilia Pentecoſtes pro Miſſa ſolemni; proviſum tamen eſt in Miſſali ipſo de Introitu legendo in Miſſis privatis) Veteres ergo, cum nullus in Miſſali præfigeretur introitus pro Miſſis privatis; putarunt aptari alium poſſe; alii Miſſam etiam ſubſtitui poſſe aliam, vel Votivam, vel de Sancto occurrente. Mirum vero quod ita opinari potuerint, qui iſtorum dierum officia legentes, pervidebant, quantum Eccleſia ipſas aliorum Sanctorum commemorationes negligeret, quæ totam in Paſſione & Morte Domini recolenda ſe continebat.

Illi vero minus temere ſe gere- 53
bant, qui docebant incipiendam privatam Miſſam, a *Kyrie Eleiſon*: Vel a Litaniis, quibus favet Micrologi teſtimonium, ſup. relatum num. 47. Sed jam his omiſſis ad utiliora progrediendum.

S E C T I O III.

De Exequiis Defunctorum.

IN *ſecundo Triduo majoris hebdomadæ* 54
(hoc eſt in fer. V. VI. & Sabbato) *non poſſunt celebrari exequiæ Defunctorum; & Officium, & Preces recitentur privatim.*) S. R. C. 11. Auguſti 1736. in Placentina. Apud Caval. *to.* 3. *c.* 15. *d.* 15. Vide dicenda in Appendice ad Calcem Diarii c. 8. artic. 6. Non prohibentur exequiæ, niſi ſolum in cantu, & cum ſolemnitate. Putat autem Cavalerius loc. cit. n. 5. in Sabbato Sancto poſt Meridiem in cantu adhuc, & ſolemniter eas celebrare licere; ſubdit tamen,

men, ſub Veſperam bene reſervari. Animadvertit inſuper *c. 16. in decr. n. 16.* præfatum Decretum intelligendum eſſe non ſolum de exequiis adultorum, verum etiam parvulorum: eorum ſcilicet, qui ante uſum rationis moriuntur; ita ut in prædicto Triduo illo his quoque celebrandæ ſint privatim ſine cantu, voceq. ſubmiſſa.

55 *In exequiis parvulorum in feria v. & vi. ac Sabbato majoris hebdomadæ poteſt omitti* Gloria Patri *in Pſalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis*. S. R. C. 16. Januar. 1677. in Hiſpalen. apud Caval. *tom. 3. c. 16. d. 1.* qui *nu. 17.* docet: indubie tamen dici debere *Gloria Patri*, in Sabbato Sancto a tempore celebratæ Miſſæ ad Veſperum; tunc enim, inquit, temporis conformitas magis exigit verſum *Gloria Patri*, in fine eorumdem Pſalmorum, nec excludit hilares, & feſtivas parvulorum ſolemnes exequias; ſubdit autem, ſe credere, congruentius ſub Veſperum reſervari: quia licet feſtivæ ſint: nihilo tamen minus ingerunt mortis memoriam, quæ fortaſſe minus congruit tempori illi, quo Chriſtianus populus in lætitia totus eſt ob Chriſti a mortuis reſurrectionem.

56 Invenies Auctores concedentes Miſſam de *Requiem* in fer. v. & Sabb. majoris hebdomadæ; ita Gobat *to. 1. tr. 3. caſ. 7. n. 224.* & *226.* Durandus *in Ration. Divin. Offic. lib. 7. c. 35. nu. 17.* Joan. Beleth *de Divin. Offic. cap. 67.* aliique apud La-Croix *lib. 6. par. 2. qu. 73. §. 2. nu. 507.* Verum, omiſſo, quod, ſecundum dicta, & probata ſect. præcedenti, non poteſt in fer. v. & Sabbato prædictis celebrari, niſi unica Miſſa ſolemnis de die: hoc, inquam, omiſſo: etiam per ſe nullo modo ferenda hujuſmodi ſententia eſt; Enimvero quoad Miſſas Defunctorum privatas, hæ ſunt prohibitæ in duplici minori, etiam præſente Cadavere; multo magis ergo iis diebus, qui rejiciunt duplicia primæ claſſis, quales ſunt omnes dies majoris hebdomadæ; recole dicta ſub capitis hujus initium n. 4. & vide dicenda in Appendice ad Calcem Diarii cap. 8. num. 19. & 22. Si vero ſit ſermo de Miſſis Defunct. ſolemnibus, hæ quoque univerſaliter prohibitæ ſunt in duplici primæ claſſis, ſi non ſit præſens Cadaver; præſente autem Cadavere in duplici primæ claſſis, quod ſit ex ſolemnioribus, prohibetur adhuc Miſſa ſolemnis Defunct. Ita decernunt Decreta exponenda in Append. cit. num. 22. Per ſe autem patet, ultimum Triduum majoris hebdomadæ eſſe ex 1. cl. ſolemnioribus. Quapropter Meratus *to. 1. par. 1. tit. 5. n. 2.* monet, ſententiam præfatam non poſſe ad praxim modo ullo deduci.

In ultimo triduo majoris hebdomadæ interdici ſonitum Campanarum 57
poſt *Gloria in excelſis* Miſſæ feriæ v. uſque ad *Gloria in excelſis* Miſſæ Sabbati Sancti: videbimus in prædicta feria v. nu. 136. ubi etiam monebimus, nequidem pro Defunctis, vel moribundis eſſe pulſandas campanas hoc triduo.

SECTIO IV.

De obſervantia Tridui ante Paſcha.

Qu. An feria v. vi. & Sab. majoris hebdomadæ ſervari debeant 58
ſub præcepto in foro, ita ut ſit obligatio audiendi Miſſam, ſeu aſſiſtendi Divinis Officiis, & abſtinendi a ſervilibus?

℞. Nul-

℟. Nullam adeſſe obligationem univerſalem, ſervandi feriam v. vi. & Sabbatum hebdomadæ ſanctæ. Primo conſtat ex eo, quia Urbanus VIII. in ſua Conſtit. *Univerſa* 1642. enumerans omnes dies feſtos ex gravi obligatione univerſali ſervandos, de hoc tamen triduo nullam mentionem facit; nec quidem mentio fit in jure antiquo C. *Pronunciandum* 1. *diſt.* 3. *de Conſecr.* Secundo colligitur ex Decretis S. C. R. in quibus declaratur, quod occurrente feſto Annunciationis in fer. vi. hebdomadæ majoris, non teneantur fideles intereſſe Officio illius diei, & occurrente eadem feſtivitate in Sabb. Sancto non teneantur audire Sacrum, quia feſtum in Choro, & foro transfertur. Vide dicta tr. 1. 25. Martii & etiam hic ſect. 2 ſubſect. 2. num. 5. Tertio patet ex uſu communi in contrarium populi Chriſtiani, nec Paſtores Eccleſiæ contradicunt. Quod ſi plerique ſoleant ab operibus ſervilibus abſtinere, id procul dubio faciunt ex voluntaria pietate, ac devotione potius, quam ex obligatione, ut facile colligitur ex caſu, quo incidat aliquod feſtum de præcepto in feriam v. puta feſtum S. Joſeph, aut Annunciationis B. V. tunc enim longe alio modo, & rigore illud ſervatur a populo Chriſtiano, quo ad ceſſationem a labore; & majorem ſolicitudinem omnes præſeferunt pro Miſſa audienda; unde ipſi etiam Paſtores Eccleſiæ monent, eſſe obligationem in dicto caſu, audiendi Miſſam in feria v. major. hebdom. quo etiam caſu occurrente deſignant ſufficientem numerum Miſſarum pro quantitate populi, & præſcribunt Templa, in quibus celebrentur, ut omnes queant Miſſam audire, antequam claudatur Officium illius diei, puta, antequam ponatur Dominus in Sepulcro, ut vulgo dicitur; quæ omnia notavimus tract. 1. 19. & 25. Martii.

59 Et quamvis Archid. dixerit: ſervari feriam V. Cœnæ, & diem Paraſceves, & Sylveſt. in ſum. V. *Dominica* qu. 1. §. 7. inclinaverit ad affirmandum de Paraſceve, ſaltem uſque ad oſculum, ſeu adorationem Crucis: tamen nec id habet conſuetudo univerſalis, nec etiam ubi hujuſmodi ſit conſuetudo particularis, ſtatim cenſenda eſt, eſſe ſub obligatione gravi introducta, ſed potius ex voluntaria pietate, ut dictum eſt. Vide Suar. *de Relig. to.* 2. *tr.* 2. *lib.* 2. c. 5. n. 16. Armil. V. *Feſtum*. n. 6. Azor. *Inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 7. c. 4. *qu.* 2. fine, & par. 2. l. 1. c. 25. qu. 5.

60 Sed dices: Gregorius IX. *cap. ult. de feriis*, Inter feſta ſub rigoroſo præcepto ſervanda, enumerat ſeptem dies Dominicæ Paſſionis, ſcilicet totam hebdomadam Sanctam, & in *l. ut in die*, & *l. Omnes dies. C. de feriis*: Septem dies præcedentes ante Paſcha obſervari præcipiuntur. Item Clemens lib. 8. Conſtit. Apoſtol. c. 33. ſignificat illas fuiſſe inſtitutiones Apoſtolorum. Ergo ultimum Triduum hebdomadæ majoris, imo & tota hebdomada eſt ſub præc. univerſali ſervanda.

℟. In dictis juribus quoad dies hebdomadæ ſanctæ non videri eſſe ſermonem de rigoroſa obſervatione præcepti, puta de Miſſa audienda, de ceſſatione a labore, ſed ſolum de ceſſatione a ſtrepitu judiciorum: ut ſentit, & probat Suar. loc. cit. a n. 17. Quod quidem etiam nunc ſervatur. Cæterum dato quod omnes olim dies hebdomadæ Sanctæ fuerint

Digitized by Google

de præcepto ex vi juris Communis, etiam quo ad religioſum cultum, & ceſſationem ab operibus ſervilibus: nihilominus dicendum eſt: nunc non eſſe ſub peculiari præcepto: ne quidem feriam v. & vi. quia conſuetudine contraria derogatum eſt, ut Summiſtæ communiter docent. Armil. loc. cit. Roſel. Anton. & alii, quos citat, & ſequitur Suar. n. 17. Azor. par. 2. loc. cit. Quam quidem conſuetudinem Eccleſiam approbaſſe, colligitur ex cit. Conſtit. Urbani VIII.

61 Eadem Reſponſio adhiberi poteſt ad teſtimonium Clementis, ſeu Pſeudoclementis; ſed ad illud dicit etiam Suarez cit. n. 17. veriſimile eſſe, id, quod Clemens refert, non fuiſſe in univerſa Eccleſia introductum, neque fuiſſe inſtitutum, ut ſemper duraret, ſed pro aliquo tempore.

SECTIO V.

De Indulgent.

62 Cum Sacræ Congregationi Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis præpoſitæ humillime expoſitum fuerit, tribus diebus, ſcilicet feria v. in Cœna Domini, ac Paraſceves, & Sabbati Sancti, quibus incruenta Sanctiſſimi Corporis, & Sanguinis D. N. Jeſu Chriſti Sacrificia (ſeu Miſſæ privatæ in feria v. & Sab. at in Paraſceve Miſſæ ſimpliciter) ex Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtituto offerri minime poſſunt: quoddam pium exercitium in Urbe, & in aliquibus Italiæ locis introductum inveniri ſub hac lege, ut quiſque ſpatio ſaltem unius horæ omnibus, ac ſingulis præfatis diebus orationi mentali, vel vocali in ſuffragium Animarum in Purgatorii pœnis degentium vacare debeat: ut, quo tempore ipſæ Fidelium Defunctorum Animæ ſuffragiis ex Miſſarum celebratione provenientibus deſtituuntur, alia qua poteſt ratione valeant adjuvari: eadem Sacra Congregatio 6. Aprilis 1745. re mature perpenſa ad laudabile hujuſmodi inſtitutum confovendum, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus in Urbe, ac in Italia Chriſti fidelibus, qui ſaltem corde contriti diebus in Cœna Domini, ac Paraſceves, & Sabbati Sancti orationi mentali, vel vocali ſpatio unius horæ non interruptæ vacaverint, Indulgentiam ſeptem annorum, & totidem quadragenarum in ſuffragium fidelium Defunctorum applicabilem in perpetuum concedendam eſſe, cenſuit. De quibus facta per Secretarium die 10. præfati menſis relatione Summo Pontifici (tunc Benedicto XIV.) Sanctitas ſua votum Sacræ Congregationis approbando, benigne annuit. Apud Lucium Ferrar. V. *Oratio*. n. 34. Apud quem inſuper ad rem eamdem V. *Jubilæum* art. 1. n. 47. legitur Notificatio ſequens Vicarii Urbis. *Eſſendoſi degnata la Santità di Noſt. Signore Papa Benedetto XIV. approvare, e confermare il Decreto della Sacra Congregazione delle Indulgenze, e ſagre Reliquie emanato ad iſtanza de' Divoti dell' Anime del Purgatorio ſotto li 6. di Aprile dell' anno* 1745. *in vigore del quale ſi concede l' Indulgenza di ſette anni, ed altrettante Quarantene, con la facoltà di poterla applicare per modo di ſuffraggio alle ſuddette Anime del Purgatorio, a tutti li Fedeli dell'uno, e l' altro ſeſſo, i quali o nell' Italia, o nell' Iſole adjacenti nelli tre ultimi giorni della ſettimana Santa, cioè Giovedì, Venerdì, e Sabbato Santo divo-*

tamen-

tamente ſi occuperanno per lo ſpazio d'un'ora continua in orazione o mentale, o pure vocale a pro de' Fedeli Defonti; con poterſi conſeguire l'accennata Indulgenza in ciaſcheduno di detti giorni dalla ſteſſa perſona. Per tanto ſi rende conſapevole ogn'uno de' Fedeli di sì ineſtimabile teſoro novamente diſpenſato da Noſtro Signore, e ſi raccomanda alla loro pietà, l'applicarſi di propoſito a sì divoto eſercizio, non meno meritevole per eſſi, che profittevole alle Anime purganti, alle quali ne' tre ſuddetti giorni manca il conſueto ſuffragio del ſacroſanto Sagrifizio dell'Altare.

Data queſto dì 4. *Marzo* 1750.

Fr. G. Card. Vicario.
Gaſparo Arcipiete Ori Segr.

ARTICULUS IV.

Not. in ſingulis ſigillatim diebus Hebdomadæ Majoris.

SECTIO I.

Not. in Dominica Palmarum.

EXPLICANTUR SUBSECTIONIBUS IV.

Subſect. I. *De Horis Canonicis.*
Subſect. II. *De Functione Palmarum.*
Subſect. III. *De Miſſa.*
Subſect. IV. *Not. pro præcepto Commun. Paſchalis.*

SUBSECTIO I.

De Horis Canonicis.

63 DOMINICA Palmarum major 1. cl. & numquam omittitur quocumque feſto occurrente. *Rubr. gen. Brev. tit.* 9. *n.* 3. *& tit.* 10. *num.* 1. *& in dub. tabell. excerpt. ex Rubr. gen. ſemidupl. Rub. gen. Brev. tit.* 2. *num.* 1. Si occurrat feſtum ſimplex, fit de eo commemoratio in offic. tantum. Vid. dicta lib. 1. p. 1. c. 2. n. 1. Officium ut in Pſalt. & propr. loc. 2. Veſp. de eadem Dominica.

Alexander VII. damnavit ſequentem propoſitionem ordine trigeſimamquartam inter damnatas ab ipſo, ajentem: *In die Palmarum recitans officium Paſchale ſatisfacit præcepto*: ſcilicet recitandi horas Canonicas. Officium Paſchale eſt illud, quod recitatur in Dominica Reſurrectionis, & per octavam, & in Dominica Pentecoſtes & per octavam; quod officium habet Matutinum ſatis diverſum a reliquis, etenim in eo eſt unicus nocturnus cum tribus Pſalmis. 64

Officium Paſchæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes poſſe abſque mortali quolibet anni die recitari docuerat Caramuel ſolus abſque alio Auctore, ut ait Viva in prædict. prop. nu. 2. 8. & 14. quam tamen ſententiam deinde in ſecunda ſui operis editione retractavit, ut refert etiam Viva ibidem; quippe quæ adverſatur communi fidelium, & Doctorum ſenſui: quemadmodum teſtatur Adamus Burghaber ex Soc. Jeſu apud Dianam *to.* 3. *edit. coord. tr.* 6. *R.* 88. *§.* 3.

Caramueli aliquatenus tantum adſtipulari cum ſuis limitationibus Thom. Hurt. ex Clericorum Minorum familia, & utrumque Leandrum ſcribit idem Viva n. 8.

Sed falſitas damnatæ propoſitionis fit evidens perpendenti, quod Pius V. in ſua Bulla præfixa Breviario ſanxit, in virtute Sanctæ obedientiæ nequis aliter quam in eo Breviario præſcribitur, recitet Horas Canonicas, ad-

addens : *Neminem ex his, quibus hoc dicendi munus neceſſario, impoſitum eſt, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe*. Sequitur enim inde mortaliter peccari ab iis, qui notabiliter ab ea formula diſcedunt. Ita Viva l. cit. nu. 1. Sed qui in die Palmarum recitat officium Paſchale, notabiliter recedit a ritu in Breviario Romano præſcriptum : ut patet internoſcenti quid inter utrumque diſtet ; ergo. Redarguitur etiam eadem damnata Propoſitio ex antiqua conſuetudine, & lege Pontificia. C. *In die* 15. *diſt.* 5. *de conſecr.* ubi Gregorius VII. hæc habet : *Qui in quotidianis diebus tres tantummodo Pſalmos, & tres lectiones celebrare volunt, non ex Regula Sanctorum Patruum, ſed ex faſtidio, & negligentia probantur hoc facere; Romani vero diverſo modo agere coeperunt : maxime a tempore, quo Theutonicis conceſſum eſt regimen noſtræ Eccleſiæ. Nos autem & Ordinem Romanum inveſtigantes, & antiquum morem noſtræ Eccleſiæ, imitantes antiquos Patres, ſtatuimus fieri, ſicut ſuperius prænotavimus*. Superius autem dixerat : *Omnibus diebus per totum annum, excepta hebdomada Paſchatis, & Pentecoſter, ſi dies feſtus ſit, novem Pſalmos, & novem lectiones dicimus : aliis vero diebus duodecim Pſalmos, & tres lectiones recitamus. In Dominicis vero diebus decem, & octo Pſalmos, excepto die Paſchæ, & Pentecoſter, & novem lectiones celebramus*. Hæc laudatus Pontifex. Prohibitio autem prædicta obligat ſub gravi : eſt enim de materia gravi : ut notat Viva n. 8. Videri etiam poteſt Radulphus Tungrenſis lib. de Can. obſerv. propoſit. 10.

SUBSECTIO II.

De Functione Palmarum.

In Dominica ſexta, & ultima Quadrageſimæ benedicuntur Rami arborum, præcipue Palmarum, & Olivarum, unde Dominica VI. hæc *Dominica Palmarum*, ſeu *in Palmis* dici ſolet, aut etiam *Dominica Olivarum*, aut *Ramorum*. Durandus in *Rational. Offic. lib. 6. c. 86. num.* 5. ſcribit : hanc Dominicam ſecundum vulgi conſuetudinem vocari Paſcha floridum : ſic autem a Gallis vocari refert Theophil. Raynaud. *to.* 10. *tr. de Roſa c.* 1. ob aliquos flores nunc ſeſe prodentes. A nobis autem Paſcha floridum, ſeu Paſcha florum vocari ſolet feſtum Pentecoſtes. Vid. dicenda lib. 5. in Domin. Pentec. art. 1. qu. 8. fine : Ordo Romanus antiquus, ubi de primo Ordine in die Palmarum, initio indicat quædam alia nomina, quibus hæc Dominica nuncupari quoque ſolebat, videlicet *Dominica Indulgentiæ, quæ diverſis vocabulis diſtinguitur; id eſt dies Palmarum, ſive florum, atque Ramorum, Hoſanna, Paſcha petitum, ſive Competentium, & Capitolavium*. Hæc ibi. Quinam dicti fuerint Competentes ? indicabimus in Sabbato Sancto num. 340. prope finem, ſed pro his, & dictis nominibus hujus Dominicæ videri poteſt vulgatus Alcuinus *de Divin. Offic.* ubi de hac Dominica : Benedictus XIV. de feſt. Domini c. 4. §. 4. ubi etiam agit de antiquitate benedicendi in hac Dominica Palmas, ramoſque arborum; pro qua re videri etiam poteſt Caval. *to.* 4. *c.* 12. *in præliminarib.* Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 7. Rationes autem myſticas proferemus §. 13. qu. 2. Cum prædictis 65

Digitized by Google

ctis deinde Palmis, Ramiſque arborum Clero diſtributis, & populo, fit hodie quoque Proceſſio, ut jam explicabimus.

§. I.

66 COMPLETA *Tertia*, *& facta aſperſione aquæ more ſolito*, *Sacerdos indutus pluviali violaceo*, *vel ſine Caſula*, *cum Miniſtris ſimiliter indutis*, *procedit ad benedicendum Ramos palmarum*, *& olivarum*, *ſive aliarum arborum in medio ante Altare*, *vel ad cornu Epiſtolæ poſitos*. *Et primo cantatur a Choro Antiphona: Hoſanna &c.* Rubr. Miſſ. hic.

Altare hodie parce paratur ſine floribus, vel imaginibus; poſſunt tamen inter candelabra diſtribui Palmarum rami, vel Olivarum, auro, vel argento decenter ornati. Coloris violacei erunt paramenta Altaris, & ab hoc neceſſe non eſt, amoveatur SS. Sacramentum, ſi in ejuſdem Tabernaculo habeatur incluſum. In loco apto ex parte Epiſtolæ collocetur Crux proceſſionalis velo contecta violaceo. Ponetur ſuper Credentiam Vitta violacea pro liganda ſuo tempore palma in ſummitate prædictæ Crucis; ſuper ipſam Credentiam locabuntur quoque thuribulum cum navicula, vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, bacile cum mica panis, & manutergio, & Urceus aquæ non benedictæ pro lotione, & exterſione manuum Celebrantis poſt diſtributionem palmarum. Super eamdem Credentiam item poterunt collocari, quæ inſerviunt pro Miſſa ſolemniter decantanda; uti & in loco apto Presbyterii præparari ſimiliter poterunt, quæ debent deſervire, ad decantandam Paſſionem. Vid. dicenda fer. VI. in Paraſceve Subſ. 5. §. 1. num. 214. Paretur itidem alia Credentia in cornu Epiſtolæ prope Altare, ſuper quam ponuntur Palmæ, & Rami olivarum, qui tegantur mappa munda, vel alio decenti velo, uſque dum fiat eorum diſtributio. Porro etſi Rubrica liberum faciat, ramos arborum ponere, *in medio ante Altare*, *vel ad cornu Epiſtolæ*: commodius tamen eſt, præſertim ſi in magna ſint quantitate, eos collocare ſuper particularem Credentiam, ſeu in cornu Epiſtolæ modo prædicto: ut advertit Gavantus *in Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 7. *n.* 7. & cum eo Caval. *tract.* 4. *c.* 12. *in d.* 26. *num.* 5.

An autem valide benedicantur Rami, ſi collocentur in loco remotiori? Affirmat Quarti *de Benediction.* tit. 1. Sect. 2. dub. 4. ſi ſint coram Miniſtro intra viginti paſſus, quia ſic moraliter ſunt præſentes. Vide dicta tr. 1. lib. 2. in Dominica art. 3. Sect. 1. qu. 4. Nec obſtat quod aquæ benedictæ aſperſio, quæ fit in illis benedicendis, ut infra videbimus, ad illos non pertingat: dummodo ad eos etiam dirigatur Celebrantis aſpergentis intentio. Vide eumdem Quarti *tit.* 3. *Sect.* 1. *dub.* 7. & dicta in Dom. citato art. 3. Sect. 2. qu. 1. 67

Etſi Rubr. liberum item facere videatur, adhibere ramos quarumlibet arborum, præter palmarum, & olivarum: animadvertit autem Caval. in cit. d. 26. n. 3. id a Rubrica non permitti ſimpliciter, atque adeo nec ſimpliciter, & ad libitum adhibendos ramos quarumlibet arborum: ſed ſolum, quoniam non omnis fert omnia tellus, in defectu ramorum palmarum, & olivarum, poſſe adhiberi ramos aliarum arborum, ut magis cuſto- 68

cuſtodiatur ratio myſterii , & devotarum turbarum obviantium Chriſto melius ſequamur exemplum . Subdit etiam Caval. in defectu palmarum , & olivarum præferendas videri , arbores illas, quibus antiquitas uſa eſt in triumphis , cujuſmodi ſunt laurus, & quercus , quatenus hæc hoc tempore frondeat . Cæterum ipſe Caval. refert ex Balſamone , una cum palmis a Græcis ramos myrtheos benedictos fuiſſe , & ex Grancola , ramos cum frondibus excerptos ex palmis, olivis , ſalicibus , buxis, aliiſque arboribus , additis etiam floribus , qui tali tempore poterunt inveniri .

Palmæ ſive olivarum rami , qui Celebranti diſtribui debent , vel Eccleſiæ Superiori , Prælatis , aut Magiſtratui , erunt cæteris pulchriores , & eoſdem convenit decenter ornari pro conſuetudine loci , & perſonarum qualitate ; ut habetur ex Cæremoniali Epiſcoporum , & declaravit S. R. C. quemadmodum infra patebit §. 7. fine .

69 *Benedictio , & diſtributio Candelarum , & Palmarum regulariter poteſt fieri in omnibus Eccleſiis , tam Collegiatis , quam Parochialibus , tam Sæcularibus , quam Regularibus .* S. R. C. 28. April. 1607. in *Oſtien.* apud Caval. *tom.* 4. *c.* 12. *d.* 1. Sacra R. Congregatio interrogata : *An benedictiones , & diſtributiones Candelarum , Cinerum , Palmarum ſint de juribus mere Parochialibus ?* Reſp. *negative ;* 10. Decembr. 1703. approbante Clemente XI. 12. Januar. 1704. apud Caval. l. cit. d. 2. & Merat. indic. decret. Miſſ. nu. 565. Vid. dicta 2. Februar. art. 3. §. 5. nu. 35. Ritum benedictionis Palmarum in minoribus Eccleſiis, lege infra n. 76.

70 *Benedictio Candelarum , Cinerum , & Palmarum , & aliæ ſimiles actiones , quas faceret Epiſcopus præſens , eo abſente , vel impedito ad primam Dignitatem , non vero ad Canonicum hebdomadarium pertinent* S. R. C. 21. Martii 1609. in *Piſauren.* Apud Caval. l. cit. d. 4. *Miſſarum ſolemnium celebratio , delatio SS. Sacramenti in proceſſione in ejus feſtivitate , Candelarum , Cinerum , & Palmarum benedictiones , & functiones ſimiles , quas Epiſcopus præſens in ſua Cathedrali facere ſolet , & debet juxta formam libri Cæremonialis Epiſcoporum ; abſente , vel impedito Epiſcopo ad primam dignitatem , & deficiente prima ad ſecundam , & ſic ſucceſſive pertinent .* S. R. C. 25. Junii 1611. in *Civitaten.* Apud Caval. loc. cit. d. 5. *Diſtributio Palmarum , abſente , vel impedito Epiſcopo ſpectat ad primam Dignitatem .* S.R.C. 3. Decembr. 1672. in *Andreten.* Apud Caval. to. 4. c. 19. nu. 3. d. 10. *Prima Dignitate impedita , vel abſente ſuccedat ſecunda Dignitas in functionibus peragendis , & ſecunda impedita , ſuccedat tertia , & omnibus Dignitatibus impeditis vel abſentibus primus Canonicus id exequatur .* S. R. C. 26. Novembr. 1670. in *Senen.* Apud Caval. l. cit. d. 11. Ita quidem regulariter , & convenienter ; ſed quoniam Cæremoniale Epiſcoporum eaſdem benedictiones diſtinctive committit *Canonico hebdomadario , ſeu Dignitati , vel alteri , ad quem de conſuetudine Eccleſiæ celebrare ſpectat :* exiſtimat Caval. in cit. d. 4. n. 2. quod ubi alia ſit Eccleſiæ conſuetudo , ſervari valeat ; & id quidem confirmatur ex dec. S. C. R. in *Conimbr.* quod allegavimus in fer. 4. Cinerum ſubſ. 2. §. 2. n. 13. *Abſente Epiſcopo benedictiones Candelarum ,*

Digitized by Google

rum, *Cinerum*, *Palmarum*, *& Fontis ſiant per Celebrantem*. S. R. C. 12. Junii *1627.* in *Brunduſina* apud Caval. l. cit. d. *6.* Nota quod, exceptis Epiſcopis, quilibet alii, qui has benedictiones faciant, cantare tenentur & Miſſam ſequentem; niſi neceſſitas aliud cogat. Videri poteſt Caval. l. cit. & *comment. in decret.* 25. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 30. *initio*.

71 Cum benedictio palmarum diei Dominicæ ſit affixa, poſt Tertiam utique debet fieri, ut fiat ante Miſſam ſolemnem, quam tamquam feſtivam poſt Tertiam Rubricæ mandant haberi. Non ita tamen poſt Tertiam, ut immediate poſt eamdem debeat haberi, ſed poſt benedictionem aquæ, quæ die quolibet Dominico poſt Tertiam a Rubricis fieri demandatur. Completa itaque Tertia e Sacriſtia exibit Celebrans indutus ſtola, & pluviali ſine manipulo, cujus nullus eſt uſus cum pluviali. Ante celebrantem unus poſt alium incedent Subdiaconus, & Diaconus in planetis, & manipulo, eo quod reſpective cantare debeant Epiſtolam, & Evangelium in ſequenti benedictione Palmarum. Vid. Caval. *in decret.* 26. *n.* 4. *&* 10., ubi vero Celebrans non induat pluviale, ſtet ſine planeta cum alba, & ſtola, & ſine manipulo: & Miniſtri Sacri in tali caſu nec ipſi aſſument planetas. Vide Caval. cit. n. 10. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 11. Sacros Miniſtros præcedunt de more alii inferiores Miniſtri, & ut ad Altare venerint, fit aſperſio aquæ benedictæ ritu conſueto: niſi quod omitti debet *Gloria Patri* poſt Pſalmum *Miſerere*. In fine aſperſionis prædictæ dum Celebrans dicit Orationem: *Exaudi:* per aliquem Miniſtrum ponitur Miſſale ſuper Altare in cornu Epiſtolæ, & diſcooperiuntur palmarum, & olivarum Rami.

Abſoluta oratione prædicta, Celebrans ſtatim procedit ad benedicendum ramos; medius itaque inter Sacros Miniſtros hinc inde pluvialis fimbrias elevantes, aſcendit ad Altare, illud oſculatur in medio genuflectentibus Sacris Miniſtris, accedit ad cornu Epiſtolæ, ibique ſtans medius inter eoſdem ſacros Miniſtros, (qui tamen aliquantulum diſtent ab Altari) legit, non ſe ſignans, antiphonam: *Hoſanna:* quæ interim cantatur a Choro. 72

§. II.

DEINDE *Sacerdos ſtans in cornu Epiſtolæ non vertens ſe ad populum, dicit in tono orationis ferialis: Dominus vobiſcum &c.* Rubr. Miſſ. hic. 73

Statim ac in Choro terminata eſt prædicta Antiphona, Celebrans perſiſtens in cornu Epiſtolæ, non converſus ad populum, ſed ad Altare, dicit manibus junctis: *Dominus vobiſcum*: quibus etiam junctis dicit: *Oremus*: & ſequentem orationem, ſed ad *Oremus* caput erga Crucem etiam inclinat.

§. III.

POSTEA *Subdiaconus in loco ſolito cantat ſequentem lectionem in tono Epiſtolæ, & in fine oſculatur manum Sacerdotis*. Rubr. Miſſ. hic. 74

Cum Sacerdos dicit orationem, *Deus, quem diligere:* interim Subdiaconus vadit ad Credentiam, ubi depoſita planeta plicata, ſumit ambabus manibus Miſſale, & eodem prorſus ritu, qui tenetur ad Miſſam,

procedit ad locum ſolitum, & ibi cantat lectionem de libro Exodi, ut in Miſſali, qua cantata, de more pergit ad Celebrantem, & genuflexus oſculatur manum ejuſdem, & mox depoſito Miſſali, reſumit planetam plicatam, qua reſumpta redit ad Celebrantem, ibique eidem a dexteris aſſiſtit, & non defert Miſſale Celebrantis ad cornu Evangelii, quia Celebrans legit illud in cornu Epiſtolæ. Si vero non adſit Subdiaconus, qui cantet Epiſtolam, hanc cantet aliquis Clericus lector. Vide dicenda n. 76.

§. IV.

75 DEINDE *cantatur pro Graduali* ℟. Collegerunt &c. *vel aliud* ℟. In Monte Oliveti &c. *Interim dum cantatur* ℟. *Diaconus ponit librum Evangeliorum ſuper Altare, & Sacerdos, miniſtrante Diacono naviculam; ponit incenſum in thuribulo. Deinde Diaconus dicit:* Munda cor meum: *accipit librum de Altari, petit benedictionem a Sacerdote: poſtea Subdiacono librum tenente, medius inter duos Acolythos tenentes candelabra accenſa, ſignat librum, incenſat, & cantat Evangelium, ut infra, more conſueto; quo finito, Subdiaconus defert librum oſculandum Sacerdoti, qui & incenſatur a Diacono*. Rubr. Miſſ. hic.

In ſolemni lectione hujus Evangelii, Diaconus deponit planetam, & ſumit ſtolam latiorem; cætera peraguntur a Diacono, Celebrante, & aliis, ſicut in Miſſa ſolemni ad Evangelium, quo terminato, & incenſato Celebrante, Diaconus item planetam reſumit, & accedit ad Altare, aſſiſtens, ut infra, Celebranti; cui tamen cum ſacris Miniſtris celebranti liberum hic eſt, legere tam lectionem, quam ea, quæ ſequuntur uſque ad Evangelium incluſive; ſi vero legat, præmittet Evangelio: *Munda cor meum*: & : *Jube Domine*: perſiſtens in eodem cornu Epiſtolæ, profunde inclinatus verſus Crucem, & ibidem leget Evangelium. Vid. Caval. Comm. in decr. 26. n. 6. & in d. 27. nu. 1. Merat. to. 1. par. 4. tit. 7. n. 14. *Epiſcopus palmas benedicens, & Miſſæ aſſiſtens, non debet legere Epiſtolam, neque Evangelium:* Cum appropinquaſſet: *vel*: Altera autem die: *poſt Paſſionem, tam ex praxi Capellæ Pontificiæ, quam ex præſcripto Cæremonialis Epiſcop.* S.R.C. 28. April. 1708. in *Bracharen*. Apud Caval. cit. d. 27.

Evangelium pro ſolemni benedictionem Palmarum a Sacerdote Celebrante abſque Diacono, & Subdiacono canendum eſt in cornu Epiſtolæ. S.R.C. 27. Aprilis 1697. in *Eugubina* apud Caval. d.26. Nota, quod poteſt benedictio Palmarum fieri ſine ſacris Miniſtris a ſolo Celebrante, ſive in pluviali, ſive ſine pluviali. In cæteris idem ritus ſervatur, qui in ſolemni cum ſacris Miniſtris, miniſtrantibus Acolythis in iis, in quibus ipſi congrue valeant miniſtrare. Vid. Merat. tom. 1. par. 4. tit. 7. nu. 31. §. 2. & ſequentib. ſed & ea, quæ cantantur a Choro, non eſt neceſſe, quod a Celebrante dicantur, cum non ſpectent ad Miſſam, ſed ſufficit, ſi per alios ſuppleantur: præter Evangelium, qui dicto caſu ab ipſo Celebrante legendum erit. Caval. in cit. d.27. n. 1. Vid. dicenda Subſ. 3. §. 2. num. 93. Etiam Epiſtola legi, & cantari poteſt per aliquem ex Clericis in minoribus. Profecto Clericus quilibet poteſt etiam cantare Epi- 76

Epiſtolam ſine manipulo, ut ex Navarro docet Sa V. *Clericus* num. 33. Videri etiam poteſt Sylveſter V. *Interdict.* 5. qu. 4. n. 6. favet Decretum S. C. R. hujus tenoris: *Deficiente Subdiacono pro Miſſa ſolemni, data neceſſitate, poteſt permitti per ſuperiores ut ſubſtituatur conſtitutus in minoribus Ordinibus ad cantandam Epiſtolam, paratus abſque manipulo.* S. R. C. 5. Julii 1698. in *Collen:* apud Merat. *ind. decret. Miſſ. n.* 531. & meminit Benedictus XIV. *de Miſſa. Sect.* 1. *c.* 8. §. 2. *fine*. Caval. *to.* 5. *cap.* 10. *nu.* 11. *fine*; ſed etiam manifeſta eſt Rubrica Miſſal., *de Rit. celebr. tit.* 6. *nu.* 8. dicens. *Si quandoque Celebrans cantat Miſſam ſine Diacono, & Subdiacono, Epiſtolam cantat aliquis Lector ſuperpellicco indutus, qui in fine non oſculatur manum Celebrantis.* In quem locum notat Gavantus, quod antequam definiretur, Subdiaconatum eſſe ordinem ſacrum, conſuetum fuerit olim, Epiſtolam cantare Lectorem; ita Gavant. in *Rubr. Miſſ. par.* 2. *tit.* 6. *nu.* 8. & colligitur, inquit, ex Clem. *lib.* 8. *Conſtit. c.* 28. & Concil. Carthag. 4. c. 8. & refertur in C. *Lector.* 18. *diſt.* 23., Videri etiam poteſt Caval. cit. n. 11. Merat. *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 10. *num.* 1. Quod ſi id in ipſa conceditur Miſſa ſolemni, a fortiori conceditur extra Miſſam, ut quidem extra Miſſam eſt Palmarum benedictio præſens. Preambula vero ſunt iſta ad benedictionem Palmarum, unde Rubrica ſequens:

§. V.

77 POST *hæc benedicuntur rami. Sacerdos ſtans in eodem cornu Epiſtolæ, dicit in tono orationis ferialis: Dominus vobiſcum &c.* Rubr. Miſſ. hic.

Celebrans itaque ſtans in eodem cornu Epiſtolæ medius inter ſacros Miniſtros, converſus ad Altare dicit: *Dominus vobiſcum:* manibus junctis, quibus itidem junctis ibidem ſimiliter dicit: *Oremus:* & orationem: *Auge fidem:* in tono feriali, qua finita cantat manibus adhuc junctis ſequentem Præfationem, in cujus fine inclinatus dicit: *Sanctus:* (quod etiam cantatur a Choro in tono feriali: cum Miniſtris pariter inclinatis: ſicuti & cum his erectis, & de more ſe ſignantibus, ſubjungit verſum: *Benedictus, qui venit:* Quibus peractis cantat in tono feriali, manibus junctis, reliquas quinque orationes, ſed ad: *Oremus:* & ad nomen *Jeſu* inclinat caput, & ad notam ✠ cum dextera manu format Crucis ſignum ſuper ramos, ſiniſtra ſuper Altare poſita, & Diacono elevante dexteram pluvialis fimbriam. In Orationibus ut in Miſſali nihil eſt detrahendum, neque immutandum, etiamſi non benedicantur rami Palmarum, & Olivarum, ſed aliarum arborum; neque erit mendacium, in illis tunc nominare ramos *Palmarum*, ſeu *Olivarum*, quia quorumlibet arborum rami ſuccedunt Palmarum, ſeu Olivarum loco, & a populo in hac ſolemnitate vocantur Palmæ quarumlibet etiam arborum rami, ut animadvertit Gavantus in *Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 7. *n.* 11. referens, quod Romæ, ubi ſaltem Olivæ benedicuntur, non aliæ inferiores arbores, nihilominus non tacentur ea verba in quarta Oratione *Cæterarumque arborum;* unde colligitur, nihil eſſe mutandum, vel omittendum. Id ipſum docet Caval. in decr. 26. n. 2.

Digitized by Google

§. VI.

78 ORATIONE *Bene ✠ dic quæſumus :* recitata a Celebrante : *Hic Celebrans ponit incenſum in thuribulum , deinde ter aſpergit ramos aqua benedicta , dicendo Antiphonam :* Aſperge me : *ſine cantu , & ſine pſalmo , & ter adolet incenſo ; Poſtea dicit : Dominus vobiſcum :* Rubr. Miſſ. hic ; Miniſtrante cum oſculis de more Diacono, Celebrans ponit, & benedicit incenſum in thuribulo, tum ter aſpergit Ramos aqua benedicta, dicens ſubmiſſa voce : *Aſperges :* & poſtea ter eoldem adolet incenſo, nihil dicens ; aſpergit autem, & incenſat in medio, a dexteris Ramorum (non ſuipſius Celebrantis :) & a ſiniſtris eorum. Poſtremo perſiſtens, ut ſupra medius inter ſacros Miniſtros in eodem cornu Epiſtolæ, & converſus ad Altare, junctis manibus dicit : *Dominus vobiſcum :* poſtea : *Oremus :* ſe inclinans Cruci, & tandem per orationem : *Deus, qui filium :* abſolvit benedictionem palmarum. Caval. in d. 26. n. 9.

§. VII.

79 COMPLETA *benedictione , dignior ex Clero accedit ad Altare , & dat Ramum benedictum Celebranti , qui non genuflectit , nec oſculatur manum dantis. Poſtea Celebrans ſtans ante Altare , verſus ad populum , diſtribuit ramos , primam digniori , a quo ipſe accepit , deinde Diacono , & Subdiacono paratis , & aliis Clericis ſingulatim per ordinem , ultimo Laicis : omnibus genuflectentibus , & ramum , & manum Celebrantis oſculantibus , exceptis Prælatis , ſi adſint ; Et cum incœperit diſtribuere , a Choro cantantur ſequentes Antiphonæ :* Pueri Hebræorum &c. *Quæ ſi non ſufficiant , repetantur , quouſque ramorum diſtributio finiatur.* Rubr. Miſſ. hic.

Celebrans , qui Cineres diſtribuit , Candelas , & Ramos , detecto capite ſtet. S. R. C. 18. Julii 1626. in *Pientina*. Apud Caval. to. 4. c. 12. d. 9. ad differentiam Dignitatis Epiſcopalis : unde *Sacerdos , etiamſi ſit Dignitas , vel Canonicus , abſente , vel impedito Epiſcopo , diſtribuens Palmas juxta Decretum 18. Julii 1626. ſtare debet capite detecto.* S. R. C. 31. Martii 1629. in *Pientina*. Apud Caval. l. cit. d. 10. Cæterum *Candelæ , Cineres , Palmæ diſtribuuntur ſtando cum Mitra in capite ab eo , qui privilegium habet eam geſtandi.* S. R. C. 18. Febr. 1650. in *Lucana*. Apud Merat. to. 1. par. 4. tit. 6. n. 14. *Dignior Sacerdos , ad quem ſpectat Candelam , Cineres , & Palmam Sacerdoti Celebranti in die Purificationis , in fer. IV. Cinerum , & in Dominica Palmarum miniſtrare ; debet ab eodem Celebrante ſupradicta accipere ſtans , non vero flexis genibus.* S. R. C. 30. Auguſti 1664. in *Sutrina*. Apud Caval. loc. cit. d. 7. Decretum hoc diſponit de Eccleſiis Cathedralibus, in quibus cum prædictus dignior ſemper ſit unus ex Canonicis, juxta Cæremoniale Epiſcoporum lib. 2. cap. 17. ſtans, & ſolum inclinatus prædicta recipit cum oſculo ſolius Candelæ, & Palmæ, non item manus Celebrantis. Si autem Palmas diſtribuat Epiſcopus, vide infra dicenda. Id ipſum dicendum de Canonicis Collegiatarum, ſecluſa conſuetudine in contrarium. Vid. dicta 2. Febr. art. 3. §. 4. num. 22.

Dignior e Clero a quo Celebrans in diebus Purificationis , Cinerum , & Pal-

marum, *recipit Candelam*, *Cineres*, *& Palmum*, *debet accedere ad Altare ſine ſtola*, *& genuflexus*, *ſicut alii*, *recipere Candelam*, *Cineres*, *& Palmam a Celebrante*, *& oſculari manum Celebrantis porrigentis Candelam*, *& Palmam*. S. R. C. 14. Febr. 1705. *in una Cappuccinor. Galliæ*. Apud Caval. loc. cit. d. 8. Hujuſmodi Decretum afficit Eccleſias non Cathedrales, aut Collegiatas. Igitur extra Cathedrales, & Collegiatas, quilibet de Clero, etiam dignior ipſe, juxta Rubricam, genuflexus recipit Candelam, & Palmam, ac Celebrantis manum oſculatur, exceptis Prælatis: quorum nomine hìc complecti poſſe videntur etiam Superiores Locales Religionum; an autem excipi item poſſint Superiores Eccleſiæ illius, in qua benedictiones hujuſmodi celebrantur? Vide Caval. *in ſupra cit. d. 7. nu.* 3. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 19. Beneficiati vero, & Manſionarii, etiam in Cathedralibus, recipiunt Palmam genuflexi, & cum oſculo Palmæ, & manus Celebrantis, ut ex Cærem. Epiſcop. ſtatuimus 2. Febr. l. cit.

Cum Epiſcopus benedicit Cineres, *debet Celebrans imponere Cineres Epiſcopo : quæritur : an id ſervari debeat in die Candelarum & Palmarum? Reſponſum fuit : ſervetur Cæremoniale in cap. 16. de feſto Purif. & in cap. 21. de Dominica Palmar.* S. R. C. 12. Junii *in Brunduſina* apud Caval. loc. cit. d. 13. Explicationem hujus Decreti dedimus 2. Febr. art. 3. §. 4. num. 23.

Aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, *Candelarum*, *& Palmarum*, *ſed quilibet debet accedere ſecundum prærogativam ſui Ordinis*. S. R. C. 23. Maji 1603. in *Nolana*. Apud Caval. loc. cit. d. 15. explicationem hujus decreti dedimus etiam 2. Febr. l. cit. n. 24.

In Proceſſionibus Præpoſito Cathedralis debetur candela majoris ponderis, *& in diſtributione Palmarum diſtincta*, *& honoratior palma*, *quam cæteris de Capitulo*. S. R. C. 21. April. 1736. in *Anagnina*. Apud Caval. l. cit. d. 16. Vid. dicta 2. Febr. l. cit. nu. 25. a fortiori id ſervandum erga Epiſcopum, quemadmodum diſponit Cærem. Epiſcop. Vid. dicta 2. Febr. l. cit. nu. 23. quæve ibi præſcripſimus in diſtributione Candelarum, hìc accommoda.

§. VIII.

DEINDE *Sacerdos dicit : Dominus vobiſcum &c.* Rubr. Miſſ. hìc.

Peracta diſtributione, Celebrans lavat manus cum mica panis, & poſtea converſus ad Altare in cornu Epiſtolæ dicit junctis manibus : *Dominus vobiſcum :* poſtea : *Oremus :* ſe inclinans Cruci, & denique orationem *Omnipotens*.

§. IX.

POSTEA *ſit Proceſſio. Et primo Celebrans imponit incenſum in thuribulum*, *& Diaconus vertens ſe ad populum dicit ; Procedamus in pace ; & Chorus reſpondet : in nomine Chriſti. Amen. Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante*, *deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem*, *medius inter duos Acolythos cum candelabris accenſis*, *ſequitur Clerus per ordinem*, *ultimo Celebrans cum Diacono a ſiniſtris*, *omnes cum ramis in manibus*, *& cantantur ſequentes Antiphonæ*, *vel aliquæ*, *quouſque durat Proceſſio*. Rubr. Miſſ. hìc.

Reci.

Recitata oratione: *Omnipotens:* per quam completur diſtributio Palmarum, Celebrans pergit ad medium Altaris, ubi ſtans, Diacono miniſtrante cum oſculis, imponit, & benedicit de more incenſum in thuribulo, & interim aliquis Acolythus ligabit vitta violacea in ſummitate Crucis proceſſionalis ramuſculum ex palmis, ſeu olivis benedictis. Mox Diaconus, depoſito manipulo, accipit ab aliquo Acolytho palmam Celebrantis, quam eidem porrigit cum oſculis ipſius palmæ, & manus illius, & deinde ſuam ab eodem Acolytho recipit, quam ipſe Diaconus ſiniſtra tenet, Celebrans vero dextera. Quæ dum a Diacono peraguntur, deſcendit Subdiaconus, genuflectit ſuper infimum gradum Altaris, & depoſito manipulo, ſtatim accipit Crucem proceſſionalem, & medius inter Ceroferarios habentes Candelabra, accedit, ut moris eſt, ad aditum Præsbyterii præeunte thuriferario, & ibi verſa facie ſua, & Crucifixi ad Altare, expectat donec procedendum eſt. Porro Diaconus poſtquam porrexit palmam Celebranti, convertit ſe ad populum per latus ſuum dexterum, præmiſſa genuflexione Altari, ſtanſque in ſuo gradu poſt Celebrantem, cantat: *Procedamus in pace:* cui Chorus reſpondet: *In Nomine Chriſti. Amen:* & continuo Diaconus ſe convertit ad Altare, nulla facta genuflexione.

Poſtquam Chorus reſpondit: *In nomine Chriſti. Amen:* Celebrans facta reverentia Altari deſcendit in planum, ubi a Diacono accipit biretum, ſicut & ipſe Diaconus accipit ſuum, & ſtatim ordinatur Proceſſio, in qua præcedit thuriferarius, ſequitur Subdiaconus cum Cruce medius inter Ceroferarios, poſtea Clerus, & ultimo Celebrans tecto capite, habens a ſiniſtris Diaconum procedentem cum capite ſimiliter tecto, qui non elevat fimbriam pluvialis; omnes autem ſuam palmam deferunt manu extima quem vero locum cantores tenere debeant? diximus 2. Febr. art. 3. §. 6. nu. 37. Porro in hac proceſſione cantantur Antiphonæ: *Cum appropinquaret:* & aliæ in Miſſali deſcriptæ; etſi proceſſio brevis eſt, aliquæ omittuntur: ſi longior, aliquæ repetuntur ita; ut duret eorum cantus, quamdiu proceſſio duret, quæ exire debet extra Eccleſiam; ſi vero propter pluviam, vel aliud impedimentum nequeat exire, fiat intra Eccleſiam, quo caſu, ex qua parte Altaris debeat incipere proceſſio, & ad quam terminare? diximus 2. Febr. l. cit. *In proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſiam ſine SS. Sacramento, non eſt pulſanda campanula ad elevationem Hoſtiæ in Miſſa privata. Quod ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum eſt utroque genu a tranſeuntibus ante Altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſito Sacramento pregrediendum eſt; Similiter ſi alii tranſeant in elevatione Calicis.* S. R. C. 1. Martii 1681. apud Caval. to. 4. c. 10. d. 7.

Sacra Rituum Congregatio interrogata: *utrum in Cathedrali Conimbricenſi ſervari poſſit, aſſerta conſuetudo, ut in Proceſſionibus Palmarum, & Candelarum, functionem non peragente Epiſcopo, Crucem portet Cappellanus per turnum paratus? Reſpondit. Affirmative, & amplius.* S. R. C. 14. Aprilis 1753. in Conimbr. ad 10. dub. Similiter requiſita: *Utrum aſſerta conſuetudo, ut quatuor Canonici, vel me-*

Digitized by Google

dii Canonici pluvialibus induti, quædam argentea inſignia ſine palmis, & Candelis præ manibus geſtent in Proceſſionibus Palmarum, & Candelarum, licite retineri poſſit? Reſpondit: Affirmative, & amplius. S. R. C. in eadem *Conimbr.* ad 14. dub. apud Caval. *tom.* 5. *in Collect. recentior. decretor.*

§. X.

82 **I**N *reverſione Proceſſionis duo, vel quatuor Cantores intrant in Eccleſiam, & clauſo oſtio, ſtantes verſa facie ad Proceſſionem, incipitur* ℣. Gloria, laus: *& decantant duos primos verſus, Sacerdos vero cum aliis extra Eccleſiam repetit eoſdem. Deinde qui ſunt intus, cantant alios verſus ſequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur, & qui ſunt extra, ad quoslibet duos verſus reſpondent:* Gloria, laus: *ſicut a principio* ℣. Rubr. Miſſ. hic.

Hæc Proceſſio, ut ſupra diximus, exire debet extra Eccleſiam, quatenus pluvia non prohibeat, vel ſimile impedimentum. Poſtquam vero ad Eccleſiam fuerit reverſa, ſiſtit ante fores ejuſdem, intrant autem duo, aut quatuor Cantores, quibus ingreſſis, illico fores Eccleſiæ præcludantur; extra Eccleſiam ante fores ejus ſiſtit ſe Subdiaconus, ac tenet Crucem cum facie Crucifixi converſa ad celebrantem, Clerus per girum circumſtat, veluti medium habens Celebrantem cum Diacono ad hujus ſiniſtram. Caval. *Comm. in decr.* 27. *n.* 4. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 26. Mox Cantores, qui ſunt intra Eccleſiam, ſtantes verſa facie ad Proceſſionem, incipiunt ℣. *Gloria, laus:* cantant duos primos verſus, ut in Miſſali, & mox Celebrans cum aliis extra Eccleſiam eoſdem repetit. Deinde Cantores intra Eccleſiam concinunt alios duos ſequentes verſus, quibus terminatis, iterum qui ſunt extra Eccleſiam repetunt: *Gloria, laus:* & ſic ſucceſſive, ut in Rituali & Miſſali: in cujus tamen quibuſdam editionibus error eſt typographorum: quod ℟. *Gloria, laus:* notatum videatur poſt quoslibet quatuor verſus, ut animadvertit Caval. l. cit. n. 5. Prædicti dum cantantur verſus, Celebrans, & Diaconus ſtant tecto capite, cæteri autem nudo; etſi Bralion putet, & conſentiat Caval. n. 6. omnes ſtare poſſe cooperto capite; quia proceſſio adhuc tota eſt extra Eccleſiam.

§. XI.

POSTEA *Subdiaconus haſtili Crucis percutit portam: qua ſtatim aperta, Proceſſio intrat in Eccleſiam cantando.* ℟. *Ingrediente Domino, &c.* Rubr. Miſſ. hic. 83

Cantatis præfatis verſibus, vel illorum parte, Subdiaconus vertit faciem Crucifixi ad portam Eccleſiæ, & ima parte haſtilis Crucis, abſque eo quod Crux ab haſtili amota ſit, percutit ſemel tantum, ita ut fragor ab exiſtentibus intra Eccleſiam poſſit audiri, imam partem portæ Eccleſiæ, quæ ſtatim ab iis, qui ſunt intra, aperitur, & Proceſſio ingreditur Eccleſiam, & Cantores, qui ad locum ſuum intra proceſſionem rurſus ſe conſtituunt, cantare incipiunt Reſponſorium: *Ingrediente Domino*, & Chorus proſequitur illud, & non dicitur: *Gloria Patri:* in ejuſdem fine. Caval. *in cit. d.* 27. *n.* 4. & 7. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 26. &

Digitized by Google

26. & duob. ſequentib. Quod ſi ob pluviam, vel aliud impedimentum Proceſſio extra Eccleſiam nequeat exire, atque adeo fiat intus Eccleſiam: quæ ad illius portam præſtanda erant, fiant in veſtibulo ante ingreſſum Cappellæ majoris. Cum Gavanto, & Biſſo Caval. cit. n. 7.

§. XII.

84 DEINDE *Celebratur Miſſa, & rami tenentur in manibus dum cantatur Paſſio, & Evangelium tantum*. Rubr. Miſſ. hic.

Cum Proceſſio ad Altare devenerit, Subdiaconus deponit Crucem in loco congruo prope Credentiam, ſuper quam Cæroferarii ſua Candelabra collocant, & ſe ſtatim conſtituit ante infimum Altaris gradum ex parte Evangelii, ubi (Clero interim ad Chorum accedente:) expectat Celebrantem, qui ſe ſiſtit ante infimum Altaris gradum medius inter eumdem Subdiaconum a ſiniſtris, & Diaconum a dexteris, & ibi prædictus Celebrans Diacono ſuam tradit palmam, quam Diaconus ſimul cum ſua conſignat Cæremoniario, vel alicui Ccolytho. Deinde factis reſpective debitis reverentiis Altari, ſe retrahunt ad cornu Epiſtolæ, ubi Celebrans depoſito pluviali accipit manipulum, & planetam violaceam, ſicut etiam Sacri Miniſtri recipiunt manipulos, & poſtea Celebrans accedit iterum cum ſacris Miniſtris ad medium Altaris ante infimum gradum ejuſdem, & ibi more ſolito Miſſam incipit. Porro qui benedicit palmas, debere celebrare Miſſam ſequentem, notavimus ſupra n. 70. fine? Quo loco ſint a Celebrante ſumenda paramenta pro Miſſa? explicavimus 2. Febr. art. 3. §. 7. n. 41. De ritu autem tenendi ramos benedictos in manibus, dum cantatur Paſſio, & Evangelium, differemus ubi de Miſſa ſolemni ſubſ. 3. §. 2. num. 92.

§. XIII.

Solvuntur nonnullæ Quæſtiones circa hodiernam functionem Palmarum.

QU. I. An tempore Interdicti localis generalis liceat peragere ſolemnem, & publicam benedictionem hodiernam Palmarum? 85

℟. Negative: quia prædicto tempore non licet exercitium publicum, & ſolemne Divinorum Officiorum. Atqui inter divina officia connumeratur benedictio hodierna Palmarum. Ergo &c. Vid. Bonac. tom. 1. diſp. 5. de Interd. qu. 4. nu. 3. Avil. de Cenſ. par. 5. diſp. 4. Sect. 1. dubit. 1. concl. 1. Sylveſt. V. *Interd.* 5. qu. 4. verſus finem. Lezan. V. *Interd. Regul.* num. 20. Hinc etiam habes, tempore Interdicti particularis, nec privatim licere hujuſmodi benedictionem peragere. Tempore autem Interdicti localis generalis non licere in Eccleſia ſpecialiter interdicta. Hæc conſtant ex materia de Interdicto.

Qu. II. Quid ſibi velit hodierna Palmarum benedictio, & Eccleſiaſtica functio?

℟. Conſtans, & perpetua fuit Eccleſiæ diſciplina, ut nulla re publice utatur quin prius benedixerit eam: uti cum Thomaſino obſervat Benedictus XIV. *de feſtis l.* 1. *c.* 8. *num.* 50. Per hujuſmodi vero benedictionem Palmarum, & Ramorum, ac ſubſequentem Proceſſionem, totamque

præ-

prædictam Eccleſiaſticam functionem recolitur memoria ſolemnitatis illius, quando Dominus Salvator noſter ingreſſus eſt Jeruſalem, ſedens ſuper pullum Aſinæ comitantibus pueris Hebræorum cum ramis in manibus exultantibus, & canentibus: *Benedictus qui venit in nomine Domini &c.* ut obſervat S. Iſidorus Hiſpal. Epiſc. *de Eccl. Offic. l.* 1. *c.* 27. Rupert. *de Div. Offic. lib.* 5. *c.* 8. Joannes Beleth. *de Div. Offic. cap.* 7. Amalar. *de Eccl. Offic. lib.* 1. *c.* 10. & S. Ivo Carnotenſis Epiſc. *ſerm.* 16. *in Ramis Palmarum*, ubi ſic: . . . . *Hujus turbæ chariſſimi Fratres formam repræſentatis, cum virentes Ramos arborum poſt vexillum Sanctæ Crucis in manibus portatis. Et bene repræſentatis, ſi, quod virore ſignatur in manibus, ſemper teneatur in moribus, ſi non hyeme decidat, ſi non æſtate marceſcat: ut dicere poſſitis cum Pſalmiſta: Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.*

Rurſus hæc myſtice ſignificant: hodie apud populum Hebræorum ductos fuiſſe agnos in domos, immolandos in Paſchate. *Exod.* 27. ut ſcribit Durandus *in Ration. Offic. lib.* 6. *c.* 86. *n.* 5. Rupert. *cit. lib.* 5. *c.* 7. Honorius *in Gemma lib.* 3. *c.* 119. Et Ecce Chriſtus, *quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad Victimam.* Jerem. 11. 19. Ingreditur Eccleſiam, quaſi includatur in Jeruſalem, ut agnus ad occiſionem (vide dicenda in Dom. Reſurr. art. 1. qu. 1. verſus finem;) Unde partim lætitiæ ob palmas victoriæ ſymbolum: partim mœroris eſt hic dies.

Item porta Eccleſiæ clauſa, & haſtili Crucis aperta deſignat Jeruſalem cœleſtem per Chriſti Paſſionem nobis reſeratam: unde dicitur ℟. *Ingrediente Domino in Sanctam Civitatem.*

Cur in Miſſa dum cantatur Paſſio, & Evangelium, teneantur in manibus Palmæ? explicabimus ſubſ. 3. §. 2. num. 92. Aliæ inſuper rationes myſticæ prædictæ ſolemnitatis videri poſſunt apud Quarti *de Benedict. tit.* 2. *Sect.* 3. *prælud.* 2. & apud Durand. *in Ration. lib.* 6. *c.* 67. De Auctore denique ſupradictorum verſuum: *Gloria, laus &c.* qui in hodierna Proceſſione Palmarum cantantur, videri poteſt Durandus loc. cit. Benedictus XIV. *de feſtis Dom. c.* 4. §. 4. Caval. *to.* 4. *c.* 12. *in decr.* 27. *n.* 9.

Qu. III. Utrum Palmarum, Oli- 87
varum, aliarumve arborum Rami hodie benedicti tractari debeant reverenter, & aliquis religioſus reſpectus illis debeatur; ita ut non poſſint adhiberi ad eoſdem uſus profanos, ad quos poterant prius; puta, ad accendendum ignem pro coquendis cibis?

℟. Affirmative; quidquid contra opinati fuerint aliqui. Ratio eſt, quia hujuſmodi Palmarum, & Olivarum, aliarumque arborum Rami hodie benedicti, deſtinantur ab Eccleſia per ſe ad uſum pium, religioſum, & Eccleſiaſticum, ut patet ex hodierna ſolemnitate, & ex feria quarta Cinerum, in qua ex præſcripto Miſſalis Romani Cineres benedicendi fiunt de Ramis olivarum, ſive aliarum arborum præcedenti anno benedictis. Accedit, hos ramos ſolemni benedictione benedici, ſimili ei, quæ adhibetur ad benedicendos cereos in ſolemnitate Purificationis. Quapropter benedicuntur benedictione media inter ſimpliciter conſecrativam, & ſimpliciter invocativam: rebus autem ſic benedictis competit aliquis religioſus reſpectus, ex quo

non liceat eas adhibere ad eoſdem uſus communes, ad quos poterant prius; ſed debent poſitive religioſe tractari; Unde adhiberi debent ad uſus tantummodo pios, & religioſos. V. dicta tract. 1. 2. Febr. art. 3. §. 8. qu. 3. Nota tamen quod Palmæ &c. ab Eccleſia benedicuntur, ut ſunt quidam Rami arborum apti ad uſum ejuſdem Eccleſiæ, ad quem hodie eos ſolet ipſa adhibere; amiſſa itaque Ramorum forma, non ſunt amplius apti ad uſum, ad quem per ſe ab Eccleſia benedictione donantur: unde hanc videntur amittere; atque adeo folia a truncis avulſa, & trunci foliis ſpoliati, videntur poſſe, cenſeri, eſſe non amplius benedicti; & ita de ſimilibus rebus benedictis docet Quarti *de Benedict. tit. 1. ſect. 6. dub.* 1. Vide dicta 2. Febr. loc. cit. fine. Cæterum hujuſmodi etiam decidentes frondes, ſeu folia a ſuis truncis avulſa, videtur pietati, ſeu Religioni conformius, ſi advertenter pedibus non conculcentur, ſed removeantur, & honeſtiori loco reponantur. Idem dicendum de truncis nudatis foliis.

88 Qu. IV. An ſit ſuperſtitioſum, putare, domum muniri contra fulmen, ſi die Palmarum Ramus Palmæ ter circumferatur, & extra domum relinquatur?

℞. Affirmative. La-Croix *lib.* 3. *par.* 1. *qu.* 5. §. 2. *n.* 29.

Nota vero hic ex Quarti *de Benedict. tit.* 2. *ſect.* 3. *prælud.* 3. Ramos prædictos ex vi benedictionis fieri per modum impetrationis inſtrumenta gratiarum in ſalutem animæ, & corporis cujuslibet fidelis pie utentis iiſdem, ſicuti conſtat ex forma, ſeu ex orationibus, quæ recitantur in hujuſmodi benedictione. Præſertim autem valent contra fulmina, & tempeſtates, & contra diaboli inſidias; qua ratione a fidelibus in domibus ſuis, & agris aſſervari ſolent; atque ita colligitur ex illa oratione ejuſdem benedictionis, quæ incipit: *Deus, qui diſperſa congregas:* ut obſervat laudatus Quarti.

SUBSECTIO III.

De Miſſa.

§. I.

De Ritu Miſſæ hodiernæ privatæ.

PRÆTER ea, quæ dicta ſunt c. 6. art. 2. & ſunt communia univerſo Paſſionis tempori: in Miſſa Dominicæ Palmarum, unica eſt oratio: & etiamſi in officio accidat fieri commemoratio de ſimplici occurrenti, nihil tamen fit de eo in Miſſa etiam privata. *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 7. *nu.* 1. Non fit autem mentio de Sanctis ratione Paſſionis, quæ legitur, ut dicit Gavant. *in Rubr. Miſ. par.* 1. *tit.* 7. *litt. g.* Et licet videatur obſtare quod in feria tertia, & quarta proxime ſequentibus fiat in Miſſa commemoratio de ſimplici occurrenti, quamvis in dictis feriis legatur ſimiliter Paſſio; ad hoc reſpondet idem Gavantus ibidem dicendo: Officium Miſſæ feriarum earum non eſſe tam ſolemne, quam hodiernæ Dominicæ Palmarum, ex quarum benedictione ſolemni hodierna Miſſa dependet. Profecto oratio unica ſolemnitatem indicat majorem, ut patet ex ritu duplici primæ claſſis. Hinc infert Cavalerius *to.* 4. *cap.* 7. *comm. in decr.* 35. *n.* 2. *fine*, excluſionem commemorationum aliarum om- 89

Digitized by Google

omnium arbitrariarum, & de mandato. In Miſſa tamen ſolemni, quæ haberetur coram SS. Sacramento publice expoſito faciendam eſſe, docet, commemorationem SS. Sacramenti ſub unica concluſione cum oratione diei: *l. cit. comment. in decr.* 8. *n.* 4. *fine;* omittendam vero in Miſſis privatis: *Comment. in decr.* 35. *num.* 2. *fine*. Vide dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 3. art. 5. n. 22.

In Epiſtola ad illa verba: *In nomine Jeſu omne genuflectatur:* Celebrans cum unico genu genuflectit. *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 17. *nu.* 1. Dum autem genuflectit innititur Altari, utraque manu hinc, & illinc extenſa.

90 Legitur Paſſio ſecundum Matthæum: *Paſſio in Miſſis privatis legi debet a Celebrante in cornu Evangelii, licet in Miſſa ſolemni legatur in cornu Epiſtolæ*. S. R. C. 4. Auguſti *1663. in una Dalmatiarum* apud Caval. *to.* 4. *c.* 16. *d.* 5. Profecto Rubr. poſita in hac Dominica Palmarum non exprimit, quo loco legenda illa ſit, nec in Miſſis privatis, nec in ſolemni; ſed cum Paſſio deſumpta ſit ex Evangelio, imo, uti docebimus infra §. 4. qu. 2. tota ſtet loco Evangelii, rite legenda eſt a Celebrante in cornu Evangelii in Miſſa privata, etſi eadem in Miſſa ſolemni legatur a Celebrante in cornu Epiſtolæ ob peculiarem rationem aſſignandam feria VI. in Paraſcev. Subſ. 5. §. 5. n. 222. dum tamen a Cantoribus cantatur in cornu Evangelii.

Paſſio Domini incipitur abſolute; non dicitur: Munda cor meum *: non petitur benedictio .... non dicitur:* Dominus vobiſcum: *& Celebrans .... dum pronuntiat:* Paſſio Domini noſtri: *non ſignat librum neque ſeipſum. Quod & in aliis diebus ſervatur, quando legitur Paſſio*. Rubr. Miſſ. hic. Sacerdos lecturus Paſſionem in cornu Evangelii, procedit a cornu Epiſtolæ ad medium Altaris, & facta Cruci inclinatione, non dicit: *Munda cor meum:* nec: *Jube Domine:* Hæc enim poſtea dicturus eſt ante ultimam partem Paſſionis, ut ſtatim notabimus: ſed vadit ad cornu Evangelii, & in principio lectionis Paſſionis non dicit: *Dominus vobiſcum*: nec ſignat librum, neque ſeipſum, nec reſpondetur: *Gloria tibi Domine:* quæ ſervantur ſimiliter aliis diebus, ſcilicet feria tertia, & quarta ſequentibus, quibus diebus in Miſſa legitur Paſſio. Manibus ante pectus junctis legitur Paſſio, ut fit ad Evangelium. Ubi Celebrans legit, Chriſtum expiraſſe, genuflectit verſus librum ambobus genibus in terra poſitis, & genuflexus aliquantulum, puta ſpatio unius *Pater noſter:* capite parum inclinato verſatur in meditatione mortis Chriſti Domini. Deinde ſurgens, legit adhuc manibus junctis, quod ſequitur Paſſionis, & ante ultimam partem vadit ad medium Altaris, & ibi elevatis oculis, & ſtatim demiſſis, parum inclinatus, manibus ante pectus junctis, de more dicit: *Munda cor meum:* & *Jube Domine*. Poſtea redit ad librum, & legit ultimam partem Paſſionis; in fine oſculatur librum, non ubi incipit Paſſio, ſed ubi eſt initium partis prædictæ ultimæ; & dicitur: *Per Evangelica dicta*: & Reſpondetur: *Laus tibi Chriſte*. Rubr. gen. Miſſ. tit. 10. num. 6. & Gavant. in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 7. n. 20. Dum legitur Paſſio in Miſſa privata, non eſſe extinguenda luminaria in Altari, ex profeſſo pro-

bat Paul. Comital. in Reſponſ. moral. lib. 1. qu. 49. ut refert Gavantus l. cit. nu. 21. animadvertit Merat. in cit. loc. Gavanti nu. 31. & conſtat ex praxi.

Paſſio legitur hodie, quia Chriſtus hodie ex voluntate Patris in manus inimicorum venit: recole dicta n. 86. Quia ergo Pater illum hac die tradidit pro nobis, & Calicem paſſionis dedit illi, merito legitur Paſſio cum eiſdem, quibuſcum exceptus eſt, palmarum ramis; (qui ritus ſervatur in Miſſa ſolemni, ut §. ſequenti dicemus:) totique officio venerandam ipſa præbuit materiam. Ita Rupertus Ab. *de Divin. offic. lib.* 5. *c.* 10. Rationem eamdem innuit Honorius *in Gemma l.* 3. *n.* 72. Aliam quoque congruentiam aſſignabimus nos ſequenti feria quarta ſubſ. 2. n. 126.

Notas illas ✠ C. S. in hiſtoria Paſſionis in Miſſali non eſſe antiquas, ſed tamen Auctorem habere incertum, refert Gavantus loc. cit. num. 19. qui putat, eas ſignificare Chriſtum, Chroniſtam, Synagogam. Alii vero volunt, ſignificare Chriſtum, Cantorem, & Succentorem; nam Diaconi dicuntur Cantores Paſſionis in Cæremoniali. Vox autem Succentor non eſt nova, aut recens in Eccleſia Latina, ut teſtatur Gavantus loc. cit. De Succentore agit Chiavetta lib. 1. inſtit. *Jur. Canon. c.* 4. *n.* 19. ubi notat de eo fieri mentionem in *C. Inter dilectos. De exceſſibus Prælatorum*. Et ad eum ſpectare, incipere cantum in Choro in abſentia Cantoris: unde & Vicecantor dicitur a nonnullis. Cantor autem eſt nomen Dignitatis in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, ſic dictus, quia primus intonat in Choro, & dat ordinem gerendorum in eodem Choro. Ita ex Azorio Chiavetta loc. cit. n. 18.

In fine Miſſæ privatæ legitur Evangelium: *Cum appropinquaſſet*: deſcriptum in Miſſali, ubi de Benediction. Palmarum. *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 13. *n.* 2. Si autem ante Miſſam peracta fuerit ab eodem Celebrante benedictio Palmarum ſine Miniſtris: in fine Miſſæ legat Evangelium conſuetum S. Joan. *In principio erat Verbum*: quemadmodum in Miſſa ſolemni. Porro benedictionem Palmarum fieri poſſe ſine Miniſtris ſacris, atque adeo ſine ſolemnitate: habes ex dictis ſubſ. 2. §. 4. n. 76.

Nota hic: quod dum fit proceſſio Palmarum, non eſt pulſanda campanula ad elevationem Hoſtiæ in Miſſa privata. V. ſup. n. 81. fin. 91

§. II.

De Ritu, & Cæremoniis Miſſæ ſolemnis.

NOTAVIMUS ſubſ. 2. §. 12. nu. 84. quod abſoluta proceſſione Palmarum, *Celebratur Miſſa, & rami tenentur in manibus, dum cantatur Paſſio, & Evangelium tantum*. Rubr. Miſſ. de Ben. Palm. Et ex Cærem. Epiſc. l. 2. c. 21. ubi de officio, & Miſſa in Dom. Palm. verſus finem ſic habetur: *Cum Paſſio inchoatur, Celebrans cum ſuis Aſſiſtentibus legit Paſſionem tenens palmam in manibus, & ſtans in cornu Epiſtolæ*. In Dominica igitur Palmarum, in Miſſa ſolemni, exceptis Cantoribus Paſſionis, & Acolythis, qui aſſiſtunt, & inſerviunt iiſdem, omnes, dum Paſſio canitur, tenent in manu palmas: in dextera ii de Choro, aliique; Celebrans vero, & Miniſtri ſacri in ſiniſtra, 92

Digitized by Google

ſtrâ, ut omnes tres uniformes ſint in tenenda palma: quia Diaconus quoad dexteram occupatus eſt in vertendis foliis Sacerdoti, interim privatim Paſſionem legenti. Caval. *to.* 4. *c.* 16. *Comment. in decr.* 5. *nu.* 9. aliique apud Merat. *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 31. Poſtquam tamen Celebrans, Paſſione lecta, ad Cantores converſus manſerit, tum ipſe, tum ſacri Miniſtri palmas tenere debent in manu dextera, pectori admota ſiniſtra. Cum Braulione Caval. & Merat. l. l. cit.

Ex ſupra laudata Rubrica, Rami tenendi ſunt in manibus, dum cantantur Paſſio, & Evangelium *tantum;* ſed Meratus cit. n. 31. etiam ad elevationem, videlicet Sacramenti, facit Chorum reſumere Ramos, eaque peracta, iterum deponere illos. Rami autem tenentur in manibus, dum cantatur Paſſio, & Evangelium, ut loquitur Rubrica ſupracitata, ut dum ignominia Crucis narratur, ejuſdem Victoria per ramos oſtendatur. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 7. *n.* 18. *initio*. Et vero, ut S. Iſidorus de Officiis Eccleſiaſtic. l. 1. c. 27. ait: *In Ramis enim Palmorum ſignificabatur Victoria, qua erat Dominus mortem moriendo ſuperaturus, & trophæo Crucis de Diabulo mortis principe triumphaturus*. Aliam rationem ex Ruperto innuimus §. præced. n. 90.

Paſſio in Miſſis privatis legi debet a Celebrante in cornu Evangelii, licet in Miſſa ſolemni legatur in cornu Epiſtolæ. S. R. C. 4. Auguſti 1663. *in in una Dalmatiarum* apud Caval. to. 4. c. 16. d. 5. In hoc decreto tacite approbatur, Paſſionem legendam eſſe in cornu Epiſtolæ a Celebrante Miſſam ſolemnem; nimirum, quemadmodum Rubrica deſcripta in Miſſali in fer. VI. Paraſceves præſcribit, legendam tunc eſſe Paſſionem a Celebrante in cornu Epiſtolæ, dum eadem canitur a Cantoribus in cornu Evangelii, ut ibi notabimus; ubi rationem quoque aſſignabimus diſpoſitionis hujuſmodi; ad quos Cantores etiam Celebrans aliquantulum debet eſſe converſus, dum ipſe ſecrete legit eamdem in cornu Epiſtolæ: ut, quoad fieri poteſt, Rubrica illa ſervetur, quæ exigit Sacerdotem in cornu Epiſtolæ converſum ad Diaconum, dum Evangelium cantat in Miſſa ſolemni; etenim, ut animadvertit Caval. in cit. decr. 5. fine, ob longitudinem Paſſionis non judicavit Eccleſia, prius legendam eſſe illam a Celebrante in cornu Evangelii, antequam per Cantores concineretur: quemadmodum fit in aliis Miſſis ſolemnibus, in quibus Evangelium legitur a Celebrante in cornu Evangelii, antequam cantetur a Diacono. Quæ adhuc ſervanda ſint a Celebrante in Miſſa ſolemni, dum ipſe ſubmiſſa voce legit Paſſionem, explicabimus fer. VI. in Paraſcev. ſubſ. 5. §. 5. An autem Celebrans Miſſam ſolemnem poſſit non legere Paſſionem, antequam illam cantent Diaconi? examinabimus infra §. 4. q. 3. Finita autem prima Paſſionis parte, *Dicitur*: munda cor meum: *petitur benedictio, defertur incenſum ſine luminaribus, & incenſatur liber; non dicitur:* Dominus vobiſcum: *& Celebrans, aut Diaconus non ſignat librum, neque ſeipſum, & quod ſequitur cantatur in tono Evangelii, in cujus fine Celebrans oſculatur librum, & incenſatur. Quæ omnia, & in aliis Paſſionibus ſervantur, præterquam feria ſexta in Paraſceve*. Rubr. Miſſ. hic.

Ad

Ad cantandam Paſſionem hodie, & feria tertia, & quarta ſequentibus ſervanda ſunt eadem quæ dicemus in fer. VI. Paraſcev. ſubſ. 5. §. 5. a n. 221. excepto quod hodie, & prædictis ſequentibus duobus diebus ſtolæ Cantorum ſunt violaceæ, & antequam cantetur ultima pars Paſſionis, petitur benedictio, ut fieri conſuevit ad Evangelium, incenſatur liber, qui & oſculandus traditur Celebranti in initio poſtremæ partis cantatæ, cum ejuſdem Celebrantis incenſatione: ut habet Rubrica deſcripta in hac Dominica; In fine quoque reſpondetur: *Laus tibi Chriſte:* Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 31. quæ ſiunt in Paraſceve.

Epiſcopus palmas benedicens, & Miſſæ aſſiſtens non debet legere Epiſtolam, neque Evangelium: Cum appropinquaſſet: *vel:* Altera autem die: *poſt Paſſionem; tam ex praxi Capellæ Pontificiæ, quam ex præcepto Cæremonialis Epiſcoporum; & aſſiſtens Miſſæ in Dominica Palmarum paratus, vel cum Cappa, non debet ſedere, neque genuflectere, ſed ſtare diſcoopertus, dum cantatur Paſſio; & in caſu impotentiæ debet abſtinere ab interventu ſaltem Miſſæ.* S. R. C. 28. April. 1708. in *Bracharen.* apud Caval. to. 4. c. 12. d. 27. & 28.

In fine Miſſæ ſolemnis, quia facta fuit benedictio Palmarum, adeoque lectum Evangelium: *Cum appropinquaſſet:* hinc legitur Evangelium conſuetum S. Joannis:

93 Poſſe quemlibet Clericum ſine manipulo cantare Evangelium, & Paſſionem: ex Navarro docet Sa V. *Clericus;* n. 33. ſed contradicit Rubrica Miſſalis de rit. celebr. Miſ. tit. 6. n. 8. ubi ſic legitur. *Si quandoque Celebrans cantat Miſſam ſine Diacono, & Subdiacono, Epiſtolam cantat in loco conſueto aliquis Lector, ſuperpelliceo indutus, qui in fine non oſculatur manum Celebrantis: Evangelium autem cantat ipſe Celebrans ad cornu Evangelii &c.* Non poteſt itaque Evangelium cantari a ſimplici Clerico, etiam Lectore; quamvis in Eccleſia Græca a Lectoribus legatur, ſive cantetur: & in Eccleſia quoque Latina ita olim fieri conſueverit. Sed in majorem Evangelii honorem, & ad debitam reverentiam illi conciliandam a populo, ſatis congrue legendi Evangelii munus deinde Diaconis fuit impoſitum. Vid. Bened. XIV. *de Miſſ. Sect.* 1. *cap.* 9. §. 1. Caval. *to.* 5. *c.* 11. *n.* 3. Merat. *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 10. *n.* 7. Nec quidem a Clericis decantari valebit ea Paſſionis pars, in qua de Turba agitur; Vide dicenda in Paraſc. cit. ſubſ. 5. §. 5. Sed eſt notandum *Cæremonialem librum non obſtare, nec tollere immemorabiles, & laudabiles conſuetudines Eccleſiarum; & licet in eo dicatur, quod Paſſio in Dominica Palmarum, & fer. VI. in Paraſceve decantetur a Cantoribus: non ex hoc prohibetur, quominus a Canonicis decantari poſſit, & debeat, maxime ubi viget conſuetudo, quod a Canonicis decantetur, prout viget in Civitate Viterbienſi, quam conſuetudinem omnino ſervandam eſſe cenſuit, & declaravit* S. R. C. 7. Julii 1617. *in Viterbien.* Apud Caval. to. 4. c. 16. d. 3. n. 10. At vero: *Ubi non viget immemorabilis conſuetudo, ut Evangelium Dominicæ Paſſionis decantetur a Canonicis Collegiatarum in Dominica Palmarum, & feria VI. Paraſceves, ab Epiſcopo cogi non poſſunt, ad illud decantandum, non obſtante quod ex immemorabili conſuetudine decantetur a Canonicis Eccleſiæ Cathedralis.* S. C. Con-

Concilii 2. Julii 1718. apud Caval. cit. c. 16. d. 4.

§. III.

De Miſſis Votivis.

94 ETsi in omnibus Dominicis generaliter prohibitæ ſint Miſſæ votivæ, ſecundum dicta 10. 1. ubi de Dominica; adhuc in Dominica Palmarum ſpecialiter, & expreſſe prohibentur ex decr. S. C. R. 14. April. 1646. apud Merat. *ind. decr. Miſſ. n.* 289. Item ex *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 6. licet in Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus populi ad celebrandum feſtum, quod transferri debet, poſſint cantari duæ Miſſæ, una de die, alia de feſto: excipitur tamen Dominica Palmarum, cum tota hebdomada majori. Confer dict. tr. 1. 25. Martii n. 30. Cæterum videantur dicenda §. ſequ. qu. 4.

§. IV.

Solvuntur nonnullæ Quæſtiones ad Miſſam pertinentes.

95 QU. I. An peccet gravius, qui in Dominica Palmarum, aut feria tertia & quarta majoris hebdomadæ, occurrente feſto Annunciationis B.M. V. non adſit Miſſæ dum legitur Paſſio, ſed incipiat aſſiſtere ſtatim poſt lectam Paſſionem?

℞. Quæſtionem hanc in terminis agitatam apud neminem, licet plures adierim, inveni: fortaſſe quia ex generalibus principiis ſolvendam judicarunt. Unus mihi occurrit Andreas Mendo, qui principio illi innixus, quod omittere auditionem Miſſæ ab initio ad Evangelium incluſive ſit mortale, idipſum conſequenter docet ſi quis in Dominica Palmarum, non aſſiſtat Paſſioni, quæ legitur in Miſſa *in Stat. opin. benig. diſſert. 7. ad 1. Eccl. præc. qu.* 1.

Sane difficultatem ex eo nullam eſſe, quod vel Epiſtola vel Evangelium longius ſit ſolito, ſatis docuimus Tract. 1. in Septembr. par. 1. a n. 30. Siquidem licet rigidiores Auctores tertiam ſaltem Miſſæ partem habeant pro notabili, eamque omittere pro lethali culpa damnent; tamen hanc ipſam non tam ex materiali verborum prolixitate, quam ex dignitate, & majori ad Sacrificium pertinentia metiuntur. 96

Ad generalia ergo principia redeuntes, totum propoſitæ quæſtionis nodum in eo deprehendimus: Utrum Miſſæ de præcepto auſcultandæ ſatisfaciat, qui ad ipſam poſt lectum Evangelium accedat? 97

Jamvero licet tutius ſit, & quidem ad ſenſum vulgi magis accommodatum, ut ait La-Croix *lib. 3. par. 1. qu.* 158. §. 3. ſi dicamus, præcepto audiendi Miſſam non ſatisfacere, ſi quis ſaltem ad ipſam non accedat ſub initium Evangelii, & permaneat uſque ad finem: verumtamen neque illi a finibus ſatis tutæ praxis abſcedere dicendi ſunt, qui, accedentem, poſt lectum primum Evangelium, a mortali immunem faciunt, dummodo alteri Evangelio, quod legitur in fine Miſſæ, aſſiſtat; ſive illud S. Joannis ſit, ſive de tempore. 98

Hanc ſententiam tuetur Suarez *in* 3. *part. diſp.* 88. *ſect.* 4. cui adhærent Bonacina *de Sacr. diſp.* 4. *qu. ult. pu.* 11. *num.* 17. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 5. *de Euch. c.* 7. *qu.* 4. Fagund. *in* 1. *præc. Eccl. l.* 2. *c.* 6. *n.* 7. Layman *l.* 4. *tr.* 7. *c.* 3. *n.* 3. Huttadus *de*

de Sacr. Miſſ. diſp. 5. *difficult.* 1. Pellizar. *in Man. Regul. tr.* 5. *c.* 4. *qu.* 10. *nu.* 53. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *qu.* 158. §. 3. Franc. de Lugo *de Sacram. lib.* 8. *de Miſſa c.* 14. *quæſt.* 6. *n.* 63. *& duobus ſeqq.*

99 Ratio, qua movetur ad id opinandum Eximius Doctor Suarez, eſt: quia utique Evangelium, quod in fine Miſſæ legitur, eſt aliquo modo pars Miſſæ, & alioqui eſt probabile non teneri fideles audire duo Evangelia, neque ad aſſiſtendum, niſi uſque ad dimiſſionem vel benedictionem; & ideo audiendo poſtremum Evangelium videtur poſſe compenſari aliud Evangelium in principio omiſſum; & ita ſatisfieri præcepto.

Enimvero durum eſt, damnare aliquem mortalis, quod, nondum lecto Evangelio in fine Miſſæ, abſcedat; ſi ergo qui primo Evangelio non interfuit; huic poſtremo interſit, cur non ſatisfaciat Eccleſiæ præcipienti, auſcultationem Evangelii in Miſſa? præſertim, cum non raro poſtremum Evangelium ſit de tempore, hoc eſt magis congruum Dominicæ: & quidem in hac ipſa Dominica Palmarum, Evangelium in fine Miſſæ, eſt ipſum feſtivitati Palmarum congruens.

100 Si itaque Auctorum pro hac ſententia non numerus, (qui tamen ſpectabilis eſt) ſed meritum, & rationis ipſius pondus libretur; audacem merito quis dixerit notam, quam huic ſententiæ inurit Turrianus *in ſelect. diſp. par.* 2. *diſp.* 31. *dub.* 28. illam appellans temerariam. *Integrum* ait C. *Prudentiam de Offic. Jud. de leg. Integrum eſt Judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur:* ſcilicet ut bene explicat Viva in prop. 34. damnata ab Alex. VII. nu. 10. Recta, prudens, & æqua eſt opinio; quæ confirmatur approbatione, & conſenſu plurimorum Virorum, qui ſint in re illa verſati, de qua judicium proferunt. Auctoribus vero ſupra laudatis adde Cardinalem de Lugo. Averſa, Henriquez, Ceſtropalæum, di Caſtillum, Paſqualigum, Amalarium, alioſque, quos ſciens prudens omitto: tum temerarios, ſi potes, tot tantoſque Viros, in hoc ipſorum uniformi judicio, judicato.

101 Atque hæc quidem in univerſum faciunt pro omni & qualibet Miſſa ſive de feſto, ſive de feria, ſive Votiva, aut defunctorum, loquendo de iis qui illas auſcultare ſive ex præcepto Eccleſiæ, ſive ex alia obligatione tenerentur. Nam loquendo de Celebrante, alia eſt ratio ut qu. ſeq. patebit.

102 Neque dici poteſt, quod ſit peculiaris obligatio pro non celebrantibus, audiendi lectionem Paſſionis in hodierna Miſſa: Nam etiam hodie in caſu quo aliquis Sacerdos ex aliqua peculiari cauſa (V. inf. qu. 4.) vel ex privilegio celebraret Miſſam Votivam: indubitatum eſt, quod quilibet huic aſſiſtendo, ſatisfaceret præcepto; neque tamen integram Paſſionis Hiſtoriam auſcultaret.

103 Verum hæc quantumvis vera; & tuta eſſe velimus; potius ad inſtructionem Confeſſariorum intendimus, ne tam faciles ſint, ad aliquem damnandum de mortali culpa in hujuſmodi omiſſionibus; quam ad praxim, ut aliquis ab onere auſcultandi hanc Miſſam cum integra Paſſionis lectione ſe ſubtrahat. Ut enim maxime decet hæc Lectio per hoſce dies (V. qu. ſeq.) ſic maxime dedecet, illi non adeſſe: neque ex poſitiva voluntate hujuſmodi onus declinantem,

tem, ab omni culpa immunem facimus; licet ex aliqua incuria deficientem, poſt factum excuſemus.

104 Qu. II. An peccet mortaliter Sacerdos, ſi in Miſſa privata totam omittat Paſſionis hiſtoriam legere; vel legat tantum ultimam partem illius?

℞. Affirmative: Ratio eſt; quia tota Paſſionis Lectio ſtat loco Evangelii; omittere autem Evangelium, aut tam parum legere, ut pro nihilo reputetur ex omnium Doctorum ſententia eſt materia gravis in Celebrante: Neque obſtat, quod Rubrica videatur diſtinguere Evangelium a Paſſione, appellans Evangelium ſecundam partem Paſſionis, ubi ait in hodierna functione: Ramos tenendos in manibus *dum cantatur Paſſio*, & *Evangelium tantum*. Nam ideo procuidubio vocat Evangelium ſecundam partem Paſſionis, quod ea ſola ſpeciem præſeferat Evangelii: nam ea cantatur in tono, & more Evangelii a Diacono in cornu Evangelii prope Altare, & ante eamdem dicitur: *Munda cor meum*. Non inde tamen a parte rei ſequitur primam partem non eſſe Evangelium. Et quod tota Paſſio ſtet loco Evangelii, inſinuat etiam hoc, quod legenda ſit a Celebrante in Miſſis privatis in cornu Evangelii, ut a S. R. C. declaratum notavimus ſupra §. 1. n. 90. & quod in Miſſa ſolemni a Cantoribus cantanda ſit in eodem cornu Evangelii: a cantoribus autem Diaconis in Stola Diaconali. Denique totam Paſſionem vocari Evangelium, notabimus ex quodam Decreto S. C. R. allegando in fer. VI. Paraſcev. ſubſ. 5. §. 5. num. 221. quod etiam Decretum deſcriptum habes ſuperius §. 2. n. 93. Nec valet arguere a caſu expoſito in qu. præcedente, ad præſentem. Evidens enim eſt, & ipſo prudentum judicio comprobatum, multo ſeveriori jure præſcribi Celebranti integram Miſſæ lectionem, non ſolum quoad ſubſtantialia, ſed etiam quoad integrantia. Siquidem ipſa celebrandæ Miſſæ decentia, multo patentius ſcandalum in hujuſmodi omiſſionibus; atque præcipientis Eccleſiæ in hujuſmodi ritibus gravitas Celebrantem imprimis urgent. Ad Laicos vero nonniſi Miſſæ in genere, quoad ſubſtantiam, & notabilem integritatem auſcultandæ præceptum dirigitur.

Qu. III. An Celebrans hac die Miſſam ſolemnem, poſſit omittere privatam lectionem Paſſionis; eo quod illam cantent Miniſtri? eadem quæſtio procedit pro feriis III. IV. & VI. ſequentibus. 105

℞. Negative: nam illam legere præſcribit Rubrica fer. VI. in Paraſceve: neque eſt diverſa ratio pro Dominica Palmarum, & feriis ſequentibus. Sed de ipſa Dominica Palmarum expreſſe præcipit Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. c. 21. n. 16. Cum Paſſio inchoatur, Celebrans cum ſuis Aſſiſtentibus legit Paſſionem, tenens Palmam in manibus, & ſtans in Cornu Epiſtolæ*. Rurſus Rubrica Miſſalis *de rit. Celebr. tit. 6. n.* 5. præſcribit, ut in Miſſa ſolemni Celebrans legat Evangelium; quod deinde cantari debet a Diacono. At certum eſt, Paſſionem in Miſſa hodierna, ſtare loco Evangelii; quin obſtet, quod legi debeat a Celebrante in Miſſa ſolemni, in cornu Epiſtolæ (de quo v. ſup. n. 104.) Et quidem tota Paſſio, non ultima ejus pars dumtaxat ſtat loco Evangelii; ut ſentit etiam nobiſcum in hac re Caval.

val. *tom.* 4. *cap.* 2. *in decret.* 26. *num.* 1.

106 Sed multi contra opinantur: ut Tamburinus *in Meth. Celebr. Miſſ. l.* 2. *c.* 5. §. 2. *n.* 8. Pellizzar. *in Manual. Regul. to.* 1. *tr.* 5. *c.* 9. *ſect.* 2. *ſu.* 5. Diana *edit. coord. to.* 2. *tr.* 1. *Reſol.* 186. §. 2. *fin.* Sanchez *lib.* 7. *Conſil. c.* 2. *d.* 13. & alii: quorum tamen neque numerus me movet, neque auctoritas, quam nulla, ſi bene ſapio, plauſibili ratione ſufful tam video.

Contendit Tamburinus, non eſſe mortale illam omittere in dicto caſu; quia ſimiliter omitti poſſunt in aliis Miſſis ſolemnibus, Epiſtola, Evangelium, *Credo*, & alia quæ cantantur a Miniſtris. Sed hoc ipſum probari deberet a Tamburino. Eſt enimvero apud Doctores non infrequens opinio, quod omittere in Miſſa aliquam partem, quæ non ſit ex ordinariis ad ejus integritatem, unde etiam aliquoties omitti ſoleat, ut *Gloria*, *Credo*, tres orationes &c. non ſit mortale; (de ea re diximus in Septembr. n.30.) Ecquis autem inter partes non ordinarias ponat Evangelium?

Neque ulla exceptio peti poteſt ex eo quod cantetur a Miniſtris. Siquidem in Miſſæ Sacrificio multa ſunt quæ pertinent ad integritatem ipſius Miſſæ; multa etiam quæ ad inſtructionem populi ſimul pertinent, & ad integritatem. Jamvero cantantur hæc, aut altiori voce leguntur a proprio Miniſtro in Miſſa ſolemni, tanquam ad ſolemniorem populi inſtructionem; cum vero eadem ingrediantur Miſſæ Sacrificium, ut partes integrantes ejuſdem Sacrificii actionem, procul dubio a Celebrante legi etiam debent.

Ajunt, recitationem Officii in Choro etiam quoad integritatem ſatis impleri, quod alternatim recitetur; quin ulla ſit obligatio recitandi privatim apud ſe, quod altera Chori pars cantat, vel recitat. Sed alia omnino eſt lex Chori, alia Miſſæ. Ipſa enim Chori ratio poſtulat alternatum cantum, ſeu recitationem; adeoque exigit ut aliis canentibus, alii taceant; & veluti ſibi invicem reſpondeant. Verum Miſſa tota quanta eſt Actio Celebrantis: quod ſi qua pars ejus, ut ad populum inſtruendum facit, a Miniſtro proprio, ut convenit in Miſſa ſolemni, altius, & ſolemnius intimari debet; eadem tamen ut Miſſæ actio eſt, a Celebrante omitti non debet.

Opponunt, Rubricam eſſe directivam, & non præceptivam, unde vero hoc ipſum probant? Siquidem materia gravis eſt; verſamur enim in parte digniſſima, & ex omnium ſenſu notabili Miſſæ, quale eſt Evangelium: item nulla favet contraria conſuetudo, quæ non video an ab ullo aſſignari poſſit.

Quo ſuppoſito, ne tolerandi quidem ſunt, qui inſinuare vellent, expedire magis, ſicut in Chorali Officii recitatione, ſic & in Miſſa ſolemni, ut Celebrans ſub ſilentio devote attendat ad id, quod cantatur de Paſſione a Miniſtris. Dato enim quod Rubricæ vis in præſenti ſit duntaxat directiva: quæro; utrum magis expediat ſequi directionem Rubricæ, quæ eſt ipſa Eccleſiæ directio, cum ab ipſo Romano Pontifice in canonica Miſſalis approbatione ad nos derivetur; an vero ſequi directionem privatorum hominum?

Pellizzarius etiam addere non dubitavit: nullum eſſe Canonem, nullum

lum jus, in quo imponatur Celebranti onus recitandi ſubmiſſa voce, quod cantatur a Miniſtris. Sed myſterium mihi eſt, ſi tantus Vir ipſam Miſſalis Rubricam ignoravit: & adhuc mirandum magis, ſi Rubricam pro jure non habuit, quam ego potius Jus juris appellare auſim: ſi quidem Rubricæ ſunt fons, ex quo ipſa Sacrorum Rituum Congregatio ſua reſponſa depromit; ita ut in hac ipſa, de qua agimus, quæſtione nullus dubito, quin ſi ea ad Sacr. Congregat. Rituum deferretur, reſponſum ſit emanaturum: *Negative ex ſenſu Rubr. & amplius*.

Negavit enimvero Vert, Rubricam prædictam inveniri in Miſſali S. Pii V. edito ann. 1550: aut etiam in eo, quod vulgatum eſt ſub Clemen. VIII. ann. 1604: ſed in hoc, ut in multis aliis, aut ipſe deceptus fuit, aut alios decipere voluit; ait Benedictus XIV. *opuſc. de Miſſ. ſect.* 1. c. 8. §. 2. *fin.* citans Le Brun *tom.* 3. pag. 201.

Non diffiteor, meipſum tr. 1. in Septembr. agentem de Miſſa Sabbati Quatuor temporum; ad quæſtionem propoſitam n. 31: Utrum Celebrans in Miſſa ſolemni, in qua Miniſter legere debet publice omnes lectiones, quæ habentur eo die loco Epiſtolæ poſſet ipſe omittere? reſpondiſſe; probabile eſſe quod omittendo non peccet ſaltem graviter. Sed nemo negaverit, longe digniorem eſſe partem Miſſæ Evangelium, quam Epiſtola: ut patet ex omnium conſenſu.

Quamquam ſicut eo loci ad ea, quæ hic latiori calamo pertractare in animo habebam, appellavi; ſic nunc libens fatebor, non omnino contemnendum eſſe illud Dianæ, & aliorum Auctorum aſſumptum, quod non videatur omnino omitti in Miſſa, quod a propriis Miniſtris cantatur ſeu legitur, licet non legatur a Celebrante. Sed mihi magis ſatisfacit diſtinctio, quam ſupra appoſui; ſcilicet quod lectio Miniſtrorum magis pertineat ad inſtructionem populi, quam ad integritatem Actionis Miſſæ, cui videtur teneri ſatisfacere ipſe Celebrans.

Qu. IV. An diebus, quibus dicenda eſt Miſſa, in qua legitur Paſſio, 107
poſſit dici Miſſa votiva abſque mortali, aut etiam veniali, ex aliqua rationabili cauſa: non obſtante quod Miſſæ Votivæ prohibeantur infra majorem hebdomadam, ſecundum dicta §. præcedenti n. 94. & art. 1. Sect. 2. num. 4.

℟. Miſſam votivam privatam in hebdomada majori permittit Quintanadvenas *to.* 1. *tr.* 7. *de celebr. Miſ. ſingul.* 40. *num.* 2. potius ſpeculative probando, quam ad praxim; & quidem in privato oratorio: ductus hac ratione, quod Miſſa votiva dici poſſit quacumque die, dum Officium non ſit duplex; & licet Officium hebdomadæ ſanctæ ſit majus, & feſtis etiam duplicibus præferendum, attamen duplex non eſt, inquit, in eo gradu, quo Miſſæ propriæ regulariter excludunt votivas. Item Tamburinus *Meth. celebr. Miſſ. l.* 2. *c.* 6. §. 1. n. 12. hæc ſcribit: *Interrogatus ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Montis Regalis D. Joanne de Torreſiglia: an propter ſuam infirmam valetudinem, qua ſtare diu pedibus tunc non poſſet, poſſet die Dominico Palmarum, & duobus, ſeu tribus ſequentibus licite in ſuo Oratorio privato recitare votivam de Paſſione Domini, quæ brevior eſt, quam illæ currentes, in quibus legitur Paſſio Domini? Putavi, ejus devotio-*

nem, *rationabilem præbere cauſam*, *ut in dicto Altari privato ſic celebraret*. *Multo magis*, *quia votiva Paſſionis Domini congruebat tempori*. Quam Tamburini ſententiam referens La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *quæſt.* 72. §. 3. *num.* 499. illi non contradicit. Eam laudat, & approbat Felix Poteſtas *to.* 3. *par.* 1. *n.* 248. Eamdem commemorat, recipitque Gobat apud Merat. *to.* 1. *part.* 4. *tit.* 17. *nu.* 3. & Meratus ipſe illam admittit dumtaxat pro caſu: *Quando Sacrum ordinarium eſt valde longum*, *& ob malam affectionem oculorum*, *vel aliam ſimilem cauſam non poteſt a Sacrificante legi ſine notabili incommodo Miſſa diei occurrentis*. Concedit quoque Viva in propoſitionem 34. ab Alexand. VII. damnatam dicentem: *In die Palmarum recitans officium Paſchale*, *ſatisfacit præcepto*: ubi n. 15. hæc habet: *Sicut autem graviter ritus variaretur*, *ſi die Palmarum recitaretur officium Paſchale*; *ita pariter*, *ſi eodem die Miſſa Paſchæ celebraretur*. *Non videtur tamen variatio notabilis*, *ſi die*, *quo Paſſio recitanda eſt*, *legatur Miſſa votiva de Paſſione*, *aut Miſſa Defunctorum*: *dummodo variatio iſta non fieret frequenter*. Denique citatur Navarrus apud Emmanuelem Roderic. *tom.* 1. *qu.* 43. *art.* 8. *fine*, tanquam plus permittens, ait enim, quod pro Miſſa longa de Paſſione ſatis impleat Sacerdos, ſi celebret de feſto etiam ſemiduplici, aut infra Octavam. Sed Diana *to.* 2. *edit. coord. tr.* 1. *R.* 71. *nu.* 2. inquit, ſe apud Navarrum opinionem hujuſmodi non legiſſe; licet illam citent præter Rodericum, etiam Quintanadvennas l. cit. Henriq. & Fagund. apud ipſum Dianam loc. cit. n. 1. Cæterum ego puto, Navarrum loqui non de Miſſa dicenda in hebdomada majori: cum in hebdomada majori non fiat de ulla Octava, nec recitetur de aliquo feſto ſemiduplici, aut etiam duplici; igitur proculdubio loquitur de caſu, quo Sacerdos extra prædictum tempus rogetur, legere Miſſam cum Paſſione, ut eſt in hebdomada majori, & docet, non teneri illam Miſſam legere, ſed poſſe legere de Sancto ſemiduplici occurrenti, vel de die infra Octavam, ſi ſit infra aliquam Octavam: quamvis occurrente ſemiduplici, & die infra Octavam non privilegiatam liceant Miſſæ votivæ; unde etſi forte videatur ad illam Miſſam de Paſſione longam, tamquam votivam legendam obligari, ipſe tamen docet, non obligari, ſed ſatisfacere, ſi legat Miſſam de Sancto Semiduplici, aut die infra Octavam. Verum nec quidem poſſe legi illam Miſſam de Paſſione extra hebdomadam majorem, docebimus ex aliis infra qu. 7. Si autem hujuſmodi Miſſa petatur legi intra majorem hebdomadam, & in die, qua cæteroqui legenda eſt Miſſa cum Paſſione, & acceptetur petitio, debere illam legi, docebimus ex aliis in fine præſentis quæſtionis nu. 112. Sed quidquid ſit de Navarri mente.

Dico; quod ſecluſo ſcandalo, ſeu gravi admiratione audientium, ſi fiat in aliquo Sacello privato, aut in Eccleſia januis clauſis, & item ex aliqua admodum rationabili cauſa, puta propter incommodum grave, ut ſupra explicitum eſt ex Merato, poſſet dici Miſſa votiva de Paſſione, ut in votivis ad calcem Miſſalis, tum in Dominica Palmarum, tum feria tertia, & quarta ſequenti.

Decreta vero contraria, quæ attulimus hoc cap. n. 4. & expreſſum 108

ſpe-

ſpecialeque decretum pro Dominica Palmarum allatum hic §. 3. nu. 94. nec non præceptum Pii V. obligans ſub gravi in Bulla Initio Miſſalis Romani præfixa, ubi ait: *Mandantes, & ſtricte omnibus, & ſingulis Patriarchis, adminiſtratoribus &c. in virtute S. Obedientiæ præcipientes, ut Miſſam juxta ritum, modum, & normam, quæ per Miſſale hoc a nobis nunc traditur, decantent, & legant*: intelligenda ſunt de Celebratione ad libitum, aut ex cauſa vulgari & ordinaria non vero pro caſu notabilis incommodi in aſſertione noſtra expoſiti.

Sed reſpondetur ad primum, quod videri poſſet obſtare, dicendo, etſi per ſe prohibitum ſit celebrare Miſſas votivas privatas diebus prædictis, excuſare tamen poteſt notabile incommodum, aut alia ſimilis rationabilis cauſa: quo notabili incommodo exiſtente, aut alia ſimili juſta cauſa, & prudenti ratione permiſi in aſſertione Miſſam votivam de Paſſione in Dominica Palmarum & fer. 3. & 4. ſequentibus.

109 Profecto hanc præſatorum decretorum explicationem, ſive epichiam poſtulat probata paſſim Doctorum Auctoritas circa Miſſas legendas in diebus per Rubricas Miſſalis excluſis. Enimvero licet Angel. V. *Miſſa* n. 33. & nonnulli alii damnent mortalis eum, qui die prohibito legeret Miſſam votivam: addunt tamen, ſi id abſque rationabili cauſa fieret. Et etiamſi abſque rationabili cauſa fieret, negant eſſe peccatum, ſaltem mortale, communiter Doctores; ex quibus hic nonnullos audire ſufficiat. Tamburinus *Meth. celebr. Miſſ. lib. 2. c. 6. §. 1. n. 6.* ad quæſitum: quid peccet, qui votivam, vel aliam a currenti Miſſam, etiamſi ſit duplex, ſine cauſa celebret? Ita reſpondet: *Dico; conſulendum quidem eſſe, ut id non fiat, tamen ſi fiat, non puto eſſe (ſecluſo contemptu, & animo introducendi novum ritum:) mortale, ſaltem in Miſſis privatis*. Dat rationem: *Quia non apparet de hoc latum eſſe præceptum: cum ſolæ Rubricæ id non oſtendant, quæ ut ſupra cap. 5. §. 1. diximus, interdum ſolum conſilium inducunt*. Item Bonacina *to. 1. de Sacram. Euchar. diſp. 4. qu. ult. pu. 7. §. 3. n. 2.* inquit: *In rigore non videtur ſub mortali latum præceptum dicendi Miſſam de feria, aut de Sancto*, & citat pro ſe Suar. Reginal. Sylveſtr. Sotum, Medin. & alios apud Henriquez. Rurſus negat eſſe mortale Diana *tom. 2. edit. coord. tract. 1. Reſp. 70. & 77.* Similiter Quintanadvennas *tom. 1. ſingular. tract. 7. de celebr. Miſ. ſingul. 39. num. 4.* inquit. *Si quis Miſſas votivas, vel pro Defunctis in feſtis duplicibus celebraret, lethale non committeret*; & allegat pro ſua ſententia Mirand. Llamas, Hurtad. Villalob. & Dianam; & quidem juxta Dianam cit. R. 77. adhuc in Dominicis, & feſtis Apoſtolorum, B. Virginis, & Domini noſtri, nequaquam eſt mortale prædictas Miſſas legere; & citat pro ſe Mirandam, Suar. Zanardum, Llamas, & alios innominatim: quidquid, inquit, in contrarium afferat Barthol. ab Angel., & Angelus ubi ſupra; & pro feſtis Apoſtolorum &c. adducit etiam Villalob, qui item citatur a Quintanadvenn. una cum Diana, quibus non contradicit; etſi Franciſcus De-Lugo lib. 5. de Miſſa c. 9. qu. 4. nu. 34. vellet excipi feſta primæ claſſis, in quibus valde diſſonat, inquit, Miſ-

ſa

ſa Defunctorum, vel alia votiva, etiam privata.

Igitur ſine cauſa, ſi Miſſæ privatæ votivæ legantur die prohibito, dicunt, eſſe veniale, Quintanadvenas cum Archidiacono, & Sylveſtro; Idem dicunt Quarti, & Averſa, atque Diana l. cit. R. 76. fine, & Tambur. loc. cit. idem docet Franciſcus de Lugo loc. cit. niſi ſequatur ſcandalum grave: ut ſi notabiliter varietur ritus: ſi, e. g. dicatur Miſſa Defunctorum, aut Paſſionis in die Paſchæ: ita n. 33. Unde in ejus ſententia eſſet mortale, ſi in die Palmarum, aut ſimili diceretur Miſſa Reſurrectionis Domini; quod etiam docet Viva, ut vidimus ſupra, & nos quoque docebimus qu. 6. n. 115.

Cum cauſa vero, quam Quintanadvenas l. cit. nu. 8. dicit juſtam, devotionis, petitionis (ſed an petitio ſit juſta cauſa? vide dicta tr. 1. 2. Novembr. n. 53.) vel ſimilis in votivis; neceſſitatis, difficultatis, aut impotentiæ in aliis, concedit commutationes in Miſſis fieri poſſe ſine veniali. Item Henriqu. Tann. & alii, teſte La-Croix l. cit. num. 499. putant, ad legendas Miſſas votivas ſufficere quamcumque rationabilem cauſam; vide tamen modo infra dicenda.

Sed quid? quod plerique ſimpliciter docent, Rubricas de Miſſis Votivis non legendis certis quibuſdam diebus, eſſe tantum directivas, nec obligare ſub peccato. Ita Suarez, Bonac. Filliuc. Reg. Dicaſt. Jord. Lohn. Port. Burgh. aliique apud Quarti, teſte La-Croix *l. 6. par. 2. qu. 72. §. 3. n. 501.*, unde Emmanuel Rodrig. *in ſum. par. 1. c. 247. n. 25. concl. 24. ait: Advertatur ſecundo: non teneri Sacerdotes dicentes Miſſam privatę, celebrare Miſſam de feria aut de feſto, quod occurrit in illo die, ſed poſſe dicere, quam voluerint pro ſua devotione.* Quam ſententiam Tamburinus l. cit. dicit, eſſe probabilem: & cum ipſe ſuſtineat, ut ſupra dixi, Rubricam de Miſſis votivis non legendis obligare ſub veniali, addit tamen: *Quamvis non negem probabiliter Suarium de Sacram.* diſp. 83. ſect. 3. §. Dico primo, *ſequiturque Portella dub. Reg. V.* Miſſa *nu. 7. in Miſſis privatis (nam in ſolemnioribus major eſt rigor obſervandus ex Bonac. de Sacram. d. 4. qu. ult. §. 7. n. 3.)* (cujus vera nos recitabimus infra n. 111.) *nullam culpam agnoſcere: cum non ſit aliud de hac re, ut diximus præceptum, & timorati ſine ſcrupolo faciant.*

His autem poſitis Doctorum ſententiis circa Miſſas votivas habes 1. Rubricam de legenda Miſſa occurrenti, quoad Miſſas privatas in probabiliori ſententia non obligare ſub gravi; quamvis de ſolemnibus, ſeu Conventualibus aliud omnino ſentiendum eſſe conſtat ex dictis tr. 1. lib. 1. c. 2. nu. 15. & pro ipſis privatis votivis attendatur monitio ſtatim ſubiicienda, & videantur dicta 2. Novembr. l. cit. Habes 2. ipſum veniale vitari, ſi adſit rationabilis cauſa ad votivas privatas dicendas diebus cæteroqui prohibitis. Etſi fateamur nos non ita prædictis Auctorum opinionibus adhærere, ut probemus, Miſſas votivas qualibet de cauſa legi poſſe diebus, a quibus excluduntur juxta Rubricas, & declarationes S. C. R. cum aliter omnino hujuſcemodi decreta ſignificent allegata, atque deſcripta a nobis 2. Novembr. loc. cit. necnon Rubrica de Miſſis votivis: ut animadvertit Meratus *to. 1. par.*

1. *par.* 1. *tit.* 4. *n.* 12. prope fin. Neque rationabilem cauſam ad eas dicendas ſuo quiſque judicio facile definierit. Poſtremo in hanc decretorum, & Rubricarum expoſitionem inclinat nos ipſe Meratus, qui & decretorum & Rubricarum in paucis peritiſſimus a noſtra aſſertione non diſſentit.

110 Quod attinet ad præceptum S. Pii V. addimus, nullam fieri in hac ſententia ritus mutationem notabilem. Nam ſi legatur Miſſa votiva de Paſſione, manet ritus lugubris, & quidem ejuſdem objecti, & ſubjecti. Intercederet quidem notabilis mutatio ritus gravis, ſi legeretur Miſſa Reſurrectionis Domini hiſce diebus, in quibus de ipſius fit Paſſione, ac morte: quemadmodum docet Viva, & Franciſcus de Lugo, ut ſuperius diximus.

111 Adde quod tr. 1. lib. 1. c. 8. nu. 4. docuimus: Pium V. præcepto obligante ſub gravi adſtrinxiſſe quidem omnes ad obſervantiam Rubricarum Miſſalis Romani: ſed nihilominus ex communi Doctorum ſententia, quam praxis ipſa confirmat certamque facit, præceptum hujuſmodi non obligat cum eodem rigore gravi ad Rubricarum obſervantiam ſingularum, ſeu Regularum, ſive legum Miſſalis, ſed juxta reſpectivam materiam, ſeu gravitatem earum: cum multa appareant minutiſſima, nec materia videantur apta præcepti. Quod pro certo habet Cardinalis de Lugo *diſp.* 20. *de Euchar.* *ſect.* 2. *nu.* 7. dicens: *certum eſt non omnia, quæ in Rubricis Miſſalis exiguntur, afferre obligationem gravem.* Quod confirmat *ſect.* 4. *n.* 105. docens cum aliis, in Rubricis Miſſalis nonnulla eſſe materiam inſtructionis, & directionis, non vero præcepti. Et licet pleriq ue velint, Rubricas omnes Miſſalis habere vim obligandi ſub peccato mortali ex genere ſuo: tamen concedunt, ratione materiæ parvæ, talium Rubricarum transgreſſionem eſſe poſſe tantummodo venialem. Vide Meratum loc. cit. Reginald. *in praxi lib.* 29. *ſect.* 8. *n.* 207. Franciſ. de Lugo *lib.* 5. *de Miſſa*, *c.* 9. *qu.* 1. *n.* 6. *fine*. Benedict. XIV. *de Miſſa ſect.* 2. *c.* 4. §. 3. Rodriq. l. cit. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *qu.* 3. *num.* 230. Dian. *tom.* 2. *edit. coord. tract.* 1. *R.* 185. §. 2. Jamvero hujuſmodi eſt rubrica Miſſalis de non legendis Miſſis votivis quibuſdam diebus: uti ſupra ex communi Doctorum ſententia vidimus, & late explicat Diana l. cit. R. 70. ubi optime a Megalii incuſatione ſeſe vindicat.

Nota hic: quod etſi juxta opinionem Emmanuelis, Hieronymi Rodriquez, ac Portell. apud Quintanadvenn. V. ſupr. cit. n. 3. non ſatisfaceret, qui ſtipendium accipiens pro Miſſa hac, in qua legitur Paſſio, aliam diceret; hoc non proveniret, ut ipſe Quintanadvennas obſervat, ex eo, quod hujuſmodi mutatio minime liceat; ſed ex infidelitate, & injuria, quæ fieret petenti, & eleemoſynam largienti pro talis Miſſæ celebratione, ut docent Suar. Angel. Armilla, & Bonac. laudati ab eodem Quintanadv. & videri poſſunt quo ad hoc dicta 2. Novembr. num. 52. An autem extra majorem hebdomadam poſſit legi Miſſa cum Paſſione, ſi petatur? examinabimus infra qu. 7. 112

Qu. V. Poſito, quod liceat, legere Miſſam votivam de Paſſione in Dominica Palmarum, & aliis diebus, in quibus legitur Paſſio in Miſſa, 113

ſa, in caſu, & cum conditionibus explicatis quæſtione præcedenti: quæritur, quænam Rubricæ ſervandæ ſint in hujuſmodi Miſſa votiva?

℟. In Dominica Palmarum Paramentorum color violaceus; dicatur Pſalmus: *Judica*. Ad Introitum, & *Lavabo* dicatur *Gloria Patri*. Non dicitur *Gloria in excelſis*; dicitur tamen *Credo*, ratione Dominicæ: juxta Rubr. gen. de Symbolo. Confer Caval. 10. 5. c. 13. de Symbolo n. 15. Orationes juxta Rubr. generalem de Miſſis votivis privatis; Prima de Paſſione. 2. de Dominica. 3. Eccleſiæ vel pro Papa (vide dicenda in Appendice ad Calcem Diarii c. 3. n. 25.) Præfatio de Paſſione, ſeu de Cruce. In fine Miſſæ: *Benedicamus Domino*: & dicitur Evangelium S. Joannis: *In principio erat*: In aliis diebus infra eamdem hebd. ſimiliter, excepto quod non erit dicendum *Credo*.

114 Qu. VI. An in Dominica Palmarum ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam, qui audiat Miſſam votivam, in qua quidem non legitur Paſſio? Similiter quæritur de aliis diebus, in quibus habetur Paſſio, ſi in illis occurrat feſtum e. g. Annunciationis?

℟. Affirmative. Et quidem non ſolum ſi audiat Miſſam votivam de Paſſione, quam licite legere poſſe Celebrantem ex aliqua admodum notabili cauſa, docuimus ſuperius: ſed adhuc, ſi aliam illicite celebret Sacerdos, dummodo vera & legitima ſubſtantialiter Miſſa ſit. Ratio eſt; quia reſpectu Audientium, præceptum non eſt, niſi de audienda vera Miſſa: ut docet Viva prop. 34. damn. ab Alexandro VII. n. 2. & eſt communis Doctorum.

115 Dixi *reſpectu audientis*; quia reſpectu Celebrantis, ſi notabiliter mutetur ritus gravis, ut ſi in Dominica Palmarum legeret Sacerdos Miſſam Reſurrectionis, juxta ſententiam Patris Viva, & Franciſci de Lugo qu. 4. relatam; variatio hujuſmodi eſſet ſubſtantialis reſpectu Celebrantis ita ut peccaret graviter illam faciendo: ex eo quia Celebranti præcipitur ſub gravi, ſervare ritum Miſſæ præſcriptum; unde ſi graviter, & notabiliter illum mutet, peccat graviter. Duplici autem modo mutare poteſt graviter ritum ſibi præſcriptum vel ſcilicet 1. ſæpius legendo unam Miſſam pro alia; Viva l. cit. Tambur. *Meth. celebr. Miſ. l. 2. c. 6. §. 1. n. 7.* Vel 2. notabiliter mutando ritum gravem. Hujuſmodi autem eſſet mutatio Miſſæ Dominicæ Palmarum ritus lugubris, in Miſſam Dominicæ Reſurrectionis, ritus ſolemniſſimi: ſicut è contrario, ſi in Dominica Reſurrectionis legeretur Miſſa ritus lugubris, puta Defunctorum. Tambur. l. cit. Jacob a Graff. *Conſil. lib. 3. de celebr. Miſſ. conſil. 5. n. 14. & 16.*

Nihil tamen hujuſmodi ſcimus præſcriptum, præceptumque eſſe audienti Miſſam: datur quidem caſus, in quo Summus Pontifex jubeat ut Miſſa non valeat audienti in adimplementum præcepti: atque ita fert ordinaria Clauſula in Conceſſione celebrandi Miſſam in Oratorio domeſtico, pro iis, qui non ſunt comprehenſi in illa facultate. Sed eſt caſus longe diverſus, nec extendendus ad alium. 116

Hinc recte Doctores abſolute docent: ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam, qui audit Miſſam diverſam ab ea, quæ præſcribitur in illo feſto, in quo audit. Juvat claudere hunc lo-

locum teſtimonio Franciſci de-Lugo *lib. 5. de Miſſ. c. 14. qu. 5. num. 55.* ubi quærens : An in Dominica, vel feſto, ad præcepti adimplementum teneamur audire Miſſam Dominicæ, vel feſti? Reſpondet : *Affirmat Angelus verbo Miſſa numero 33. Probatur ex cap.* Quidam laicorum, de celebrat. Miſſar., *ubi ſic videtur decerni. Communis tamen ſententia negat, dicens impleri præceptum audita Miſſa votiva, vel de* Requiem &c. *Quoniam etſi congruentius ſit in Dominicis, & feſtis dicere propriam diei Miſſam, quam ſæculares audiant, nullibi tamen præcipitur auditio talis Miſſæ, nec convenienter præciperetur: nam Idiotæ moraliter diſcernere non poſſent, an Miſſa, quam audiunt, ſit propria diei? foretque grave nimis, ut id tenerentur inquirere. Quare Jura ſolum præcipiunt, audire Miſſam. Qualibet autem eſt vera Miſſa, licet votiva. In illo Cap.* Quidam laicorum : *ſolum reprehenditur quorumdam conſuetudo, vel potius ſuperſtitio poſtulantium etiam in feſtis Miſſas votivas, quæ juxta Rubricas, illis diebus celebrari nequeunt; ſic docent S. Antoninus, Cajetanus, Sylveſter, Sotus, Navarrus, quos ſequitur Suarez tom. 3. diſp. 88. Sect. 2. Tabienna, Toletus, Armilla, quos ſequitur Bonacina diſp. 4. quæſt. ult. pu. 11. n. 12. Azor. to. 1. lib. 7. c. 6. q. 3. Henriq. l. 9. c. 25. n. 4. Filliuc. tr. 5. n. 204. Laym. l. 4. tract. 7. cap. 3.* Hæc Franciſcus de Lugo; & ſimilia habet Suarez l. cit. ex quibus ſatis confirmatur noſtra ſententia. Idemque De-Lugo in confirmationem hujus, ſubdit aliam doctrinam in re prorſus aſſimili, & omnino certa : *Ob eamdem rationem ſufficit ad præceptum implendum audire Miſſam ritu Romano, vel quovis alio, non ſolum diverſorum Ordinum, ſed etiam diverſarum Regionum, aut Eccleſiarum, ſcilicet vel Ambroſiano, vel Mozarabico, vel Græco; vel Syro, vel Armeno, vel Rutheno, vel ſimili, dum ſit ritus ab Eccleſia permiſſus, nec contineat intolerabilem errorem. Ita Fagundez Præcept. 1. lib. 2. c. 3. Layman, & Bonacina ſupra cum aliis. Azor. qu. 5.* (par. 1. l. 7. c. 3.) *Notatque Filliucius ſupra, ſi legitimo ritu Sacerdos Catholicus, Græcus, vel Armenus celebret, non ſolum nos poſſe, ſed etiam teneri diebus feſtis ejus Miſſam audire, dum alia non ſuppetit. Conſonat Comitolus lib. 1. quæſt. 47. Secus eſt de Dominica Cœna, quam Novatores faciunt, ubi nec verum Chriſti corpus conficitur, nec legitimi Sacerdotes ſacrificant, ut advertunt Azor. & Fagundez.* Hactenus Franciſcus de Lugo appoſite ad noſtram reſponſionem.

Quæ diximus de obligatione ex 117
præcepto, intellige etiam de obligatione ex voto: Quod cum Cardenas docet expreſſe La-Croix *lib. 4. de boris Canon. qu. 200. §. 1. num. 1250.* prope finem : niſi tamen quis intenderit, ſe obligare ad audiendam ipſam Miſſam de die; puta Miſſam, in qua legitur Paſſio.

Qu. VII. An Sacerdos poſſit ex- 118
tra hebdomadam majorem dicere Miſſam de Paſſione, prout in prædicta hebdomada legitur, ſi ita a Laico cum eleemoſina petatur?

℞. Negat Chiavetta *Conſult. 130. n. 16.* fine, quia, inquit, hujuſmodi Miſſæ ſunt addictæ talibus diebus. Sed hæc ratio non evincit, niſi forte dicatur, eſſe ſpecialiſſime addictas talibus diebus, & privative ne in aliis. Franciſcus de Lugo *lib. 5. de Miſſ. c. 9. qu. 4. n. 30.* docet, fore veniale ſaltem peccatum, dicere

per annum Miſſam de Paſſione poſitam pro majori Hebdomada. Diana quoque nonnullorum ſententiam aſſirmativam reprehendit cum aliis *to.* 2. *edit. coord. tr.* 1. *R.* 71. ad quem remitto Lectorem, ſi rationes audire voluerit.

SUBSECTIO IV.

Not. pro Præcepto Communionis Paſchalis.

119 BELETH *de Div. Offic. cap.* 113. & Durand. *in Offic. lib.* 6. *cap.* 86. *n.* 5. ſcribunt, tempus, quod fluit a Dominica Palmarum uſque ad octavam Paſchæ, vocari Paſcha. Sed proculdubio loquitur ſolum in ordine ad præceptum Communionis Paſchalis. Præceptum utique Communionis Paſchalis incipit obligare ab hac Dominica incluſive uſque ad Dominicam in Albis incluſive; licet alicubi ad plures alios dies extendatur. Sed de præcepto Communionis Paſchalis commodius, & proprius, ac fuſiſſime diſputabimus lib. ſeq. ubi de tempore Paſchali.

SECTIO II.

Not. Fer. II. Hebdomadæ Majoris.

De Horis Canonicis.

120 DE ea ſimpl. ut in Pſalt. & propr. temp. Paſſion. tres lectiones de homilia in Evang. Abſolutio: *Exaudi.* 1. bened. *Evangelica lectio.* 2. bened. *Divinum Auxilium.* 3. bened. *Ad Societatem.* Rubr. gen. Brev. tit. 25. n. 2. & 3. Antiph. ad Laud. & per Horas, & ad *Benedictus* propr.

Si occurrat Feſtum trium lect. fit utique de eo commemor. ut docuimus art. 2. num. 8. omiſſa lectione ejuſdem, ſi habeat in Brev.

Non dicitur Officium Defunctorum. Veſper. de Pſalt. Cap. & reliqu. ut in Brev. fer. 2. poſt Dom. Paſſion. Antiph. ad *Magnificat* propr. Si cras occurrat feſtum 3. lect. fit utique de eo commemoratio.

De Miſſa.

MISSA de Fer. ut in propr. & temp. Paſſion. 2. Orat. tantum *Eccleſiæ*, vel pro Papa. Si autem facienda ſit commemoratio de ſimplici, non dicitur tertia oratio, ſed omittitur or. *Eccleſiæ*, vel pro Papa. Color. param. violac. 121

Si hodie occurrat feſtum S. Joſeph, quid notandum? diximus tr. 1. 19. Martii art. 5. ſect. 1.

SECTIO III.

Not. Fer. III. Hebdomadæ Majoris.

De Horis Canonicis.

DE ea ſimpl. ut in Pſalt. & propr. temp. Paſſionis. Tres lectiones de Jeremia. Abſolutio: *Ipſius pietas.* 1. Benedictio: *Deus Pater.* 2. Benedict. *Chriſtus perpetuæ.* 3. *Ignem ſui amoris.* Rubr. gen. Brev. tit. 25. n. 2. Antiphonæ ad Laud. & per Horas, & ad *Benedictus* propr. 122

Si occurrat feſtum trium lectionum, fit utique de eo commemoratio ſine lectione. Veſp. de fer. 3. temp. Paſſ. & propr. ſi cras occurret feſtum ſimpl. fit de eo commem.

De

De Miſſa.

123 **M**ISSA de feria ut in propr. & temp. Paſſion. 2. or. *Eccleſiæ* : vel pro Papa. Si autem occurrat commemoratio feſti ſimplicis, fiat ſicut heri diximus pro ſimili caſu. Legitur Paſſio ſecundum Marcum. Olim uno tantum die Paſſio legebatur, & ea ſecundum Matthæum, qui mos adhuc reliquus eſt in Eccleſia Mediolanenſi, in locis ſervantibus Ritum Ambroſianum, ubi ſolum in feria ſexta Paraſceves decantatur ſecundum Joannem. Deinde vero Alexander P. I. inſtituit ut Paſſio legeretur a quatuor Evangeliſtis ſcripta, eodemque ordine, quo ipſi ſcripſerunt. Vid. Durand. *in Ration. l. 6. cap. 68. num.* 4. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 7. *n.* 19. Caval. *to.* 4. *c.* 16. *comment. in decr.* 4. *num.* 3. Quintanadven. *tr.* 7. *de celebr. Miſſ. Singul.* 40. *nu* 1. Rationes congruentes aſſignabimus ſeq. feria 4. n. 126. De ritu legendi Paſſionem egimus in Dom. Palmar. ſubſ. 3. §. 1. n. 90. de ritu autem cantandi eam, ibid. §. 2. nu. 92. Color. Param. violac. An in aliquo caſu poſſet dici hodie Miſſa votiva privata? vide in Dom. Palm. a nu. 107. Alia etiam dubia ad Miſſam ſive legendam, ſive audiendam, in qua dicitur Paſſio, pertinentia, ſoluta habes eodem cit. §. 4.

Si hodie occurrat feſtum S. Joſeph, quid notandum? diximus tr. 1. 19. Mart. art. 5. ſect. 1.

SECTIO IV.

Not. Fer. IV. Hebdomadæ Majoris.

De Horis Canonicis.

DE ea ſimpl. ut in Pſalt. & propr. temp. Paſſ. Tres lect. de Jeremia. Abſolutio *A Vinculis peccatorum*. 1. bened. *Ilia nos benedicat, qui ſine fine vivit, & regnat*. 2. bened. *Divinum auxilium*. 3. bened. *Ad Societatem*. Rubr. gen. Brev. tit. 25. n. 2. & Rubricæ partic. de abſol. & bened. ante princip. Pſalt. Antiph. ad Laud., & per Horas, & ad *Benedictus* propr. Si occurrat feſtum aliquod trium lectionum, fit utique de eo commemoratio ſine lectione. 124

Non dicuntur Pſalmi Graduales. In Martyrol. 1. loc. *Cœna Domini*, & amplius non legitur uſque ad Sab. Sanct. incluſive.

Veſp. de fer. 4. temp. Paſſionis, propr. Si occurrat cras aliquod feſtum ſimplex, cum in ſequenti feria nil faciendum ſit de feſto ſimplici, idcirco de eo nulla fiet hodie comm. in Veſp. *Rubr. gen. Brev. tit.* 11. *n.* 10. Gavant. *in Rubr. Brev. ſect.* 3. *c.* 11. *n.* 42. Merat. *ibid. n.* 4.

Pro Mat. & Laud. ſequentis diei vide dicta hoc c. 8. a n. 9.

De Miſſa.

MISSA de fer. ut in propr. & tempore Paſſionis. Si occurrat commemoratio ſimplicis, omittitur or. pro Eccleſia, ut in fer. 2. diximus. 125

Ad Introitum licet dicatur *In nomine Jeſu omne genuflectatur*: non tamen genuflectitur. Genuflectit autem Sacerdos in Miſſa privata dicens :

flectamus genua. ex Rubr. gen. Miſſ. tit. 47. n. 1. Color. paramentorum violaceus.

116 Duæ lectiones leguntur ex ordine Romano: vel propter Ordinationes futuras in Sabbato Sancto; vel quia in prima lectione de morte Animæ per amiſſionem vitæ ſupernaturalis gratiæ ſanctificantis: in altera de morte corporis per amiſſionem vitæ naturalis vivificantis agitur; Chriſtus autem mortuus eſt pro redemptione utriuſque. Alcuin. *de Divin. Offic. ubi* de hac feria. Amalar. *de eccl. offic. l.* 1. *c.* 11. Hugo Victor *l.* 3. *de ſpecial. Miſſar. obſervat. c.* 17. Vel quia hac die coactum fuit Concilium Judæorum de Chriſto occidendo, ut mox dicemus, & Chriſtus venditus fuit a Juda; unde, quaſi ſit feria Quatuor Temporum, habet jejunii duplicem rationem; & inde ſumptum eſt, quod in jejunio poſt ſextam feriam, quarta primum locum obtineat. Amalar. *de eccl. offic. l.* 2. *c.* 2. Rupert. *de divin. offic. l.* 3. *c.* 5. & *l.* 5. *c.* 13. Jo: Beleth *de divin. offic. c.* 9. Durand. *in Ration. l.* 6. *c.* 70. *fine*. Gavant. *Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 7. *n.* 26. Vid. dicta tr. 1. lib. 2. ubi de fer. 4. art. 2.

Tractus poſt ſecundam lectionem dicitur ut in Paraſceve, qui luctum ſignificat, ut alibi notavimus. Legitur Paſſio ſecundum Lucam modo explicato in Dom. Palmar. ſubſ. 3. §. 1. & 2.

Hodie autem legitur Paſſio, ad ſignificandum Concilium Judæorum adverſus Chriſtum prævaluiſſe ad tempus: ut ſentit Alcuinus *de div. offic. ubi de hac feria*, & Amalar. *de eccl. offic. l.* 1. *cap.* 11. *fine*. Porro in hac feria coactum eſt adverſus Chriſtum Concilium Judæorum ſecundo: nam primo coactum fuit mox poſt miraculum Reſurrectionis Lazari; & juxta Rupertum, ac Durandum, accidit in Sabbato, quod nobis eſt ante Dominicam Paſſionis, ut ibi diximus Sect. 3. fine. In quo priori Concilio ſtatuta fuit, & juſſa a Pontificibus Judæorum, & Phariſæis captura Chriſti, ut occideretur; Lege Evangelium Joannis c. 11. a v. 47. Deinde iterum collectum fuit Concilium ab iiſdem Principibus Sacerdotum, & Phariſæis, actumque eſt, de modo comprehendendi Jeſum, ne amplius differretur captura ejus, & mors in priori Concilio jam decreta; ad quod quidem Concilium venit Judas, propoſuitque modum comprehendendi Jeſum, ac ſemetipſum obtulit, tradere illum in manibus eorum. Lege Evangelium Matth. c. 26. v. 14. Erat autem quarta Sabbati, ſeu feria quarta, quæ nobis eſt poſt Dominicam Palmarum. Vid. A Lapide in prædictum Locum Matth.

In hac itaque feria convocatum eſt ſecundo Concilium Judæorum de Chriſto occidendo; ideo ex Alcuino de divin. offic. ubi de hac feria, & ex Durando in Ration. lib. 6. cap. 70. nu. 8. Amalario de Eccl. offic. l. 1. c. 11. Hugone Victor. l. 3. de ſpecial. Miſſar. obſervat. c. 17. Eccleſia ſicut in feria ſexta hujus hebdomadæ repræſentat Actus Judæorum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus; ita in hac feria quarta repræſentat Concilium eorumdem adverſus eumdem Dominum, & ideo, ut dictum eſt, legitur Paſſio in hac feria.

Hinc etiam dici poteſt: Paſſio legi primum in Dominica Palmarum, ad ſignificanda privata Conſilia Judæorum de Chriſto crucifigendo, & eorum inſtantias, ut comprehenderetur

tur Jeſus Nazarenus, quemadmodum fuerat ſtatutam in Concilio proxime ante jam convocato. Cornelius A Lapide in illa verba Jo. c. 12. v. 19. *Phariſæi autem dixerant ad ſemetipſos, videtis, quia nihil proficimus &c.* ſic inducit Phariſæos colloquentes in die Palmarum: *Nuper omnes cum Caipha decrevimus Jeſum occidere: interim idipſum facere differimus, & tardamus: & ecce dilatione, & tarditate hac noſtra nihil proficimus, ſed potius malum augemus; nam totus mundus poſt eum abiit: quanto ſatius feciſſemus, ſi nuper cum decrevimus, eum occidere, ſtatim eum occidiſſemus, antequam Secta ejus adeo creſceret, & inclareſceret. Quid ergo nunc nobis faciendum incumbit? ut quantocius decretum noſtrum exequamur, eumque e medio tollamus &c.* Ad hujuſmodi igitur privata, & ſecreta conſilia inimicorum Chriſti adverſus eum ſignificanda, dici poteſt, Paſſio legi primo in Dominica Palmarum; aliam congruentiam aſſignavimus in Dom. Palmar. ſubſ. 3. §. 1. num. 90. Deinde vero iterum feria tertia legitur Paſſio, fortaſſe ad ſignificandam indictionem futuri Concilii, ſeu convocationes Judæorum ad prædictum ſecundum Concilium pro quarta Sabbati, hoc eſt feria præſenti, ut ageretur de modo comprehendendi Jeſum Nazarenum: ut jam dictum eſt. Dicit inſuper laudatus Amalarius eodem opere *de eccl. offic. l. 4. c. 34. Ut ad memoriam reducamus, quod Chriſtus propterea paſſus ſit, ut nos moreremur peccato, in quarta feria ante Cœnam Domini, & noſtra mortificatio recolitur in aliquibus officiis, & Domini Paſſio legitur.* Cur autem feria ſexta Paſſio repetatur: explicatione non indiget, cum ſatis pateat.

An in aliquo caſu poſſit hodie dici Miſſa votiva privata? Vide in Dom. Palm. ſubſ. 3. §. 4. qu. 4. Alia etiam dubia ad Miſſam, in qua dicitur Paſſio, pertinentia, ſoluta habes eodem cit. §. 4. Si hodie occurrat feſtum S. Joſeph. quid notandum? diximus tr. 1. l. 3. 19. Martii art. 5. ſect. 1. 128

SECTIO V.

Not. Fer. V. In Cœna Domini.

EXPLICANTUR SUBSECTIONIBUS XIV.

Subſ. I. *De Horis Canonicis, & offic. Defunct. in die obitus. n.* 128.
Subſ. II. *Not. in caſu, quo feſtum Annunc. aut. S. Joſeph, vel alterius Sancti feſtum de præcepto in foro incidat in fer. V. major. hebdomad. n.* 129.
Subſ. III. *Not. pro Functionibus ſolemnibus, & Pontificalibus. n.* 130.
Subſ. IV. *De Miſſa. a n.* 131.
Subſ. V. *De Reſervatione SS. Corporis Domini in Sepulchro. a n.* 157.
Subſ. VI. *De Altarium Denudatione. a n.* 165.
Subſ. VII. *De Mandato, ſeu lotione pedum. a n.* 173.
Subſ. VIII. *De Sacris Oleis. a n.* 181.
Subſ. IX. *De Reconciliatione publicorum Pœnitentium a numer.* 194.
Subſ. X. *Not. pro Bulla Cœnæ. n.* 196.
Sub. XI. *Not. pro Jejunio. a n.* 197.
Subſ. XII. *Not. pro Supplicationibus, ſeu Proceſſionibus nocturnis SS. Sacramenti. n.* 199.

Subſ.

Subſ. XIII. *Decreta quædam a Cardinali Patriarcha Lisbonenſi edita, collaudata, & confirmata a Benedicto XIV. in ejus ad prædictum Cardinalem Epiſtola incip.* Singularem voluptatem *n.* 200.

Subſ. XIV. *Not. pro Bened. Menſæ, gratiarum actione, & lectione n.* 201.

SUBSECTIO I.

De Horis Canonicis, & Officio Defunctorum in die Obitus.

128 FERIA V. in Cœna Domini dupl. 1. cl. *Rubr. gen. Brev. tit.* 1. *n.* 1. & *tit.* 9. *n.* 5. *& in duab. tabell. excerpt. ex Rubr. gen.* Omnia ut in propr. Vid. dicta hoc c. 8. a n. 9. & dicenda infra ſubſ. 6. initio.

Pro Matut. & Laud. ſequentis diei. Vid. dicta a cit. n. 9.

Si debeat recitari officium pro Defunct. qua ratione debeat perſolvi? diximus art. 3. n. 56.

SUBSECTIO II.

Not. in caſu, quo feſtum Annunc. aut S. Joſeph, vel alterius Sancti feſtum de præcepto in foro incidat in Fer. V. majoris hebdomadæ.

129 OCCURRENTE feſto S. Joſeph, vel Annunciationis B. V. in fer. V. major. hebdom. quo ad feſtum S. Joſeph, quid notandum? expoſuimus tr. 1. ſub die 19. Martii nu. 11. & 12. quoad feſtum vero Annunciationis diximus 25. Martii a nu. 32. & alia exponemus hic ſubſ. 4. §. 5. n. 144. ubi ſimiliter de caſu, quo alicubi occurrat aliud feſtum de præcepto in foro.

Nota hic: extare inter Conſtitutiones, & Decreta Diœceſanæ Synodi Neapoli celebratæ an. 1627. ſequens decretum: *Decrevit Sac. Rituum Romana Congregatio, celebrandam eſſe Miſſam unam tantum in fer. V. in Cœna Domini, in qua Sacerdotes, & alii communicent. In feria quoque ſexta ſequenti, ſi in eam incidit feſtum Annunciationis B. M. Virginis, non teneri fideles eo die audire Miſſam, neque debet eo die diſtribui ſacra Synaxis. Cum autem in Civitate noſtra Neap. prædicta feria quinta ſit feſtum de conſuetudine, neque commode poſſint omnes intereſſe prædictæ uni Miſſæ, toleramus, poſſe celebrari eo die quatuor Miſſas privatas non ultra, & unam poſt aliam ante Miſſam ſolemnem, in iis nimirum Eccleſiis, ad quas populorum magnus ſolet eſſe concurſus.* Refertur hoc decretum in quodam Bullario diverſorum Pontificum, & meminit etiam Diana. Vide dicta n. 32. Verum hujuſmodi conſuetudines feſtorum de præcepto abrogatæ manent per Conſtit. Urbani VIII. an. 1642. pro reformat. feſtor. de præc. incip. *Univerſa per Orbem*. Videantur dicenda in Appendice ad calcem Diarii cap. 7. art. 2. n. 5. init.

SUBSECTIO III.

Not. pro Functionibus ſolemnibus, & Pontificalibus.

BENEDICTUS XIII. juſſit in omnibus Eccleſiis Parochialibus celebrari omnes functiones ſolemnes, etiam ſine numero Cantorum, & Miniſtrorum; & parvum Cæremoniale pro Eccleſiis minoribus evulgari præcepit 130

Digitized by Google

cepit an. 1725. ac ſervari mandavit ſer. ✠ in Cœna Domini, &c. Ratio ſive Ritus celebrandi functiones ſolemnes hujus ſer. v. in minoribus Eccleſiis explicatur a Merato *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 8. *n.* 27. Celebratio Officii feriæ v. in Cœna Domini eſt de functionibus Pontificalibus, quæ abſente, vel impedito Epiſcopo, ſpectant ad primam Dignitatem. Vide dicta tr. 1. 6. Januar. art. 1. ſect. 4. n. 43.

Feria V. in Cœna Domini cum Epiſcopus exit a Sacrorum Cuſtodia, ad Altare, non debent Canonici, qui eum parati aſſociant, præcedere Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos paratos, qui eum comitantur; ſed debent ſequi. S. C. R. 8. Junii 1709. in *Bracharen.* apud Merat. *indic. decr. Miſſ. n.* 629.

SUBSECTIO IV.

De Miſſa.

Agitur §. §. VIII.

§. I. *Quod hodie celebrare non liceat Miſſas privatas n.* 131.

§. II. *Quod hodie celebrare non liceat in Oratoriis privatis n.* 132.

§. III. *Quod unica Miſſa ſolemnis, quam celebrare hodie licet, & Sacramenti aſſervatio in Sepulchro non quibuslibet concedatur Eccleſiis n.* 133.

§. IV. *De Ritu & cæremoniis hodiernæ Miſſæ ſolemnis a n.* 134.

§. V. *De Communione Cleri, quæ hodie fit in Miſſa ſolemni a n.* 143.

§. VI. *Quomodo parati accedere debeant Sacerdotes communicantes de manu alterius? a n.* 148.

§. VII. *De Ritu miniſtrandi Communionem ſolemnem feria V. Cœnæ Domini a n.* 153.

§. VIII. *De ultima parte Miſſæ ſolemnis n.* 156.

§. I.

Quod hodie celebrare non liceat Miſſas privatas.

Feria V. in Cœna Domini celebrare non licet Miſſas privatas, ſeu lectas, excepto caſu, quo occurrat feſtum S. Joſeph, vel Annunc. vel alterius feſti de præcepto in foro. De hac re fuſe diſputavimus præcedenti art. 3. ſect. 2. ſubſ. 1. 131

§. II.

Quod hodie celebrare non liceat in Oratoriis privatis.

Si prohibitum eſt, celebrare Miſſas privatas, ſeu lectas in feria V. majoris hebdomadæ, in quacumque Eccleſia: a fortiori ipſæ prohibentur in Oratoriis privatis, & privilegiatis; ſed, & expreſſe id cautum eſt ex decr. S. C. R. 17. Novembr. 1607. & aliis poſterioribus Decretis relatis art. 3. De hujuſmodi autem Oratoriis privatis vide dicta tr. 1. 6. Januarii art. 1. ſect. 3. ſubſ. 2. 132

§. III.

Quod unica Miſſa ſolemnis, & Sacramenti aſſervatio in Sepulchro non quibuslibet concedatur Eccleſiis.

Non *licet in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum, celebratio Miſſæ in feria V. in Cœna Do-* 133

Domini, *nec ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti aſſervatio in Sepulchro*. S. R. C. 14. Junii 1659. in *Neapolitana*. apud Caval. *tom.* 4. *c.* 1. *d.* 2. Sermo eſt de Miſſa ſolemni; quam tamen, & aſſervationem SS. Sacramenti in Sepulchro concedit Caval. l. cit. n. 2. Collegiatis, aliiſque reſidentialibus Eccleſiis, quibus quotidianus uſus eſt Chori, etſi non aſſervent SS. Sacramentum; ea ductus ratione, quia præfatæ functiones portio quædam ſunt divinæ pſalmodiæ, & Eccleſiaſticorum officiorum, quibus eædem vacant quotidie; quare, inquit, Sacramentum aſſervare poterunt pro toto illo tempore, quo juxta Miſſalis Rubricas aſſervandum eſt, ad peragendas functiones prædictas; ad quas tamen cum minime neceſſariæ ſint ſacræ particulæ, quas pro infirmis Rubricæ reſervandas indicunt, idcirco ab earumdem aſſervatione abſtinebunt; ita Caval.

Ad quæſitum: *An celebratio Miſſæ ſolemnis feria V. in Cœna Domini ſit de juribus mere Parochialibus?* Reſp. *Negative*, *prout jacet*, *ſed ſpectare ad Parochos*. S. R. C. 10. Decembr. 1703. approbante Clemente XI. 12. Januar. 1704. apud Caval. *tom.* 4. *c.* 1. *d.* 1. qui n. 10. notat: decretum conſtituere diſcrimen jura Parochialia inter, & functiones parochiales, atque alias functiones pure eccleſiaſticas. Prima ut plurimum reſpiciunt, vel adnexa habent emolumenta quædam, ſeu utilitates, & privative Parochis competunt, ut baptizare, matrimoniis aſſiſtere, levare cadavera &c. Secunda functiones quædam ſunt Eccleſiaſticæ, quæ cum ad officium Parochi minime ſpectent, parochiales reipſa non ſunt, & parochiales dicuntur, quatenus tamquam præeminentiæ, & prærogativæ, Parochis reſervantur. Tertia denique ſunt, quæ a quocumque indiſcriminatim Sacerdote peragi poſſunt, cujuſmodi ſunt benedictiones aquæ luſtralis &c. Quæ autem ſecundo modo, tamquam prerogativæ, Parochis reſervantur, in duplici ſecerni debent claſſe; ita ut quædam ita iiſdem ſint reſervata, ut a nullo alio fieri poſſint; & in hoc ſenſu celebratio prædictæ Miſſæ ſolemnis non decernitur *ſpectare ad Parochos*; cum haberi valeat ab Eccleſiis Regularibus, & Sæcularibus, etiam intra Parochiæ limites conſtitutis, in quibus aſſervatur SS. Sacramentum, ut eruitur ex præcedenti allegato Decreto. Alia vero ſunt, quæ iiſdem reſervantur tantum relate ad aliquos; & ſub hac ratione Miſſa ſolemnis feriæ V. in Cœna Domini ſpectat ad Parochos, non quidem abſolute, & ſimpliciter; ſed ſolum relate ad Oratoria, & Confraternitates, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum; ita ut ab harum Rectore, vel Capellano, nullatenus haberi valeat. Decretum namque editum eſt, *ad debitum imponendum finem controverſiis*, *quæ inter Parochos*, *& Confraternitates ſæculares*, *earumque Capellanos*, *& Officiales ſuper juribus parochialibus*, *& functionibus eccleſiaſticis*, *nonnulliſque præminentiis*, *ſeu prærogativis frequenter exoriri ſolent*, ut dicitur in allegati Decreti proœmio. Itaque *Miſſa in feria V. majoris hebdomadæ non poteſt celebrari in Oratoriis Confraternitatum*, *& privatis*. S. R. C. 8. Febr. 1653. in *Florentina* apud Merat. *indic. decretor. Miſſ. num.* 310. Idem vero Caval. in cit. d. 2. nu. 2. Tambur. *Meth. celebr. Miſſ.* l. 1. c. 6. §. 1. n. 3. & alii apud Pignatell. *tom.* 9. *conſult.* 79. *n.* 13.

n. 13. concedunt cum facultate Epiſcopi. Sed Pignatell. n. 14. inquit, hujuſmodi licentiam neque ab Epiſcopo, neque a S. Congreg. videri concedendam, quando præjudicium infertur Eccleſiæ Parochiali in loco præſertim habitatoribus infrequenti: nam hac die tam celebri Eccleſia Parochialis omnino deſtitueretur ſuo populo.

Teſtatur tamen adhuc Tambur. l. cit. quod Panormi videatur eſſe tacita aliqua licentia, vel conſuetudo; paſſim enim in hac feria V. majoris hebdomadæ, ejuſmodi Sæcularium Societates in ſuis Oratoriis hæc peragunt: Miſſam ſcilicet ſolemnem cantant, & Sepulchrum exponunt. Hujuſmodi longævam conſuetudinem, ubi habeatur, approbat Caval. cit. num. 2.

§. IV.

De Ritu, & cæremoniis hodiernæ Miſſæ ſolemnis.

134 Altare, in quo celebranda eſt Miſſa ſolemnis, ſit diſtinctum ab Altari, in quo reſervandum eſt SS. Sacramentum in Sepulchro. Crux Altaris, in quo celebranda eſt Miſſa ſolemnis, ſit cooperta velo coloris albi: ſed ſuper velum album ponendum eſt velum aliud violaceum, facile amovibile, quod amovebitur finita Nona, ut appareat album pro Miſſa in ſignum lætitiæ. Similiter prædictum Altare veſtietur Pallio coloris albi, ſuper quod ponetur aliud leve antipendium coloris violacei, facile amovibile poſtquam in Choro recitatæ fecerint horæ minores, ut appareat præfatum pallium album pro Miſſa. Caval. *tom.* 4. *c.* 1. *in d.* 10. *nu.* 1. 3. *& trib. ſequ.* Idipſum præſtetur quoad Conopæum Tabernaculi. In minoribus autem Altaribus Pallium erit coloris violacei. Caval. n. 2. ſimiliter & eorum Cruces velatæ erunt velo violaceo. Caval. n. 3. & 4. Celebrantis, & Miniſtrorum color Paramentorum albus, ex *Rubr. gen. Miſſ. tit.* 18. *n.* 2. propter hodiernam confectionem Chriſmatis, quod ad mundationem animæ conſecratur, inquit Durandus in *Ration. offic. lib.* 3. *c.* 18. *num.* 2. Gavant. *in Rubr. Miſſ. part.* 1. *tit.* 18. *n.* 2. *litt. g.* Porro in hac Miſſa ſolemni renovantur ab Epiſcopo ſacra olea. Color albus videtur etiam adhiberi ad ſignificandam puritatem animæ, & corporis, & ſpiritualem veſtem nuptialem, puta charitatem Dei, qua coopertos accedere, oportet, eos, qui volunt Dominicam Cœnam manducare, quæ hodie ſolemniter diſpenſatur, uti §. ſequen. videbimus; ideo Evángelica lectio munditiem principaliter in hodierna ſolemnitate commendat: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus* &c. iterum *Vos mundi eſtis*. Joann. 3. 19.

Miniſtri, ideſt Diaconus, & Subdiaconus utuntur Dalmaticis, quæ ſolemnitatem indicant: *Sola Miſſa ſolemnis concentum, lætumque Miniſtrorum Altaris meretur ornatum:* Obſervat Rupertus Abb. *de Divin. offic. l.* 5. *c.* 15. ob inſtitutionem SS. Sacramenti Corporis Chriſti, quæ inſtitutio in hodierna Miſſa recolitur. Item ob ſolemnem Reconciliationem Pœnitentium: & confectionem Chriſmatis, & ſacrorum oleorum. Honor. *in Gemma l.* 3. *c.* 83.

Miſſa ut in proprio Feſtivum habet officium ob rationes modo ſignificatas. Licet ad Confeſſionem non dica- 135

dicatur Pſ. *Judica*. Rubr. Miſſ. in Dom. Paſſ. & alia quædam miſceantur triſtitiæ ſigna ob rationem ſignificandam inferius n. 140.) oratio dicitur unica, & *Gloria in excelſis*, quamvis in officio, ſeu in Laudibus non fuerit dictum *Te Deum*. Rubr. gen. Miſſ. tit. 8. n. 3. ex Bonifacii decreto apud Durand. *in Ration. l. 6. c. 75. n. 2.* & apud Gavant. *in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 8. n. 2. ne quid venuſtatis ſancto Sacrificio deſit, utpote in die ſuæ inſtitutionis*: ut obſervat Rupert. cit. c. 15. nu. 3. Item prædictus hymnus Angelicus canitur, quia Angelicus Chorus lætatur de unctione Credentium, & Pœnitentium reconciliatione ſolemni, quæ hodie celebratur. Honor. cit. c. 85.

136 Cum incipitur *Gloria in excelſis* pulſantur Campanæ modo ſolemni, & feſtivo; & deinceps non amplius, & nullo modo uſque ad Sabbatum Sanctum. Rubr. Miſſ. hic, & Ordo Rom. antiquus *tit. de offic. a Cœna Domini* initio; ſimiliter pulſantur Organa, ubi ſint; quæ Campanarum majorum, organorumque pulſatio an ſit proſequenda uſque dum laudatus hymnus Angelicus fuerit ex integro decantatus? alii affirmant, alii negant. Vid. Merat. *par. 4. tit. 8. n. 4.* Eccleſiarum ſervari poterit uſus. Campanæ autem deinde ſilent, ut excelſa noſtra, & Turrium noſtrarum taceant in humilitate Chriſti, quam oſtendit maximam in inſtitutione Sacramenti SS. Corporis ſui, & in Paſſione ſequenti. Alcuinus ibi de feria quarta major. hebdom. fine. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 8. nu. 2.* Tum etiam quia ſonus Campanarum ſignificat ſonum prædicationis Evangelii. Ruper. *de divin. offic. l. 1. c. 16.* Honor. *in Gemma l. 1. c. 142.* unde de Apoſtolis prædicantibus dicit Propheta Pſal. 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: Ut interpretatur S. Paulus ad Rom. 10. 18. At vero Paſſionis tempore Apoſtoli ſiluerunt. Alcuin. *de Cœna Domin.* Beleth *de divin. offic. cap. 100.* Honor. *l. 3. c. 88.* Durand. *l. 6. c. 72. n. 3.* Rupert. *l. 1. c. 29.* Gavant. *l. cit.* Item per hoc Campanarum ſilentium indicatur ſilentium populo. Loco autem Campanarum adhibetur tabula, ſeu Crotalum, hoc eſt quoddam inſtrumentum ligneum. Quid vero ſignificet ſonus tabulæ loco Campanarum adhibitæ? explicabimus ſubſ. 7. fine. Interim quæri poteſt: an inſtrumentum hujuſmodi pulſandum ſit ad *Sanctus*, & ad elevationem Sacramenti? Affirmat Clericatus apud Merat. *to. 1. par. 4. tit. 8. n. 4.* quia facile vagantur mentes hominum, & ad fragorem illius colliguntur: quemadmodum & ſonus Campanulæ in cæteris Miſſis adhibetur ad excitandam circumſtantium fidelium attentionem ad Divina Myſteria, quæ peraguntur. Negat vero cum aliis Meratus, eſſe pulſandum in hac feria, vel in ſequenti: eo quod, ut ipſe inquit, totus populus ſupponitur attentus in adoratione SS. Sacramenti.

Verum hæc ratio ad ſummum valeret ad excludendum ſonitum Crotali, ſeu inſtrumenti præfati ab elevatione Sacramenti in officio ad Altare in ſequenti fer. VI. de quo ibi nu. 257. Interim allegata ratio non valet ad excludendum præfatum ſonitum *ad Sanctus*, & ad elevationem Sacramenti in præſenti feria V. in hac enim ad *Sanctus* non ſupponitur populus attentus in adoratione Sacra-

cra-

cramenti, quod non adeſt: nondum conſecratione peracta. Deinde vero ad elevationem SS. Sacramenti: ſicut in cæteris Miſſis pulſatur Campanula, ut populus moneatur de præſentia Sacramenti, & ad adorationem excitetur ejuſdem: quidni poterit ſimiliter in hodierna Miſſa moneri, & excitari ſonitu prædicti lignei inſtrumenti, quod hodie Campanarum loco ſuccedit? Denique Clericati ſententia confirmatur ex praxi, juxta quam vidimus practicari, & cui tandem Meratus ipſe conſentit etiam pro ſequenti feria Paraſceves, ut ibi videbimus; ſed & fatetur, hanc eſſe communem praxim Baſilicarum Romanæ Urbis ipſius.

Sonitus attamen Campanarum hoc triduo majoris hebdomadæ non videtur interdici ex rigoroſo præcepto obligante ſub gravi; ſed ſolum ex vi Rubricæ directivæ. Ita Quarti de Benedict. *tit.* 2. *ſect.* 12. *dub.* 3. *fine*. Qui vero recte ſubdit: quod ratione ſcandali, & virtualis contemptus vix excuſaretur a peccato mortali, qui hoc triduo data opera pulſaret Campanas tempore, quo ſilere debent. Non eſt autem prohibitus ſonus Campanarum Horologiorum, ad diſtinguendas, & indicandas horas diei, ut ex conſuetudine, ſaltem communiori, patet, & admittit laudatus Quarti. Nec pro Defunctis quidem pulſandas eſſe Campanas: habes ex dicendis in Appendice ad calcem Diarii c. 8. art. 6. Hic autem addimus: nec pro morientibus in Agone conſtitutis pulſandas eſſe Campanas: Convenit tamen fideles aliqua alia ratione moneri, ſaltem viciniores Parochianos, ne moribundus fraudetur piis fidelium precibus.

137 Evangelium hodiernæ Miſſæ, quod eſt de lotione pedum, quadrat, quia hodie Chriſtus lavit pedes Apoſtolorum. De Euchariſtia vero ſufficienter agitur in Epiſtola; ſed etiam Euchariſtiæ congruit Evangelium, cum ad eam deceat omnino mundos accedere, & lotio quidem pedum munditiem indicat animæ, ut ſupra innuimus. Sed & Chriſtum Dominum illa lotione pedum voluiſſe ſignificare mundationem animæ, quæ ante ſumptionem Sacramenti Euchariſtiæ præmittenda eſt, docent Ambroſius, & Bernardus, quos laudat Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 41. *ſect.* 2. *fine*.

Dicitur *Credo*. Rubr. gen. Miſ. tit. 138
11. ex Innocentio III. apud Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 11. *litt. o.* quia, inquit Innocentius, ad Euchariſtiam reſpicit illud: *Sanctorum Communionem*.

Sed licet verum ſit cantari hoc Symbolum in feſtis, de quibus fit aliqua mentio in ipſo Symbolo; ut obſervat D. Thom. 3. *part. qu.* 83. *art.* 4., (confer dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 4. n. 37.) nihilo tamen minus ex una parte in Symbolo Nicæno, ſeu potius Conſtantinopolitano, (Vid. Bened. XIV. *de Miſſ. lib.* 2. *c.* 8. *n.* 3. *&* 6. Caval. *to.* 5. *c.* 12. *n.* 4. Merat. *to.* 1. *par.* 1. *in præliminar. n.* 96. fine, *& eadem parte* 1. *tit.* 11. *nu.* 1.) quod nunc recitatur in Miſſa, non habentur hujuſmodi verba: *Sanctorum Communionem*: ut conſtat. Ex alia parte vero licet habeantur in eo Symbolo fidei, quod extra Miſſam in Divino officio, & etiam a Chriſtiano populo recitatur, attamen ad Euchariſtiam minime reſpicere, ſignificat poſt Divum Thomam Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 46. *ſect.* 1. fine, ubi ait . . . . . *Quia ejus* (veritatis Sacra-

Digitized by Google

menti Euchariſtiæ) *cognitio non exigitur, ut ita dicam, propter ſolam fidem, ſeu cognitionem, ſed propter uſum, & operationem, & huic Sacramento conveniens adoratio, & reverentia exhibeatur, ideo non eſſe expreſſe poſitam in Symbolo; ibi enim poſita ſunt, quæ per ſe ſunt neceſſaria propter fidei perfectionem, non propter uſum; poteſt tamen ad illud revocari, ſcilicet ad articulum de Omnipotentia Dei, vel de Sancta Eccleſia, ut Divus Thomas tradit.* 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 8. *ad* 6. Hæc Doctor eximius. Sed nec Cardinalis Bellarminus ad Sacramentum Euchariſtiæ ullo modo refert, aut de eo mentionem facit, explicans hujuſmodi verba Symboli fidei in ſuo opuſculo Doctrinæ Chriſtianæ, quod conſcripſit juſſu Clementis VIII. quodque commendat Benedictus XIV. *Epiſt. de Doctr. Chriſt.* incip. *Etſi minime*, quæ eſt num. 18. inter ejus Conſtit. Select. par. 1. Cujus quidem opuſculi laudati Cardinalis, quam ſit gravis auctoritas videri poteſt apud P. Benedictum Plazza in Cauſa Immacul. Concept. actione 1. art. 2. teſtimon. 20. a n. 157.

His poſitis videtur, melius dici: quod Symbolum hodie recitetur in Miſſa ad majorem ſolemnitatem; & ita ſentit Caval. *to.* 4. *c.* 1. *in d.* 1. *n.* 5. *fine*; licet to. 5. c. 12. n. 10. rejecta Innocentii opinione prædicta, dicat, ideo hodie Symbolum recitari, quia eſt feſtum Chriſti Domini, juxta generalem regulam, ex qua in feſtis Chriſti Domini recitatur Symbolum, in quo fit ejus mentio pluries. Porro ex Rubr. Miſſ. Symbolum conceditur in Miſſa ratione etiam magnæ ſolemnitatis; itaut illis etiam Sanctorum feſtis, quibus ratione qualitatis non competit *Credo*; hoc tamen donetur iiſdem, ſi ſolemniter celebrentur.

Poteſt etiam dici, quod Symboli recitatio hodie dirigatur ad excitandam fidem erga Euchariſtiam, cujus inſtitutio in hac Miſſa recolitur. Denique aliqui tradunt, Symbolum in hodierna Miſſa, cœptum fuiſſe dici a ſolis Epiſcopis facientibus Chriſma; atque adeo recitari propter hodiernam confectionem Chriſmatis. Vid. Caval. cit. n. 5.

139 Hodie Sacerdos conſecrat duas hoſtias, & particulas pro Communione Cleri, & Populi, (prout exegerit Communicantium numerus) & pro Infirmis, quibus fortaſſe acciderit hoc triduo miniſtrandum eſſe Viaticum, ut infra dicetur; atque adeo eas habeat paratas, atque præſentes ad Offertorium. Niſi iis particulis opus non fuerit, eo quod jam habeantur conſecratæ in Pyxide reſervatæ, & in Tabernaculo repoſitæ. Prædictæ tamen duæ Hoſtiæ majores in hac Miſſa ſunt conſecrandæ.

140 Præfatio, *Communicantes; Hanc igitur: & qui pridie:* Propria diei præſentis accomodata myſteriis. Pax non datur in deteſtationem oſculi Judæ. Durand. *in Ration. l.* 6. *c.* 72. *n.* 6. Hugo Victor. *de Special. Miſſar. obſervat. lib.* 3. *c.* 18. Joan. Beleth *de Divin. offic. c.* 96. Honor. *in Gemm. l.* 3. *cap.* 85. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 8. *n.* 4. & quia olim non dabatur in diebus luctus. Porro etſi hodiernus dies ſit lætitiæ, ut hactenus inſinuavimus ob inſtitutionem Euchariſtiæ, attamen eſt item mœroris, & luctus ob inſtantem Dominicam Paſſionem. Quapropter Eccleſia hodie inter ſignificationes lætitiæ, & gaudii propter inſtitutionem Euchariſtiæ, miſcet triſtitiæ ſigna: inde etiam

Digitized by Google

omiſſio Pſalmi *Judica* ad confeſſionem, verſiculi *Gloria Patri* ad Introitum, & *Lavabo*, & dic. Præfatio de Cruce. Nihilominus dicitur *Pax vobis* ab Epiſcopo etiam in hac Miſſa. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 8. *num.* 2. Item in tertio *Agnus Dei* dicitur *Dona nobis pacem*: nam Miſſale vult dici de more, quamvis pax non detur, ut jam monuimus. Gavant. l. cit. nu. 4. Caval. *tom.* 4. *c.* 1. *in d.* 1. *n.* 8. & ſimiliter, quamvis pax non detur, *non propterea omittuntur tres conſuetæ orationes ante Communionem Rubr. hic*: in quarum prima oratur pro Eccleſiæ pace.

141 Dicto *Agnus Dei*: mox Diaconus tranſit ad librum, & Subdiaconus ad dexteram Celebrantis, cui inſervit pro cooperiendo, & detegendo Calice, quando opus eſt; in hac enim Miſſa, cum non detur pax, non eſt, cur Diaconus expectare debeat pro ea recipienda.

Ex duabus hoſtiis conſecratis, unam Sacerdos ſumit, alteram reſervat pro die ſequenti, in quo non conficitur Sacramentum: & quia pro Infirmis ad mortem Euchariſtia ſemper debet haberi parata: C. *Presbytero* 93. *diſt.* 3. *de Conſecr.*, ideo reſervat etiam aliquas particulas conſecratas, ſi opus fuerit, pro infirmis. Rubr. Miſſ. hic: ex decreto Innocentii I. apud Joan. Beleth *de divin. offic. cap.* 99. *initio*. Durand. in Rat. *l.* 6. *c.* 75. *n.* 9. & Gavant. *l. cit. nu.* 5. Vid. dicenda ſequent. fer. ſubſ. 6. §. 4. *n.* 277. Sanguinem vero totum ſumit, & nihil reſervatur; tum quia periculum eſt, ne effundatur; tum quia ſignificatur in Calice finis legis antiquæ: cum bibiſſet enim Chriſtus in Cruce, dixit: *Conſummatum eſt*: Joan. 19. 30. videlicet Teſtamentum vetus; ita Beleth cit. c. 99. Durand. cit. c. 75. n. 10. & Hugo Victor. *l.* 3. *de Special. Miſſar. obſervat. c.* 20.

Hauſto a Sacerdote Chriſti Sanguine, Subdiaconus Palla tegit Calicem; cum Purificatio differenda ſit 142
poſt Communionem Cleri, illumque collocat verſus cornu Evangelii ſuper Corporale propter ſpecies vini conſecrati, adhuc in ejus fundo reliquas. Tum Diaconus accedit ad dexteram Celebrantis cum debitis genuflexionibus. Interim Magiſter Cæremoniarum, vel aliquis ex Cappellanis aſſiſtentibus Calicem alterum præparatum cum Patena, & Palla, & parvo velo coloris albi accipit de Credentia, & defert ad Altare: in horum defectu ipſe Subdiaconus prædicta defert cum debitis genuflexionibus unico genu in acceſſu, & receſſu; defert autem ſine velo ſuperhumerali. Caval. tom. 4. c. 1. in d. 4. num. 2.

Delato Calice, & ſuper Altare depoſito, Diaconus eum accipit, diſcooperit, & ab eo Pallam, & Patenam aufert; quo facto, Celebrans cum Miniſtris genuflectit unico genu, & ſtatim ſurgit; ac mox idem Celebrans alteram hoſtiam conſecratam accipit reverenter manu dextera, eamque reponit in prædicto Calice; quem Diaconus ſuſtinet ante ipſum, & poſtea eum collocat ſuper Altare in medio Corporalis. Tum Celebrans iterum genuflectit, & ſtatim ſurgit cum ſuis Miniſtris, & Diaconus accedens omnino ad Altaris medium, facit genuflexionem, & ſtatim ſurgens, Calicem prius Palla cooperit, deinde Patena inverſa, deſuper expandit velum parvum album ſericum, quod ad majorem cautelam

lam vitta ſerica albi coloris circumligat Calici ; quem illico in medio Altaris collocat ſuper Corporale prope Tabellam Secretarum. *Rubr. Miſ. hic* . Gavant. *l. cit. n 6.* Caval. *in cit. d. 4. n. 3. & in d. 6. n. 4.*

Fiunt autem hæc ad repræſentationem Sepulchri Domini. Enimvero Corpus Domini intus Calicem ſignificat idem Corpus Dominicum intra Sepulchrum poſitum. Palla, qua tegitur Calix, ſignificat lapidem ad oſtium Monumenti. Patena ad tutelam Pallæ adhibetur, quaſi ſigillum indicet Phariſæorum, de quo Matth. 27. *Signantes lapidem cum Cuſtodibus*. Acceleratur autem repræſentatio Sepulchri Domini, eo quod in Sabbato Sancto, cum anticipetur Miſſa Reſurrectionis, quæ olim celebrabatur in nocte, ut in Sabbato Sancto dicemus : congruit etiam accelerari prædicta repræſentatio ejuſdem Sepulturæ hac feria V. poſt Miſſam. Profecto quemadmodum ſcite animadvertit Caval. *tom.* 4. *c.* 18. *Comment. in decr.* 10. *num.* 8. Tempus a Miſſa hujus feriæ V. ad Miſſam ſubſequentis Sabbati ab Eccleſia ſpeciatim deſtinatum eſt, ad lugendam Chriſti mortem, & propterea rite triduum ante Paſcha dicitur *Triduum mortis Chriſti* : & Eccleſia ipſa tota occupatur in actionibus plenis myſteriis, quæ ad Chriſti paſſionem, mortem, & ſepulturam referuntur; licet in iis peragendis rigoroſe non ſervet tempus, ſeu horam, in qua evenere, & fortaſſe nec ſucceſſionem; ſed quaſi totum prædictum tempus foret una, & eadem dies, in qua omnia contigere, promiſcue myſteria recolit; quemadmodum evidenter conſtat ex Auctorum expoſitionibus: unde ad finem ex. gr. Miſſæ feriæ V. Chriſtum medio funere, quaſi ducit ad Sepulchrum, cum tamen ipſe in ſequenti feria ſexta mortuus fuerit; licet improprie Sepulchrum Domini hoc appellari, dicat Gavantus *l. cit. litt. a.* Vid. dicenda ſubſ. 5. n. 157. Præparato Calice prædicto, deinde fit communio Cleri.

§. V.

De Communione Cleri, quæ hodie fit in Miſſa ſolemni.

IN Ordine Romano antiquo *tit. de Offic. divin. a Cœna Domini*, præſcribitur, ut feria V. Cœnæ Domini 143
Pontifex veniens ad Altare, dividat oblatas ad frangendum, & communicet omnis populus ordine ſuo . . . fractis autem oblatis, communicent Presbyteri primo, poſtea Diaconi, & cæteri omnes. Soter Pontifex, qui ſedit ann. 175. præſcripſiſſe, dicitur, ut omnes communicarent in die Cœnæ Domini, ſeu hac feria V. majoris hebdomadæ, uti habetur *C. in Cœna Domini 17. diſt. 2. de Conſecr.* Quam Communionem videtur, D. Thomas a Paſchali diſtinguere, ut obſervat Suarez *to. 3. in 3. par. diſp. 10. Sect. 2.* poſt initium.

Quo ad præſentem vero attinet diſciplinam, ex decreto S. C. R. 27. Septembr. 1608. *in Civitaten.* apud Caval. *to.* 4. *c.* 1. *d.* 32 ſtatutum eſt, quod *Omnes de Clero*, (Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum, & Conventualium,) *etiam Canonici Euchariſtiam ſumant de manu Celebrantis in feria V. in Cœna Domini*. Eadem Cleri Communio præcipitur in Cæremoniali Epiſcoporum inferius allegando.

Si feſtum S. Joſeph; vel SS. Annun- 144
nun-

Digitized by Google

nunciationis inciderit in hanc feriam V. majoris hebdomadæ : quamvis provideri debeat de aliis Miſſis celebrandis ad commodum fidelium pro adimplemento præcepti ; ut alibi dictum eſt ex Decretis S. C. monetur tamen in iiſdem : *Ne propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni ejus diei, quo Eccleſia SS. Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus obſervatus, ullo modo omittatur*. S. R. C. 13. Septembr. 1692. & habetur in Bullar. particular. Innocentii XII. & 11. Januarii 1693. & 12. Septembr. 1716. approbante Clemente XI. 27. ejuſdem in ejus Bullar. particular. par. 3. apud Caval. *to.* 2. *c.* 15. *decr.* 9. 10., & 11. Idipſum eſſe ſervandum, ſi alicubi ſimile aliud de præcepto feſtum occurrat, recte docent Auctores. Vid. Caval. *in cit. d.* 10. & Luc. Ferrar. *in ſua Biblioth. tom. 6. V. Reſolut. S.S. C.C. in indic. decret.* ex Pittonio *n.* 336. edit. 3. Bonon.

Sed quid? ſi ob Sacerdotum paucitatem, dum ſufficiens fit privatarum Miſſarum proviſio, vel nullus, vel fere nullus de Clero remaneat, qui in Miſſa ſolemni communionem aſſumere valeat? In hoc caſu dicendum eſt cum Caval. in cit. d. 10. n. 3. Cleri communionem, quantum fieri poteſt, retinendam eſſe, licet unus dumtaxat, vel alter ſuperſit, qui de manu Celebrantis ſumere poſſit Euchariſtiam: quod ſi Sacerdotes omnes Miſſæ Sacrificium peregiſſent, cæteros de Clero, ſi qui ſunt, debere Communionem percipere : & forſan ad hanc ſanctam conſuetudinem retinendam, & ſervandam, aliquid de majori commodo Populi demi poſſe ; pauciores, dummodo abſolute, & reſpective ſufficientes Miſſas deſignando privatas. Quod ſi fidelium competens commodum expoſceret Miſſas omnium Sacerdotum, qui adſunt in loco, nec alii forent de Clero, qui Communionem prædictam ſumere poſſent: eo in caſu poſthabita Cleri Communione, præſtat provideri populo ad ſatisfactionem obligationis gravioris de auſcultanda Miſſa. Profecto Clauſulæ *nullo modo: nullatenus:* & ſimiles in allegatis, ſimilibuſque ſtatutis poſitæ, etſi univerſales negativæ ſint, & prohibitivæ ; nihilominus, ut animadvertit Caval. l. cit. a morali impoſſibilitate limitationem utique recipere poſſunt.

Et ſane Sacræ Congreg. allegata Decreta, ſeu declarationes non obligant ſub gravi, licet maxime oporteat revereri, & deceat obſervari. Quintanadvennas *tr.* 1. *Singularium tr.* 4. *de Euchariſtia, ſingular.* 5. *n.* 4. Et quamvis etiam Soter Pontifex, ut ſupra notavimus, ſtatuiſſe dicatur, quod ſinguli quoque fideles Euchariſtiam ſumerent in die Cœnæ Domini : nunc temporis autem nulla, etiam pro Clericis, eſt obligatio gravis ad hujuſmodi Communionem. Quintanadvennas *l. cit. n.* 5. Caval. *to.* 2. *c.* 13. *in d.* 9. *num.* 10. *& in d.* 10. *n.* 3. Sed ea tantum exigitur ad quamdam repræſentationem mox indicandam, & ad ſatis congruentem devotionem oſtendendam. Nota tamen ex Caval. non eſſe hoc intelligendum de Prælatis quibus ſpectat curare, ut hæc ſolemnis hodierna Communio fiat a Clero; ſed nec de ipſo Clero in communi : Porro hæc habet Caval. *tom.* 4. *cap.* 1. *in d.* 3. *n.* 5. *Benedictus XIV. to.* 2. *notific.* 18. *ex can. In Cœna Domini de conſecr. diſt.* 2. *præceptum prædictæ Communionis*

nis antiquitus rigoroſam fuiſſe, *probat*, *& commune etiam populo : nunc neque Clerum Cathedralium*, *& Collegiatarum in particulari ſub gravi ad Communionem Auctores obligant*, *exponentes decreta*, *quæ iiſdem Communionem injungunt de debito decentiæ*, *& honeſtatis*. *Non ſic eſt de Communione in Communi*, *cujus obligatio*, *ſi rationabilis deſit omittendi cauſa*, *ita Cathedrales*, *Collegiatas*, *& Conventuales afficit Eccleſias*, *ut*, *ſi prætermittatur*, *gravioris quidem culpæ reus fiat Prælatus*, *cui ſpecialiter commiſſa eſt cura communitatis ; ſed non propterea a gravi culpa reliqui excuſantur de Clero*, *ad quorum ſingulos*, *utpote Communitatem conſtituentes*, *deficiente cura Prælati*, *devolvuntur obligationes*, *quæ Communitati collective inſunt*. Hæc Caval.

146 *Fer. V. in Cœna Domini Epiſcopus debet per ſeipſum miniſtrare Euchariſtiam Canonicis*, *& Clericis*, *numquam vero debet illam miniſtrare Diaconus*, *vel unus ex Aſſiſtentibus*. S. R. C. 8. Auguſti 1643. in *Majoricana*. Apud Caval. *tom.* 4. *c.* 1. *d.* 4. Et ſimiliter in quibuslibet Eccleſiis, in quibus hujuſmodi ſolemnis communio celebretur, quantum fieri poteſt, debet illam miniſtrare Sacerdos celebrans loci Superior, ut cum Bauldr. monet Caval. l. cit. nu. 1. Et vero hodierna ſolemnis Communio Cleri in Miſſa unica ſolemni fit maxime propter repræſentationem Chriſti Domini, qui hodie primam Miſſam ſolus celebravit, & Apoſtolos communicavit : in hujus quippe facti memoriam ſolus primarius Sacerdos hodie celebrat, & reliquis diſtribuit Sacramentum. Ad quod etiam factum Domini hodie repræſentandum expreſſius in nonnullis olim Eccleſiis licuit communicare poſt ſumptam Cœnam : *poſt Agnum typicum*, *expletis epulis*, *Corpus Dominicum datum Diſcipulis*. D. Thom. in hym. feſti SS. Corpor. Chriſti. Vid. Aug. Epiſt. 18. ad Januar. cap. 7. Ideo in C. *Sacramenta Altaris*. 48. *diſt.* 1. *de Conſecr. dicitur : Sacramenta Altaris nonniſi a jejunis hominibus celebrentur*, *excepto uno die anniverſario*, *quo Cœna Domini celebratur*. Quæ tamen conſuetudo eſt penitus abrogata, & omnino interdicta. Videatur D. Thomas 3. *par. qu.* 80. *art.* 8. *ad* 3. Suar. *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 68. *ſect.* 3. *circa medium*. Walafrid. *de reb. Eccl. c.* 19., *&* 20.

Græci putarunt, Euchariſtiam habere majorem vim die Jovis Sancto; quam aliis diebus, atque adeo videntur exiſtimaſſe, ideo hodiernam ſolemnem Communionem fuiſſe introductam. Sed illa Græcorum opinio repugnat Concilio Florentino in decr. de Unione Græcorum : ut animadvertit La Croix *lib.* 6. *par.* 1. *de Euchar. qu.* 74. *n.* 410.

Celebrata Miſſa ſolemni, & repoſito Corpore Chriſti in Sepulchro : non eſſe amplius miniſtrandam Communionem, niſi ratione Viatici ! ex Rubr. Miſſ. hod. de reſervandis particulis conſecratis pro Infirmis, ſeu ratione Viatici : arguit Caval. *tom.* 4. *c.* 4. *in d.* 3. *n.* 3. Rationes quidem congruæ, quæ militant pro ſequenti fer. VI. Paraſc. quaſque aſſignabimus ibi n. 287. faciunt etiam pro hac die Cœnæ Domini a tempore prædicto. In eo autem caſu adminiſtrationis Viatici videantur dicenda ſequenti fer. VI. ſubſect. 6. num. 273. 147

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

Quomodo parati accedere debeant Sacerdotes communicantes de manu alterius?

148 QUONIAM hodierna præfata ſolemnis Communio a Sacerdotibus maxime eſt celebranda juxta hactenus dicta, atque adeo debent hodie Sacerdotes Euchariſtium ſumere per manus alterius, more Laicorum: opportunum eſt hic adnotare, ſtatutum eſſe ratione Dignitatis Sacerdotalis, ut Sacerdotes more Laicorum communicantes non accedant, niſi aliquo ſaltem modo parati Sacerdotaliter. Nimirum Sacerdotes Sæculares communicent cum Cotta, & Stola a collo pendenti. Sacerdotes Regulares debent etiam communicare cum Stola, quam poſſunt deferre vel ante pectus, vel a collo pendentem. Porro Caval. *tom.* 4. *cap.* 1. *in d.* 5. *n.* 4. de ſolis Sacerdotibus Regularibus interpretatur ſequens Decretum Sacr. Congreg. *Sacerdotes in die Cœnæ Domini, SS. Chriſti Corpus ſumpturi, poſſunt deferre ſtolam, vel ante pectus, vel a collo pendentem*. S.R.C. 30. Septembr. 1679. in una *Cappuccinor.* De Sacerdotibus, inquam, tantummodo Regularibus interpretatur Caval. Decretum hujuſmodi, utpote quod proceſſit in una Cappuccinorum, qui ſupra ſuum ſacrum habitum Cottam non induunt; nec carent fune habitus, per quem Stolam accommodent in modum Crucis. Idipſum autem, vult, eſſe dicendam de reliquis Regularibus, qui ex habitu habent cingulum, quo prædicto modo Stolam accommodent. Nihilominus eidem nu. 5. videtur laudabilius, ipſos etiam Regulares deferre Stolam a collo pendentem, quemadmodum in quibuslibet Communionibus debet, inquit, a Sæculari Clero deferri. Contra vero alii, ut patebit ex infra dicendis, a Sacerdotibus etiam Sæcularibus deferendam eſſe Stolam in modum Crucis, contendunt diſponi in Concilio Bracharenſi mox allegando. Verum Sacerdotes etiam Sæculares poſſe deferre Stolam a collo pendentem, conſtat ex Cæremoniali Epiſcoporum, cujus verba recitabimus infra.

Non putet autem quis, relictum eſſe arbitrio Sacerdotum, ad communicandum accedere cum Stola, vel ſine illa, ex eo quod in allegato Decreto fuerit dictum: *poſſunt* deferre Stolam. Enimvero verbum *poſſunt* non refertur ſimpliciter ad delationem, ſive uſum Stolæ, ſed reſpicit modum jam explicatum, quo Sacerdotes communicantes more Laico, poſſunt deferre Stolam, quam deferre debent.

Porro conſuetudo deferendi Stolam Sacerdotes communicantes per manus alterius, eſſe ex decreto Sanctorum Patrum, dicitur in Regula S. Benedicti cap. 38. n. 4. ubi ſic: *Cum autem Sacerdotes, qui propter infirmitatem, aut in die Dominicæ Cœnæ, aut ex aliqua cauſa non celebrant, communicare contigerit, juxta decretum Sanctorum Patrum Stolam ſemper ſuper humeros habeant*. Rurſus ex Concilio Bracharenſi III. c. 3. & habetur *C. Eccleſiaſtica*. 9. diſt. 23. *Modis omnibus convenit, ut quod quiſque percepit in conſervatione honoris, hoc retineat & in oblatione, vel perceptione ſuæ ſalutis; ſcilicet ut, cum Sacerdos ad ſolemnia Miſſarum accedit, aut per ſe Deo Sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis, & Sangui-*

Digitized by Google

ris Domini noſtri Jeſu Chriſti ſumpturus, non aliter accedat, quam Orario, utroſque humeros circumſeptus, ſicut & tempore ordinationis ſuæ dignoſcitur. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ ſubjaceat. Orarium idem ac Stola. V. Bened. XIV. de Miſſ. ſect. 1. c. 4. Deinde Rituale Romanum Pauli V. tit. de ordine miniſtrandi Sacram Communionem, ſic habet; *Sacerdotes vero cum Stola communicent*. Denique Cæremoniale Epiſcoporum Clementis VIII. Innocentii X. ac Benedicti XIII. auctoritate probatum l. 2. c 23. ubi de hodierna Miſſa, & Communione ita diſponit: *Deinde antequam ſe purificet* (Epiſcopus Celebrans,) *communicat primum Diaconum, & Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, & alios Sacerdotes de Eccleſia, qui Stolam a collo pendentem ſuper Cottam habere debent, & denique omnes de Clero*.

149 Qu. I. An hæc obligatio ſit gravis?

℞. Doctores communiſſime docent: hujuſmodi legem non obligare ſub gravi: cum non agatur de Sacerdote Sacrificante, aut munus ſuum ſolemniter exercente, ſed communicante inſtar Laici de manu alterius. Vid. Caval. *to*. 4. *c*. 1. *in d*. 5. *n*. 2.

Auctoritatem vero Concilii Bracharenſis eſt qui rejiciat dicendo: canonem illum non obligare Eccleſiam univerſam cum non ſit Concilii OEcumenici. Alii tradunt, illum Canonem quoad culpæ obligationem ſaltem gravem eſſe abrogatum.

Alii denique allegati Concilii legem hujuſmodi interpretati ſunt de Sacerdote ſolum communicante in Sacrificio Miſſæ, quod celebrat, attamen Gloſſa, & Doctores communiſſime allegatum textum intelligunt de Communione etiam extra Sacrificium. Quod videtur magis conſentaneum illi disjunctivæ locutioni, qua Concilium utitur; ut recte obſervat Suarez l. infr. cit. Nihilominus Doctores, ut ſupra dictum eſt, communiſſime docent, hujuſmodi legem non obligare ſub gravi, ſecluſo contemptu. Etſi enim ita quidem obligare videatur, cum tranſgreſſor præcipiatur puniri pœna excommunicationis, ad quam incurrendam requiritur mortale peccatum: nihilominus reipſa non obligat ſub mortali, quia res non eſt admodum gravis, nec communi uſu videtur eo ſenſu recepta; cujus ſignum eſt, quod, licet interdum omittatur, numquam vero ob hanc cauſam Sacerdos ab Epiſcopo puniatur, nec ſcandalum inde ſoleat oriri; ita Suarez *tom*. 3. *in* 3. *part. diſp*. 68. *Sect*. 1. Franciſcus de Lugo *de Sacram. l*. 4. *de Euchar. cap*. 12. *qu*. 3. *n*. 17. Bonac. *de Sacram. Euchar. diſp*. 4. *qu*. 6. *pu*. 2. *n*. 2. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par*. 4. *tit*. 8. *ubi de fer. V. in Cœna Domini n*. 7. *fine*, *& alii*. Et de ipſa praxi Suarez loc. cit. teſtatur, viros, etiam timoratos ſolere omittere facile, quando commode ſervari non poteſt; unde ſignificat, etiam a veniali poſſe excuſari in hujuſmodi caſu. Ad hæc recte docet Eſcobar, cui conſentit LaCroix *lib. 6. part. 1. de Euchar. qu*. 107. §. 6. *num*. 556. quod ubi viget conſuetudo, ut Sacerdotes laice communicantes deferant Stolam, ſervari debeat ſub veniali, quæ quidem conſuetudo viget in noſtra Sicilia.

Prædicta docent Auctores, nullam diſtinctionem facientes inter communionem ſolemnem, & non ſolemnem; diſſentit tamen Caval. *tom*. 4. *c*. 1.

c. 1. *in d.* 5. *n.* 2: putans, licentiam non deferendi Stolam poſſe uſurpari a Sacerdotibus privatim, & extra functiones ſolemnes communicantibus; ſecus vero communicantibus in functionibus ſolemnibus, & in Communionibus generalibus, quæ ſint de antiqua Eccleſiæ diſciplina, ſemperque cuſtodita conſuetudine, & de Rubricarum mandato, cujuſmodi eſt hodierna Communio Cleri in hac Miſſa ſolemni, cujus præceptum, non tam Clerum afficit, quam ipſam communitatem, cujus tranſgreſſores non tam facile excuſari debent; ita ille. Verum, ut dixi, Auctores diſtinctionem hujuſmodi non habent, ſed ſimpliciter, & abſolute loquuntur. Cæterum etiam pro Communionibus ſolemnibus conſuetudo poterit eſſe hujuſmodi legis interpres.

150 Qu. II. An ſit ſimilis obligatio deferendi Cottam?

℞. Cæremoniale Epiſcoporum, in quo præter Stolam exigitur delatio Cottæ a Sacerdotibus more Laico communicantibus: eodem modo loquitur de Cotta, ac de Stola, ut conſtat ex verbis ſuperius allegatis: unde videtur ſimilis obligatio. Stolam ſuper Cottam aſſignat Sacerdotibus hodie communicantibus in Miſſa ſolemni Meratus part. 4. tit. 8. n. 7. Pro obligatione deferendi Cottam, allegatur item Andreas Piſcara, & Gavantus a Franciſco de Lugo l. cit. n. 17. *Caval. l. cit. nu.* 5. concedit quidem Regulares non teneri communicare cum Cotta, ſed tantum cum Stola, ſive in privatis, ſive etiam in ſolemnibus communionibus. De Sacerdotibus autem Sæcularibus vult non eſſe dubium, eos teneri accedere cum Cotta præter Stolam in Communionibus ſolemnibus, quibus ut minimum adaptanda eſt, inquit, lex Cæremonialis Epiſcoporum: ſecus tamen forſitan eſſe de Communionibus privatis, quibus convenire videtur lex Ritualis, quod ſolius Stolæ meminit; ita ille. Verum etiam hic inſpicienda, ac ſervanda eſt conſuetudo optima legum interpres. Franciſcus De-Lugo l. cit. teſtatur quidem ſuperpelliceum, ſeu prædictam Cottam ſolere a viris etiam timoratis omitti.

Qu. III. De Diaconis, & Subdia- 151
conis, an ſcilicet hi Manipulum, illi Stolam deferre debeant ſua ipſorum inſignia?

℞. Nonnulli de ſolis Diaconis ſermonem habentes, eos volunt, debere etiam ad communicandum accedere cum Stola, ſed a dextero ad ſiniſtrum humerum fluentem, quemadmodum alias ſolent, quando miniſterium ſuum exercent: ob rationem aſſignatam a Concilio Toletano IV. c. 39. videlicet. *Unum Orarium* (hoc eſt Stolam. Vide Merat. to. 1. part. 2. 2. tit. 1. n. 29) *oportet Levitam geſtare ſiniſtro humero, propter quod orat, ideſt prædicat; dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad miniſterium Sacerdotale diſcurrat.* Cujus rationis meminit etiam Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 82. *ſect.* 2. *ante medium.*

Contradicit Caval. *tom.* 4. *c.* 1. *in d.* 5. *num.* 6. ubi hæc habet: *Notatu dignum apparet, quod documenta quæque, per quæ communicantibus delatio Stolæ præcipitur, incerte adeo de ſolis Sacerdotibus loquuntur, ut non leve inde deducatur argumentum pro Diaconorum deobligatione ad communicandum cum Stola tranſverſa, quidquid nonnulli ſcripſerint. Sane laudatum Cæremoniale, dum Sacerdotibus impoſito onere*

communicandi cum Stola: & alios Sacerdotes, qui Stolam a collo pendentem ſupra Cottam habere debeat: *indiſcriminatim ſubdit*: Et denique omnes de Clero: *Diaconos, quos probe noſcit, reliquis de Clero, qui ſine Stola communicant, aggregare, videtur, Sacerdotalis dignitas adeo ſupereminet Diaconalem, ut per hoc, quod illa ſignificari debeat per Stolam, quæ & ſignum auctoritatis ejuſdem ſuper verum Chriſti Corpus conficiendum, inepte admodum quid ſimile inferretur in favorem Diaconalis, quæ nullam auctoritatem habet, ad conficiendam Chriſti Corpus, ſed duntaxat ad hoc miniſtrandum in caſu tamen ſolius neceſſitatis, & ex commiſſione Sacerdotis.* Hæc Caval. Benedictus XIV. tom. 1. Notific. 38. n. 2. ſcribit: in hodierna Communione Diaconos a dextero ad ſiniſtrum humerum fluentem Stolam deferre, Gavantum tradere in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 7. nu. 7. Venet. impreſſ. an. 1690. pag. 181. Verum in Edit. Venet. ann. 1769. qua ego utor, id non habet loco allegato; & ea praxis, quod ſciam, non adeſt in noſtra Sicilia.

152 Qu. IV. An Sacerdotes communicantes adhibere debeant Stolam ejuſdem coloris, qui præſcribitur miniſtrantibus Communionem?

℟. Affirmat Cavalerius l. cit. n. 7. atque adeo communicantium color Stolæ occurrenti debet eſſe conformis officio; etſi plerique velint, in adminiſtranda Communione extra Miſſam adhiberi ſemper poſſe Stolam coloris albi; atque adeo & in ejuſdem receptione; vide dicta tract. 1. 2. Novembr. nu. 69. Quod ſi Communio fiat intra Miſſam, & hæc ab Officio in colore diſcordet: ad uniformitatem congruum erit, ex eodem Cavalerio, colorem Miſſæ proſequi: niſi de *Requiem* eſſet; quo in caſu erit in uſu color ab occurrenti officio requiſitus: niſi rurſus & hoc colorem exigat violaceum; quo item in caſu potius adhiberem colorem album, conformiter ad ea, quæ dixi in Novembri l. cit. In hac autem feria V. adhibenda eſt Stola coloris albi: eo enim colore Eccleſia utitur in hac Miſſa. Cæterum non credimus, a ſuſcipientibus Sacerdotibus exigi prædictum determinatum Stolæ colorem cum eodem rigore, quo exigi reputatur a miniſtrantibus. Quapropter, ſi ob multitudinem communicantium, vel Eccleſiæ inopiam, aut aliunde non poterit facile haberi Stola coloris per ſe competentis, ut accidere ſolet in hac feria V. Cœnæ Domini, in qua plures Sacerdotes ſimul communicant per manus unius ſolemniter celebrantis: non eſt faciendus ſcrupulus; & quidem non videmus in hac feria V. Sacerdotes communicantes ſolicitos de Stolæ colore; ſed utuntur Stolis albis vel rubeis, aut diverſi coloris. Nihilominus non convenit adhibere Stolam coloris violacei, multoque minus convenit coloris nigri: ut innuimus; vide rurſus dicta 2. Novemb. l. cit.

§. VII.

De Ritu miniſtrandi Communionem ſolemnem Feria V. Cœnæ Domini.

PRÆPARATO per Diaconum Calice 153
pro Sepulchro Domini modo §. 4. explicato, eoque, uti ibi diximus, collocato ſupra Corporale, prope Secretarum tabellam, idem Diaconus accipit Pyxidem cum particulis conſecratis, eamque ponit in me-

dio

dio Altaris ſuper Corporale, ante prædictum Calicem, ac detegit eam cum genuflexione ante, & poſt. Dum autem hæc fiunt a Diacono, Celebrans, & Subdiaconus manent genuflexi in cornu Evangelii, & interim a Choro cantatur *Communio*.

Diaconus aperta Pyxide, & facta genuflexione deſcendit in planum per gradus laterales ad cornu Epiſtolæ; & Celebrans cum Subdiacono vadit ad Altare, ubi facta genuflexione in medio, retrahit ſe Celebrans aliquantulum ad cornu Evangelii, verſa facie quaſi ad cornu Epiſtolæ, & poſt eum ſimili modo ſtat Subdiaconus. Tunc, & non prius, Diaconus in cornu Epiſtolæ ſtans profunde inclinatus verſus Celebrantem, manibus junctis, dicit alta voce, vel in cantu *Confiteor*: ob rationem quam inſinuabimus. ſubſect. 9.

Recitata a Diacono prædicta formula Confeſſionis, Celebrans adhuc ſtans in loco ſuo, modo prædicto, dat communicaturis abſolutionem cæremonialem, juxta morem dicens intelligibili voce: *Miſereatur* &c. faciens ſupra communicaturos ſignum Crucis, ut moris eſt. Cui Diaconus adhuc inclinatus reſpondet *Amen*. Quo facto, Diaconus genuflectit, & mox aſcendit ad ſecundum Altaris gradum ex parte Epiſtolæ, & genuflectit in ſuppedaneo, una cum Subdiacono, qui pariter facta genuflexione, deſcendit ad ſecundum Altaris gradum ex parte Evangelii, & genuflectit in ſuppedaneo, communionem expectans. Interim duo Acolythi extendunt linteum, quod genuflexi ſuſtinent ante Communicandos hinc inde ambabus manibus per quatuor angulos ipſius lintei, quouſque completa fuerit Sacra Communio.

Celebrans, data ut ſupra abſolutione, convertit ſe ad Altaris medium, ibi genuflectit unico genu, deinde accipit Pyxidem, & particulam extrahens, tenenſque de more, converſus ad Communicandos dicit: *Ecce Agnus Dei &c.* Communicat primo Diaconum, poſtea Subdiaconum, alioſque Miniſtros paratos, deinde Sacerdotes reliquos, poſtea cæteros Clericos, denique Populum. Ex Concilio autem Toletano IV. c. 17. apud Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 2. *tit.* 10. *n.* 9. *litt. e. & par.* 4. *tit.* 8. *nu.* 7. fine, populus communicat extra Chorum, ſeu Præsbyterium, Sacerdotes vero, & Levitæ, ſeu Diaconi, & Subdiaconi communicant ante Altare, ſeu ad gradus Altaris, ſimiliter reliqui ſimplices Clerici. Vid. Caval. *tom.* 4. *c.* 4. *in d.* 13. *n.*, 24. & 25. ex quo tamen n. 26. intra Præsbyterium ad gradus Altaris, vel intra ſepimentum admittuntur ad communicandum, etiam Reges, aliique Principes, vel Magiſtratus. Quonam autem ordine, & loco antiquitus fideles communicarent? indicat Meratus *to.* 1. *par.* 2. *tit.* 10. *n.* 25. prope finem; de diſciplina vero uſque præſenti fuſius agit a n. 51. Omnes communicant genuflexi præmiſſis debitis reverentiis in acceſſu, & receſſu.

Diaconus, & Subdiaconus, ſumpta 151
Communione, ſe purificant ex Calice continente vinum, ſuper credentiam præparato, & per manum Sacriſtæ, vel Cæremoniarii, aut alterius ſibi porrecto, una cum mappula, ad os tergendum. Ut ſe purificarunt, tranſeant, juxta Cæremoniale Epiſcoporum, ad latera Epiſcopi Celebrantis, (V. ſup. n. 46.) ſacram Communionem miniſtrantis, ad cujus

jus dexteram ſtet Diaconus cum particulis conſecratis, & ad ſiniſtram Subdiaconus cum Patena de ipſo Calice Miſſæ ſublata, quam ſupponit mento communicantium; quod fit ratione majeſtatis Epiſcopi adminiſtrantis Communionem.

Ubi autem non celebrat Epiſcopus, Subdiaconus ſumpta, ut ſupra, purificatione, ſiſtet ſe ad ſiniſtram Celebrantis, manibus junctis; nec patenam ſupponet communicantium mento; quod ſi Communio miniſtretur ſolemniter a Celebrante, qui ſit in Dignitate conſtitutus, tunc locum habet ſequens declaratio S. C. *Patenæ ſuppoſitio per Sacerdotem Cotta indutum in Communione generali, quæ per Dignitates agitur, licita eſt*. S. R. C. 3. Septembr. *1661*. in *Andrien*. apud Caval. *tom*. 4. *cap*. 4. *d*. 8. Diaconus in cornu Epiſtolæ purificationem cum Calice miniſtrabit Sacerdotibus, mantile ſuppeditante aliquo Acolytho; Clericis vero purificationem cum mantili miniſtrabit aliquis Acolythus in vaſe altero; ſicut & laicis ad Altaris cancellos, ad quos deſcendit Celebrans, ad eos communicandos, & interim Diaconus inſervit Celebranti ad ejus dexteram junctis manibus, & Pyxidem non tenebit. Ex Clero a Communione non ſurget unus prius, quam communicaverit alter, & unuſquiſque diſcedet per latus ſiniſtrum Celebrantis ad cornu Epiſtolæ, ubi, ut ſupra, accipiunt purificationem; quæ tamen non ubique eſt in uſu.

155 Expleta Communione, Sacerdos reportat Pyxidem ad Altare, & ſine genuflexione eam collocat ſuper Corporale, & mox una cum Subdiacono facta genuflexione unico genu, pergit ad ſecundum Altaris gradum, parumper ex parte Evangelii, & ibi manent genuflexi in ſuppedaneo, dum Diaconus Pyxidem obſerat in Tabernaculo, & Calicem, in quo eſt SS. Sacramentum, collocet in Altaris medio ſuper Corporale. Poſtea aſcendit Sacerdos ad Altaris medium, genuflectit unico genu cum Sacris Miniſtris, & perficitur reliquum, quod ſupereſt Miſſæ.

§. VIII.

De ultima parte Miſſæ ſolemnis.

CELEBRANS itaque facta genuflexione prædicta, ſurgens accipit Miſſæ Calicem, quem porrigit Subdiacono pro accipienda purificatione, & reliquum totum Miſſæ peragit cum genuflexionibus, ritibus, & cæremoniis, quæ ſervantur in Miſſa, quæ celebratur coram SS. Sacramento. Caval. *to*. 4. *c*. 1. *in d*. 1. *n*. 9. de quibus agemus in Appendice ad calcem Diarii c. 3. art. 5. a n. 27. & ſic Celebrans genuflectit, quandocumque accedit, vel recedit e medio Altaris, vel tranſit ante Sacramentum in Calice reſervatum: genuflectit quidem ob reverentiam Sacramenti, licet in Calice lateat, & ſub velo; quod in ſimili caſu alias eſt obſervandum, ut docet Gavantus hic *litt*. *d*. *& ex decr*. S. C. R. 1753. docebimus l. cit. n. 39. Ob eamdem rationem Sacerdos cum dicere debet *Dominus vobiſcum*, non vertit ſe ad populum in medio Altaris, ne terga vertat Sacramento, ſed a latere Evangelii; & in fine dat benedictionem vertens ſe ſicut prius, hoc eſt in latere Evangelii, & poſt benedictionem non perficit circulum. Videantur dicta loc. cit. art. 5. Eadem obſervent Mi- 156

Miniſtri, & ad ea, quæ majoris ſunt reverentiæ, his diebus, erga Chriſtum Dominum a Judæis deriſum, diligentius oportet advertere. Gavant. l. cit. litt. e. Legitur Evangelium Sancti Joannis, in cujus initio Sacerdos non ſignat Altare; quia ibi eſt Auctor omnis benedictionis; ſed Tabellam Evangelii prædictſ, vel ſeipſum tantum. Ad ea verba: *Et Verbum Caro factum eſt:* genuflectit Celebrans cum Miniſtris, de more unico genu, ſed aliquantulum verſus Sacramentum; licet aliqui velint, genuflectendum eſſe de more, verſus cornu Evangelii, vide dicenda cit. art. 5. n. 33.

Poſt Miſſam proceditur ſtatim ad functionem reſervationis SS. Corporis Chriſti in Sepulchro.

SUBSECTIO V.

De Reſervatione SS. Corporis Domini in Sepulchro.

157 ABSOLUTA Miſſa ſolemni, Celebrans cum ſuis Miniſtris genuflectit unico genu ſine ulla capitis inclinatione ad Altaris medium, deinde unus poſt alium, præcedente Subdiacono, & ſequente Diacono, per gradus laterales cornu Epiſtolæ deſcendit in planum, ubi retro Altare, vel ad Credentiam omnes deponunt Manipulos, & Celebrans depoſita Caſula, induit ſe Pluviali albo. Alter item Subdiaconus ſit paratus cum Tunicella alba ſine manipulo, Crucem in Proceſſione laturus velatam velo violaceo. Caval. *to.* 4. *c.* 1. *in d.* 10. *n.* 6. qui c. 19. n. 10. fine ex quodam decreto S. C. R. quod dabimus fer. 5. poſt Dom. I. Pentec. arguit, perperam agere Regulares illos, qui in fer. V. aut VI. majoris hebdomadæ Fratres laicos Subdiaconali veſte induunt pro deferenda proceſſionali Cruce. Interim in Altari Sepulchri accenduntur luminaria, & explicatur Corporale in medio ejuſdem. Porro locus Sepulchri debet eſſe intra Eccleſiam, & diſtinctus ab Altari, in quo celebrata eſt Miſſa ſolemnis: ita Rubrica: *Hodie paretur locus aptus in aliqua Cappella Eccleſiæ, vel Altari, & decenter quoad fieri poteſt, ornetur cum velis, & luminibus*. Poterit quidem Altare effingi ad hujuſmodi finem in Eccleſiis, in quibus unicum Altare habeatur, vel ſi cætera Altaria ad rem ſint minus accommoda. Altaris hujus pallium erit album, & locus ipſe una cum Altari ſolemniter eſt ornandus: quare flores, aliæque res ad ſplendorem ducentes apponi poterunt, non tamen Reliquiæ, & Sanctorum Imagines. Caval. *to.* 4. *c.* 1. *in d.* 6. *fine*. Pluribus ſplendeat Altare luminibus ex cera alba, ſed aliqua ex oleo poterunt adhiberi. Parietes proximos ornare decet cortinis regiis, & aulæis, numquam vero pannis nigris, aut violaceis indicantibus luctum; etſi enim per quamdam repræſentationem Sepulchrum Chriſti appelletur, glorioſum tamen eſſe debet, quemadmodum fuit verum Corporis Chriſti Sepulchrum, juxta vaticinium Iſaiæ cap. 11. 10. *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum*. Dum in Altari Sepulchri accenduntur luminaria, & Miniſtri parantur ad proceſſionem, in Choro diſtribuuntur Clero, & accenduntur candelæ ceræ albæ, accenduntur itidem intortitia pro Proceſſione.

Celebrans ut ſupra paratus mox 158
incedit per planum, manibus junctis,
& nu-

& nudo capite, medius inter Sacros Miniſtros tenentes hinc, & illinc de more Pluvialis fimbrias, & accedit ad medium Altaris, ubi omnes utroque genu procumbunt in plana terra, & profunde ſe inclinant, poſtea ſurgunt, & genufleƈtunt ſuper infimum Altaris gradum, & ibi parumper orant.

Alter Subdiaconus Cruciferarius, ut ſupra paratus, Crucem accipit, & medius inter duos Ceroferarios cum candelabris ardentibus, ſe conſtituit in plano ante Altaris medium, ibique ſtat facie verſa ad Altare ipſum, nec genuflexionem ullam, vel reverentiam faciunt; ſuccedunt portantes funalia hinc inde, qui una cum ſuſtinentibus, ſeu ferentibus Baldachinum, ſe conſtituunt ante Presbyterii fores.

Dum a Celebrante, & Miniſtris fit brevis oratio ut ſupra, accedunt cum debitis genuflexionibus duo thuriferarii, & Celebrans ſurgit cum Miniſtris ſacris, & nulla genuflexione facta SS. Sacramento, ſtans, miniſtrante Diacono ſine oſculis, imponit incenſum abſque benedictione in thuribulo primi thuriferarii, qui paululum recedit, cedens locum ſecundo thuriferario, in cujus thuribulo thus pariter imponit Celebrans ex priori navicula, quam propterea Diaconus apud ſe retinet. Hoc facto, ſecundus thuriferarius facta genuflexione accedit ad cornu Evangelii, ibique genuflexus in plano manet ad proceſſionis initium. Tum primus thuriferarius genuflexionem faciens, accedit ad Diaconum, a quo recipit ſuam naviculam, & eidem porrigit thuribulum, quod a Diacono traditur Celebranti, qui genuflexus cum ſacris Miniſtris ſuſtinentibus Pluvialis fimbrias, præmiſſa profunda inclinatione, ter incenſat Sacramentum, & repetita reverentia reddit thuribulum Diacono, & hic primo thuriferario, qui ſurgens, genuflexione facta, pergit ad cornu Epiſtolæ, & ibi manet genuflexus e regione alterius thuriferarii, utroque interim abſtinente ab incenſatione Sacramenti.

Mox inchoatur proceſſio, ſe vertentibus erga Eccleſiam Cruciferario, 159
& Ceroferariis nulla genuflexione, vel inclinatione præmiſſa, quos bini ſequuntur alii de Clero cum candelis accenſis, flectentes unicum genu, ut citius ſurgant, dum tranſeunt ante SS. Sacramentum; ſuo autem tempore ſuccedunt portantes funalia hinc inde. Interim Diaconus imponit Celebrantis humeris velum oblongum coloris albi, quod firmat aciculis, vel vittis ſericis, & quando proceſſio ita progreſſa eſt, ut eamdem Sacerdos quaſi ingredi debeat, Celebrans, & Miniſtri ſacri ſe erigunt, & Altare aſcendentes, idem Celebrans, & Subdiaconus genufleƈtunt in ſuppedaneo, Diaconus vero pergit uſque ad Altare ipſum, in cujus medio genuflexione præmiſſa unico genu ſine capitis inclinatione, ambabus manibus accipiens ipſum Calicem, hujus videlicet pedem cum ſiniſtra, & nodum cum dextra, ac vertens ſe per latus ſuum ſiniſtrum, ſeu per eam partem, quæ reſpicit cornu Evangelii, ſe convertit ad Celebrantem, & ſtans tradit Calicem eidem Celebranti, ut ſupra genuflexo, qui, ſiniſtra manu velo ſubmiſſa, accipit Calicem per nodum, & ponit dexteram ſupra Calicem, ſuper quam Diaconus extendit ambas extremitates veli humeralis, & mox in eodem loco genufleƈtit unico genu, Sacramentum ado-

adorans, & illico ſurgit, & accedit ad dexteram Celebrantis, ubi ſine genuflexione mox accipit, & elevat partem anteriorem pluvialis, Subdiacono accipiente, ac elevante alteram, & continuo ſe erigente cum Celebrante, qui cum ſacris Miniſtris aſcendit ſuppedaneum, ubi ex parte Epiſtolæ cum Sacramento vertit ſe ad populum, & cum eo itidem ita ſe vertunt Miniſtri ſacri, ut numquam reſpective relinquant dexteram, vel ſiniſtram Celebrantis.

260 Statim ac Celebrans converſus eſt ad populum, Cantores intonant hymnum *Pange lingua*: & Sacerdos præcedentibus duobus Acolythis cum thuribulis effumantibus, comitatus a ſacris Miniſtris ſuſtinentibus, ut ſupra, Pluvialis fimbrias, diſcedit ab Altari, & ſupponit ſe Baldachino coloris albi. Deſcendit autem ab Altari ſub Umbella coloris albi, vel ſaltem Baldachinum mediis haſtis ex porrigitur uſque ad Altare, ubi Presbyterium non eſt valde ſpatioſum: ne Sacramentum abſque honorifico tegmine per tale ſpatium deferatur. Quando autem Celebrans in Altari cum Sacramento vertit ſe ad populum, Clerus per proceſſionem genuflexus manet verſa facie ad Altare, & ubi per Cantores intonatur, ut ſupra, hymnus, ſtatim ſurgit, & præmiſſa genuflexione unico genu, graviter progrediens, proſequitur prædictum hymnum, neque primam ejuſdem ſtropham genuflexus concinit. Thuriferarii vero antequam procedere incipiant, tempore congruo imponent incenſum in thuribula, ut per proceſſionem valeant effumigare; procedent autem ante Baldachinum inter deferentes funalia, & Sacramentum, illud continue incenſantes uſque ad locum præparatum, ubi pro craſtino ſervandum eſt: ſcilicet, uſque ad locum Sepulchri; unde quoties thuribula non amplius ſumigant, eorumdem Acolythorum erit, novum thus in illa imponere. Sic autem incenſabunt, ut qui eſt a latere dextero, manu ſiniſtra, & qui eſt a latere ſiniſtro, manu dextera alternatim thuribula moveant, tractibus tamen longioribus erga Sacramentum productis: ſic enim & viam ei ſternunt, & ipſum quoque vere incenſant. Videri poteſt Decretum S. C. R. die 15. Septempr. 1742. editum in una Ordin. Eremit. Montis Coronæ, quod dabimus fer. V. poſt Dom. 1. Pentec. ſeu in feſto Corporis Chriſti ſect. 1. numer. 45. Baldachini haſtam primam, quæ eſt ante Celebrantis dexteram, ferat dignior; ſecundus alteram, quæ prima eſt ante Celebrantis ſiniſtram; tertius aliam, quæ immediate eſt ſub prima a parte dextera; quartus aliam, quæ ſuccedit primæ a parte ſiniſtra; quintus tertiam haſtam a parte dextera; ſextus tertiam a parte ſiniſtra; & ſic deinceps, ſi Baldachinum alias haſtas habeat. Ait Gavantus, convenire, ut hodie, & ſequenti die ab Eccleſiaſticis cum Pluvialibus deferantur haſtæ; quod ſi deſint Pluvialia, non ideo ſtolas aſſumant, Cottis tantum induti, ex Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *c.* 25. & 26. Verum quoad ſequentem diem de Pluvialibus ab Eccleſiaſticis induendis in ſimili functione, quid ex Decret. S. C. R. ſit ſtatuendum? notabimus ibi n. 244. Eremitæ Camaldulenſes Montis Coronæ videant ſup. cit. decretum pro ipſis emanatum in hac proceſſione ſervandum. Interea dum fit proceſſio, cantatur hymnus *Pan-*

Digitized by Google

Pange lingua : cujus quælibet prima ſtropha intonanda eſt per Cantores, ut evitetur diſſonantia in cantu; Sacerdos deferens Sacramentum non cantat, ſed cum ſacris Miniſtris præfatum hymnum, vel pſalmos alternatim ſubmiſſa voce recitat. Videri tamen poſſunt dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 3. n. 96. Interponitur pauſa inter unam hymni ſtropham, & alteram, habita ratione longioris, vel brevioris viæ ad Altare Sepulchri, & eo tempore non pulſatur Crotalum, ſeu tabula, & inſtrumentum ligneum, ex Caval. *to.* 4. *c.* 1. *in d.* 1. *n.* 4. & in d. 6. ſed uſus habet pulſari, qui non videtur improbandus, ſi pulſetur dum fit pauſa prædicta in cantu: præfefert enim pulſatio hujuſmodi inſtrumenti, neſcio quid lugubre, & excitat populum ad luctum, triſtitiamque devotam, tempori congruam, rituique præſenti. Si antequam perveniatur ad locum Sepulchri cantetur in Proceſſione ℣. *Tantum ergo Sacramentum*: omnes genuflectant verſus SS. Sacramentum, ſolis exceptis Cruciferario, & Ceroferariis, qui ſtantes tunc ſe ad illud tantummodo vertunt; Celebrans vero cum Miniſtris, & ii, qui deferunt Baldachinum, ſiſtant immoti. Cæterum ſatius eſt, (atque ita de more fit) repetere, quatenus opus ſit, unam, vel alteram ex præcedentibus ſtrophis, & duas ultimas hymni ſupradicti reſervare pro tempore repoſitionis.

161 *Proceſſio SS. Sacramenti, quæ in fer. V. majoris hebdomadæ fit ad Sepulchrum, & a Sepulchro ad Altare feria VI. non debet fieri extra Eccleſiam*. S. Congreg. Epiſc. & Regul. 6. Auguſti 1591. apud Caval. *to.* 4. *c.* 1. *d.* 6. & ſpeciatim pro Regularibus adeſt alterum Decretum, ex quo abſolute, & ſimpliciter: *Non poſſunt Regulares proceſſiones facere extra Eccleſiam in fer. V. in Cœna Domini*. S. R. C. 11. Decembr. 1613. in *Aretina*, apud Caval. *to.* 4. *c.* 19. *n.* 1. *d.* 2.

Cum ad Sacellum Sepulchri proceſſio devenerit, Cruciferarius, & Ceroferarii ſiſtunt ſe e regione Sacelli, aliquantulum recedentes e medio, & Clerus dividitur in duas partes, & ſtat hinc inde facie ad invicem converſa, uſque ad deventum Sacramenti, & tunc genuflectit utroque genu ante illud, & deinde manet genuflexus verſus Sacellum. 162 Thuriferarii, Miniſtri, & Celebrans cum Baldachino tranſeunt per medium Clerum, ut ſupra genuflexum, & ingrediuntur Sacellum, exceptis haſtiferis, qui ſe ſiſtunt ad januam, ſeu introitum ejuſdem Sacelli; & depoſito Baldachino, genuflexi manent utroque genu. Ad ingreſſum Sacramenti in Sacellum, præſto erit Umbella, & ſtatim ac ingreſſum eſt, Cruciferarius, & Ceroferarii ſe collocabunt e regione Sacelli, in medio gyri, illum claudentes, & numquam genuflectent, neque quando pertranſit Sacramentum; Ubi autem Sacellum foret ſpatioſum, & commodum, Clerus collocari poſſet, ac genuflectere intra ipſum Sacellum. Caval. *tom.* 4. *cap.* 1. *in d.* 7. *n.* 1. Celebrans cum Subdiacono ſe ſiſtit in plano ante infimum Altaris gradum, Diaconus vero aſcendit ad ſuppedaneum, ubi genuflexus verſis renibus ad cornu Epiſtolæ, prius e Calice removet extremitates veli humeralis, & poſtea a Sacerdote ſtante recipit ipſum Calicem, quo accepto,

manens genuflexus tantillum expectat, donec idem Celebrans, & Subdiaconus genuflexi in infimo Altaris gradu Sacramentum adorent cum profunda reverentia; qua facta, e Celebrantis humeris per aliquem Miniſtrum removetur velum humerale, & Diaconus mox ſurgit, & deponit Calicem *primo ſuper Altare:* juxta Rubr. Miſſ. vel melius juxta Cæremon. Epiſcoporum, *deponet ſuper Altari in loco præparato:* hoc eſt, in Sepulchro, ſeu Capſula præparata ſuper Altare; quam tamen tunc non claudit, ſed illico genuflectens unico genu, deſcendit, & genuflectit in infimo Altaris gradu ad dexteram Celebrantis, & ſtatim Cantores intonant verſum: *Tantum ergo:* ſi per viam non fuerit in Proceſſione cantatus; alias verſum: *O Salutaris Hoſtia:* Clero proſequente de more cætera, interim manentibus omnibus genuflexis per totam primam Stropham, poſt quam, ſeu dum cantari incipitur: *Genitori:* vel *Uni trinoque:* ſurgit Celebrans cum Miniſtris ſacris, & imponit incenſum in altero ex thuribulis ſine benedictione, & miniſtrante Diacono ſine oſculis. Mox genuflectunt omnes, & Celebrans ter incenſat Sacramentum, Miniſtris ſacris elevantibus Pluvialis fimbrias, & una cum Celebrante ſe profunde inclinantibus ante, & poſt incenſationem; qua abſoluta, illico Diaconus aſcendit Altare, etiamſi nondum expletus eſſet hymnus; genuflectit unico genu, accipit Calicem, & reponit in Capſula, quam clavi obſerat, eamque removet; & quatenus Calix præcedenter poſitus fuerit in Capſula, hanc dumtaxat claudit. Caval. *in cit. d. 7. a n. 2.* Merat. *tom. 1. par. 4. tit. 8. n. 16.*

Porro Calix cum Hoſtia reponitur in Capſula, non enim videndus eſt a populo, & multo minus Hoſtia patere populo debet, & *Non eſt toleranda conſuetudo quorumdam, qui contra id, quod præſcribitur in Miſſali, exponunt patenter Hoſtiam conſecratam reſervandam a feria V. in Cœna Domini uſque ad ipſius conſumptionem in fer. VI. in Paraſceve.* S. R. C. 19. Febr. 1705. in una Cappuccinor. Gall. apud Caval. *tom. 4. c. 1. d. 7.* Clauſa Capſula, Diaconus genuflectit iterum unico genu, & regreditur ad Celebrantis dexteram, & ibi manet genuflexus. Hoc facto, omnes brevi orationi vacant, & interim colliguntur Cerei, extinguuntur, & exportantur. Caval. cit. d. 7. n. 4. & 5.

Clavis Hoſtiæ repoſitæ in fer. V. Cœnæ Domini non debet dari laico quantumvis nobili. S. R. C. 30. Januar. 1610. in *Pacen.* Apud Caval. *tom. 4. cap. 1. d. 8.* Cenſet Gavant. *par. 4. tit. 8. litt. t.* ei, qui ſequenti die celebrare debet, tradendam, idque approbat Caval. dummodo inde minime intelligatur vetitum, apud Sacriſtam, vel Eccleſiaſticum Eccleſiæ Præſidem, aut alium Sacerdotem aſſervari; ſubditque, ſe minime dubitare, diſpoſitionem allegati Decreti trahendam etiam eſſe ad clavem Tabernaculi, in quo per annum aſſervatur SS. Sacramentum; cujus opinio, ſaltem ex parte, confirmatur ex La-Croix, qui *lib. 6. part. 2. qu. 47. §. 5. n. 349.* allegat Decretum S. C. 22. Febr. 1593. in quo declaratum fuiſſe ſcribit: Claves Tabernaculi nec relinqui debere in Sacriſtia, nec a laico ſervari, ſed a ſolo Sacerdote. Quod autem in Decreto hujuſmodi dicitur: Claves 163

V 2 præ-

prædictas non eſſe relinquendas in Sacriſtia: intelligo, *expoſitas*, non item ſi reſerventur, & cuſtodiantur in aliqua Arca clauſa ſimiliter cum clavi, quæ Arca forte ſit in Sacriſtia.

164 Facta ad pedes Altaris a Celebrante, & Miniſtris brevi oratione ut ſupra, ſurgunt omnes, & genuflectentes unico genu, recedunt ordine, quo venerant; ſed thuriferarii incedent ante omnes, etiam ante Crucem ipſam. Celebrans cum Miniſtris omnibus pergit in Sacriſtiam, ut inde procedat ad denudationem Altarium, de qua ſubſ. ſequenti; Clerus vero pergit in Chorum ad recitandas Veſperas, in quem peragere item poteſt Celebrans ipſe cum Miniſtris, quatenus Clericorum numerus fuerit minus copioſus. Caval. in cit. d. 7. nu. 5. Ubinam non liceat expoſitio Sepulchri prædicti, ſeu prædicta aſſervatio, & expoſitio Euchariſtiæ feria V. in Cœna Domini? diximus Subſ. 4. §. 3. An liceat Parocho habenti plures Parochias, erigere Sepulchrum in ſingulis? examinabimus ſubſ. ſeq. n. 170.

SUBSECTIO VI.

De Altarium Denudatione.

165 PROCESSIONE ſoluta, *poſtea in Choro dicuntur Veſperæ ſine cantu; & Sacerdos cum Miniſtris denudet Altaria*. Rubr. Miſſ. hic. Dicuntur Veſperæ ſine cantu, & demiſſa, ſed intelligibili voce; quo tempore, juxta Biſſum, in Altari ardent duæ Candelæ; ſed juxta Bauldry, cui potius adhæret Meratus *to.* 1. *part.* 4. *tit.* 8. *nu.* 16. accenduntur ſex. Vide dicta hoc c. 8. art. 3. Sect. 1. n. 15. Completis Veſperis, datur ſignum cum tabula, ſeu Crotalo pro ſalutatione Angelica, ad quam genuflectent omnes, & perſoluta ſolita oratione, ſurgunt, & unico genu facta Cruci Altaris genuflexione, recedunt. Caval. *to.* 4. *c.* 16. *comment. decr.* 11. fine. Merat. *to.* 1. *part.* 4. *tit.* 8. *n.* 17. *prope finem*.

Dum autem in Choro dicuntur 166
Veſperæ, e Sacrario exit Sacerdos aliquis in Cotta, & Stola alba, & accedit ad Altare, in quo recondita latet Pyxis cum particulis conſecratis: genuflectit, & ab Acolytho ſuperindutus velo oblongo coloris albi, aſcendit ad Altare, & cum debitis genuflexionibus aperit Tabernaculum, accipit Pyxidem, & præcedentibus duobus, aut quatuor Acolythis cum facibus ardentibus defert Sacram Pyxidem in Sacellum, aut Capellam ab Eccleſia ſeparatam, vel in Sacrarium, illam recondendo in aliquo Tabernaculo ibi exiſtente; relicto oſtiolo Tabernaculi, in quo aſſervari ſolebat, aperto, ut populus videat, non adhuc exiſtere ibi Sacramentum, atque adeo non adoret ibi, quod amplius non adeſt, ſed alio eſt aſportatum: ut monet Gavantus *par.* 4. *tit.* 8. *n.* 20. Qui tamen non eſt ſequendus in eo, quod ibidem docet: prædictas nimirum particulas deferendas eſſe ad locum, ubi reſervata fuit Hoſtia conſecrata, ſcilicet ad Altare, ubi eſt Sepulchrum; etenim S. R. C. declaravit: quod *In feria VI. in Paraſceve Parochus, dum e domo infirmorum redit cum Sacramento, non debet hoc recondere in publica Eccleſia*. S. R. C. 15. Maji 1745. apud Caval. *to.* 4. *d.* 9. vide dicenda in ſequent. ſer. VI. Subſ. 6. nu. 273. Hinc autem infertur quod

par-

Digitized by Google

particulæ prædictæ, quæ pro Infirmis, ſi opus fuerit, reſervari mandantur, ponendæ non ſint, nec aſportandæ in capſulam, in qua repoſitus fuit calix cum SS. Sacramento, nec in alio Eccleſiæ loco aſſervandæ, ſed recondi eæ debeant extra Eccleſiam ut ſupra; confer Merat. *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 8. *n.* 16. §. *Dum dicuntur*. Hoc autem ideo ſtatutum fuiſſe, exiſtimat Caval. l. cit. n. 1. ne Sacramentum in publica Eccleſia reconditum, ſibi aſſervato in Sepulchro venerationem minuat, quam hac die ſpecialiter exigit; aut ne ſimiliter in Capſula Sepulchri repoſitum, functionem, & myſteria perturbet, ſi forte ad Infirmos deportari contingat.

Veſperarum item tempore per duos Cappellanos cum Stolis coloris, ut videtur congruentius, violacei, & cum duobus Acolythis lumina geſtantibus, ex Altari majori transferuntur in Sacriſtiam Sanctorum Reliquiæ, ſi quæ ſuper eodem inter candelabra fuerint diſtributæ. Caval. *in cit. d.* 9. *n.* 3.

Aſportatis Reliquiis, lampades, & Cerei, ſi qui ſint per Eccleſiam accenſi, extinguuntur, ſolum illis relictis accenſis, qui ardent ad Altare Sepulchri, & ad Altare majus pro Veſperis. Caval. n. 4.

167 Denudatio Altarium eſt ritus ab Eccleſia hodie præſcriptus, ut in ſupra allegata Rubrica; ex ordine Roman. antiquo Altaria denudanda ſunt, dum in Choro dicuntur Veſperæ; ex præſenti etiam Rubrica videri dicendum: Altaria denudanda eſſe, dum Veſperæ recitantur, ait Gavantus n. 10. ſubdit tamen, Alcuinum, (*c. de Cœna Domini fine;* cui adde Durandum *in Ration. lib.* 6. *nu.* 76. *initio*) velle, poſt Veſperas denudari: quia Veſpere nudatus fuit Chriſtus Diſcipulis ſuis; Item finitis Veſperis denudationem Altarium faciendam mandat Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *c.* 23. ut notat Meratus *to.* 1. *part.* 4. *tit.* 8. *n.* 17. *initio*; & juxta Cæremoniale intelligendam eſſe Rubricam, docet Caval. num. 5. fine; & quidem cum Cæremoniali communiorem uſum Eccleſiarum Urbis explicare Rubricam, refert ipſe Gavantus. Poſt Proceſſionem itaque, dum in Choro dicuntur Veſperæ, depoſitis paramentis albis, Sacerdos ſuper Albam induit ſolam Stolam violaceam in modum Crucis; Diaconus Stolam ſimiliter violaceam, ſed conſueto ſibi more, tranſverſam, & Subdiaconus remanet in ſola Alba; & circa Veſperarum finem hoc ordine procedunt ad Altare majus. Præcedit thuriferarius, ſeu unus Acolythus abſque thuribulo, poſtea Ceroferarii, ſeu Acolythi duo ſine Candelabris, deinde Cæremoniarius ſine baculo; omnes nudo capite, & junctis manibus; ſequitur Subdiaconus, poſtea Diaconus, & ultimo Celebrans; hi tres omnes tecto capite, & unus poſt alium. Cum ad Altare devenerint, caput detegunt, & genuflectunt omnes Cruci unico genu præter Celebrantem, qui tantum ſe profunde inclinat, & idipſum faciunt ſacri Miniſtri, ſi fuerint Canonici; recole dicta hoc c. 8. art. 3. n. 10. Deinde Sacerdos cum ſacris Miniſtris aſcendit ad Altare, ubi incipiens denudationem, ſimul incipit mediocri voce, & ſine cantu Antiphonam *Diviſerunt*, quam omnes de Choro ſtantes eadem voce terminant, ſeu integram recitant, & poſtea alternatim dicunt Pſalmum *Deus Deus*

meus:

meus : poſt quem repetunt Antiphonam, & idipſum præſtat humiliori voce alternatim Celebrans cum ſacris Miniſtris; cum quibus interim denudat Altare, primo amovens tobaleam ſuperiorem, mox alias, tum pallium, & alia ornamenta, relicta tamen Cruce cum candelabris ſuper Altare; quo denudato, pergit ad alia denudanda, a quibus dumtaxat amovet, quæ ab Altari majori diximus amovenda: Acolythis omnia in Sacriſtiam aſportantibus. Id tamen præ cæteris habet Altare majus, ſeu Altare, in quo celebrata eſt hodierna Miſſa ſolemnis, quod ejuſdem Crux ab Acolythis tegenda erit velo violaceo uſque ad ſequentem feriam, & iterum collocanda inter Candelabra. A prædicto item Altari majori per Acolythos amovebuntur vaſcula florum, tapetia, & Credentia ipſa, cum omnibus, quæ deſervierunt ad Miſſam: ad quæ præſtanda, aliorum item auxilium vocari poterit, ut illi citius expediantur. E Tabernaculo, in quo ordinarie Sacramentum aſſervatur, per Acolythos amoveatur, Conopæum, & nullo alio Tabernaculum veſtiendum erit: niſi tegendæ forent ſtatuæ, ſeu Imagines prædicti Tabernaculi, quo caſu Tabernaculum Conopæo violaceo tegendum erit. Idipſum dicendum de Tabernaculo Altaris majoris, in quo celebrata eſt Miſſa ſolemnis, cujus Conopæum, cum ſit album ratione Miſſæ, tunc amovendum erit, & quatenus aliud apponendum ſit, erit coloris violacei. Si ante perfectam denudationem Altarium finiatur pſalmus, non propterea erit repetendus, congruum tamen eſt, talis cautela ſervetur, ut tum a Choro, tum a Celebrante ſimul cum denundatione finiatur. Quod ſi ſit valde copioſus Altarium numerus, eodem tempore, quo Celebrans denudat Altare majus, alii Sacerdotes Cotta, & Stola violacea induti, alia altaria denudare poſſunt, recitando pſalmum eumdem. Caval. *in cit. d.* 9. *a n.* 6. *ad* 9. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 8. *nu.* 17. Nudata manent Altaria uſque ad mane Sabbati Sancti. *Ord. Rom.* Hæc autem Altarium nuditas ſignificat Chriſtum paſſionis tempore ſpoliatum ſuis Diſcipulis, ut ſupra innuimus ex Durando, & Alcuino, quibus adde Amalarium *de Eccl. offic. l.* 1. *c.* 12. fine. Beleth *de divin. offic. cap.* 104. Honor. *in Gem. l.* 3. *cap.* 86. Hug. Victor. *l.* 3. *de ſpecial. Miſſar. obſervat. c.* 19. Item Chriſtum paſſionis ſuæ tempore amiſiſſe ſpeciem, & decorem. Rupert. *l.* 5. *c.* 30. Durand. *l.* 6. *c.* 76. *n.* 3. Et in Crucifixione exſpoliatum veſtimentis ſuis, atque hæc fuiſſe diviſa inter Milites. Raban. Maur. *Inſtit. Cleric. l.* 2. *c.* 37. Rupert. loc. cit., & aperte etiam innuit Antiphona: *Diviſerunt*. Conſequenter Templum exſpoliatum manet ornamentis ſuis, ad indicandum luctum Eccleſiæ ob paſſionem, & mortem Chriſti Domini Sponſi ſui. Cur lampades, quæ ante Altare lucent, extinguantur? habes ex dictis n. 26.

In quibuſdam Eccleſiis hodie conſueverunt lavari Altaria, parietes Eccleſiæ, & pavimentum; ex Ordine Rom. tit. *de Offic. divin. a Cœna Domini*: ad ſignificandum, quod Chriſtus Dominus hodie lavit pedes Diſcipulorum ſuorum, ut interpretantur S. Iſidorus Hiſpal. Epiſc. *de eccl. offic. l.* 1. *cap.* 28. & alii apud Benedict. XIV. *de feſt. Dom. cap.* 6. §. 5. ubi agit de hujuſmodi conſuetudine. Quæ tamen ratio non placet Cavalerio 168

rio *tom.* 4. *c.* 1. *in d.* 9. *nu.* 10. eo quod lotio prædicta commemoratur a Mandato, ſeu lotione pedum de qua Subſ. ſeq. unde ipſe putat, id eſſe ſymbolum unctionis Chriſto exhibitæ a Magdalena diebus duobus ante mortem. Ali autem lavabant Altaria aqua in fer. VI. de qua conſuetudine agit Rupertus *l.* 5. *c.* 31. & per eam ſignificata fuiſſe, dicit, ſanguinem, & aquam, quæ Chriſtus a latere ſuo lanceatus effudit in fer. VI. Videri poteſt Joannes Chriſtophorus Batiellus *de ritu ann. ablut. Altar.* Qui tamen putat probabile, quod hujuſmodi mos ab initio potius ad munditiem fuerit inſtitutus, quam ad aliquod myſterium indicandum; hoc autem potiſſimum tempore, quia cum ex vetuſtiſſimo ritu detineantur Altaria ſpoliata, nullum ſane aderat tempus aptius, atque commodius, ipſis Altaribus detergendis, atque lavandis. Uſus attamen, qui alicubi eſt, amovendi aquam benedictam e vaſis Eccleſiæ, quam ſit proſcribendus, oſtendit breviter Caval. in cit. d. 9. nu. 11. rationibus deſumptis ex aliis apud Merat. *tom.* 1. *p.* 4. *tit.* 8. *n.* 16.

169 Nota hic: quod *Permitti poteſt, ut Statua B. M. V. velo nigro circumdata in nocte Feriæ V. in Cœna Domini cum Jeſu Domino filio mortuo in gremium depoſito, in Eccleſia exponatur; & ſequenti fer. VI. in mane proceſſionaliter cum Pluvialibus nigris deferatur.* S. C. R. 21. Martii 1744. in *Bergomen.* apud Caval. *to.* 4. *c.* 18. *d.* 10. Fit permiſſio, ut prædicta ſtatua exponi poſſit, & in Proceſſione deferri in habitu nigro, velo minime tecta, quamvis Imagines tempore Paſſionis tegi, & velari debeant, ut dictum eſt in Sabb. ante Domin. Paſſ. Sect. 3. Vid. Cav. l. cit. n. 8. An autem extra hujuſmodi occaſionem, feriaſque prædictas Statua B. M. V. repræſentans dolores ejus ob paſſionem, & mortem Filii ſui poſſit indui habitu nigro? Vid. Caval. *loc. cit. a n.* 3. *ad* 6. Pluvialia nigra in dicta proceſſione permittuntur ratione Statuæ repræſentantis Chriſtum mortuum; aliter adhibenda eſſent Pluvialia alba, qui color a Rubricis adſcribitur B. Virgini. Vid. Caval. loc. cit. num. 7.

Qu. Cum aliquando concedatur Parocho habenti duas, vel plures Parochias, poſſe in ſingulis uno, & eodem die celebrare, accedente judicio, & facultate Epiſcopi; de qua re diximus tr. 1. l. 1. c. 2. num. 8. 170
Qu. hic: Utrum in feria V. Cœnæ Domini hujuſmodi Parochus poſſit celebrare, & erigere Sepulchrum in ſingulis Parochiis?

Id abſolute affirmarunt aliqui: neque obſtare quod in primo Officio feriæ VI. celebrato in una Eccleſia ſumpſerit hoſtiam conſecratam cum vino non conſecrato, ut fert Cæremonia hujus diei; ex quo non invenitur amplius jejunus in ſecundo Officio celebrando in alia Eccleſia: quia ajebant, neque Parochiani privandi ſunt Officio tam ſolemni; neque Officium ipſum aliter celebrare licet, quam ſervata cæremonia illa ſumendi hoſtiam ſimul cum vino.

Alii rurſus affirmarunt; ſed tamen negarunt poſſe hujuſmodi Parochum ſumere vinum in primo Officio: ſcilicet ne ex fracto jejunio impediatur celebrare Officium, & ſumere Hoſtiam conſecratam in altera Eccleſia; ajebant enim hi, cæremoniam ſumendi vinum ſimul cum Hoſtia non eſſe eſſentialem. Sic Joann. Præpoſitus apud

apud Dian. *tom.* 2. *edit. coord. tr.* 1. *Reſol.* 93. & Garzias apud eumd. l. cit. §. 9.

Tertio negarunt alii; addentes tamen, quod ſi Parochus ex inadvertentia, vel ignorantia erexerit Sepulchrum in utraque Eccleſia in feria V. poſtea in fer. VI. advertendo, vel diſcuſſa ignorantia, complere poterit Officium in utraque Eccleſia: dummodo in priori abſtineat a vino, & ſumat ſolam Hoſtiam, ad ſervandum jejunium neceſſarium pro altera conſummatione. Atque ita Suarez, citatus a Benedicto XIV. *de Miſſ. Sect.* 2. *cap.* 1. §. 4. Rodriqu. Franciſcus De-Lugo, Diana loc. cit.

171 Sed quarta vera, & prorſus tenenda ſententia negat abſolute; addens, quod ſi Parochus inadvertenter in utraque Eccleſia reſervaverit Corpus Chriſti in Sepulchro, feria V. tum in ſequenti feria VI. celebrato Officio cum ſolitis cæremoniis & rubricis in prima Eccleſia; in ſecunda omnino private deponat a Sepulchro Euchariſtiam, & reponat in Pyxide. Ita Silvius 3. *par. qu.* 83. *quæſt.* 18. quem ſequitur Benedictus XIV. *Conſtit. declaraſti; & cit. Opuſc. de Miſſ.* & alii communiter.

Et ratio eſt: quia facultas illa non datur tali Parocho niſi pro caſu veræ & urgentis neceſſitatis, ad commodum Parochianorum in adimplementum præcepti auſcultandæ Miſſæ in die feſto, & ſervata ſemper conditione jejunii: uti diximus *tr.* 1. *l.* 1. *c.* 2. *num.* 8. & rurſus ſub die 25. Decembr. n. 25. & 26. ubi negavimus idcirco, poſſe talem Parochum celebrare in die Nativitatis tres Miſſas in una, & tres item in alia Eccleſia: quia ſcilicet non datur præceptum fidelibus auſcultandi tres Miſſas in die Nativitatis, ſed una ſufficit pro præcepto. Cum ergo in caſu præſenti nulla ſit neceſſitas, ut Parochiani alterutrius Parochiæ, ſeu Eccleſiæ interſint Officio feriæ VI., nullibi enim extat tale præceptum (V. ſup. nu. 58.) neque poterit uti illo privilegio cum violatione jejunii, quæ neque permittitur, urgente præcepto; aut cum omiſſione Cæremoniæ in hac die graviſſimæ, qualis eſt miſcendi vinum non conſecratum cum Hoſtia conſecrata. Ex quibus evaneſcunt fundamenta cujuſcumque ſententiæ in contrarium.

Propoſitæ quæſtionis occaſione nota; quod Epiſcopus duarum Eccleſiarum non poteſt in utraque Eccleſia celebrare Officia horum dierum; 172
ſed alternatim uno anno in una, & altero anno in altera. Quare cum Archiepiſcopus Syponti (hodie vocant Manfredoniam) obligatus eſſet in Eccleſia Sypontina hodie celebrare, & conficere Chriſma, quamvis deberet in Eccleſia Garganica recipere peregrinos, ideoque cum Clerus, & Populus compelleret ad hic prius celebrandum, Honorius III. C. *Te referente de Celebr. Miſſ.* ſic decrevit: *Cum cuilibet Sacerdoti, quacumque Dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Miſſam ſufficiat; nam & valde eſt felix, qui celebrat digne unam: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus die Cœnæ Domini in Eccleſia Sypontina dumtaxat, qua teneris Chriſma conficere, Miſſarum ſtudans ſolemnia celebrare*. Vid. Bened. XIV. ſupra cit. Conſtit. *Declaraſti*.

SUB-

Digitized by Google

SUBSECTIO VII.

De mandato, ſeu lotione Pedum.

173 POST *denudationem Altarium hora competenti facto ſigno cum tabula, conveniunt Clerici ad faciendum mandatum &c.* Rubr. Miſ. hic. Chriſtus Dominus, & Magiſter noſter in ultima Cœna, pridie quam pateretur, antequam tranſiret de hoc mundo ad Patrem, diſcipulorum ſuorum pedes lavit; monuitque deinde: quod ſi ipſe Dominus, & Magiſter ipſis Diſcipulis ſuis lavit pedes, debebant & ipſi alter alterius lavare pedes, ſcilicet major minoris; Superior inferioris, & ſubditi: & idcirco appellatur Mandatum.

Licet autem nullum inde rigoroſum præceptum impoſuerit, quemadmodum nec Sacramentum inſtituit per hujuſmodi factum: Vid. La-Croix *lib. 6. par. 1. q. 1. §. 1. n. 3. & nu.* 80. §. 1. *nu.* 437. ſed merum conſilium dederit; imo nec lavare diſcipulos ſuos, cæteroſque fideles alterutrum pedes, ſimpliciter, & directe exegerit; ſed illud pro exemplo poſuerit quodam humilitatis exercendæ; & charitatis ad invicem exhibendæ: quidquid in contrarium ſignificent Joannes Beleth *de divin. offic. c. 9.* & Durand. *in Ration. lib. 6. c. 75. n. 6.* qui tamen intelligi poſſunt de locis, in quibus tale præceptum extitit, ac viguit aliquando; ut quidem latum fuiſſe in Concilio Toletano XVII. can. 3. an. 694. refert Benedictus XIV. de feſtis Domini c. *6.* §. *6.* Nihilominus Domini, & Præceptoris noſtri exempla pro modulo noſtro ſectantes, & conſilium quodque excipientes æque ac mandatum, eodem mirabili actu, ac ſtupendo exercitio, quo ipſe in ultima Cœna humilitatem, & charitatem nos docuit ad invicem exercendam, nos hodierna die Cœnam illam Dominicam recolentes, ad invicem exercemus; alter alterius lavando pedes, major minoris, ſuperior inferioris, & ſubditi. Inde factum eſt, ut hodiernam lotionem pedum, placuerit jam olim appellare *Mandatum*. A prima quoque Antiphona incipiente: *Mandatum novum;* quæ in hac functione recitatur, lotionem pedum appellari *Mandatum:* habet Gavantus n. 14. litt. x. Caval. *to. 4. c. 1. in d.* 10. *nu.* 2. & Mazzinelli apud Benedict. XIV. *de feſt. Dom. c. 6. §. 5.*

De hoc Mandato meminit antiquus Ordo Romanus, ubi etiam ritus, illud perficiendi, deſcribitur. Item ablutio pedum habetur apud Auguſtinum *Epiſtol.* 119. *ad Januar. cap.* 18. & apud Auctorem libri *de Cardinalibus Chriſti operibus*, ſub nomine Cypriani, Serm. *de ablutione pedum*. Hujuſmodi vero ſatis laudabilem conſuetudinem Sanctum Gregorium ſuo firmaſſe decreto, ſcribit Alph. Villegas *in Flor. Sanctor.*

Qu. I. Ad quem hodie per ſe ſpectet lavare pedes? 174

℟. Ex Rubrica Miſſalis Romani ablutio pedum hodie ſpectat ad Prælatum, ſeu Superiorem: de hac enim ablutione agens ait: *Prælatus, ſeu Superior ſingulorum pedes lavet*. Abſente autem, vel nolente, vel impedito Superiore, non convenit hujuſmodi ablutionem omitti, ſed per alterum exerceri; nec neceſſe eſt, quod ſemper ſit proprius Prælatus, qui abluat pedes, ſed poſſe id per quemcumque alium, colligitur ex eadem Rubrica Miſſalis ſic habente: *Poſt lotionem Superior, vel qui aliis abluit* pedes,

pedes, lavat manus, abſtergit alio linteo &c. Licet itaque Ritus hic a Superiore congruat adimpleri, ipſo tamen abſente, ſive nolente, ſeu impedito, poteſt alter ſingulorum pedes lavare, qui illius vicem gerat, dummodo ſit Sacerdos. Non quod hodierna pedum ablutio a Sacerdotali omnino præſtanda ſit dignitate; nam nec ſacrum ordinem exigit, & a fidelibus quoque Laicis fieri conſueviſſe in Eccleſiis, ſignificat vulgatus Alcuinus cap. *de Cœna Domini prope finem*. Et licet S. Bonifacius Epiſcopus Moguntinus dubitaverit, teſte Bened. XIV. *de feſtis Dom. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 51. utrum Monialibus, atque adeo mulieribus licuiſſet in die Cœnæ Domini alteram alterius lavare pedes? cum tamen de hoc conſuluiſſet Zachariam Summum Pontificem, hic affirmative reſpondit, dicens: Sanctimonialibus æque ac Viris licere hac die lavare pedes. Rurſus in vita Sanctæ Berthæ Abbatiſſæ Ordinis Vallumbroſani, apud Bollandiſtas die 20. Martii legitur, eam hac feria V. Cœnæ Domini conſueviſſe Monialium ſuarum lavare pedes. Similiter in vita Sanctæ Eliſabeth Reginæ Portugalliæ habetur, quomodo & ipſa, quotannis hac eadem Feria laverit pedes pauperibus quibuſdam mulieribus. Profecto Apoſtolus Timotheum Epiſcopum inſtruens; inter alia indicia, quæ illi tradit, pro dignoſcenda, quæ ſit religioſa, & Sancta Mulier Vidua, præſcribit inquirere, *ſi Sanctorum pedes lavit*. 1. Ad Timoth. 5. 10. Hoc eſt pedes fidelium ex religioſa charitate fraterna, & ad exemplum Chriſti. Decentiæ vero, & honeſtatis gratia, id a mulieribus præſtandum minime erit coram Viris, ſed ſecreto, & inter ſe, quemadmodum a Monialibus intra earum clauſtra fieri conſuevit. Etſi autem hodierna lotio pedum per Dignitatem non omnino oporteat fieri Sacerdotalem; nihilominus eo ritu, & ſolemnitate, quibus juxta Rubricas Miſſalis Romani fieri debet in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, & Regularibus virorum, oportet, ut ſit Sacerdos, qui eam exequatur, cum utatur in ea veſtibus Sacerdotalibus, Miniſtriſque Diacono, & Subdiacono, ut inferius dicemus.

In Eccleſiis Cathedralibus hodierna pedum ablutio ſpectat ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos, qui quidem primo loco veniunt nomine Prælatorum, ut patet ex C. *Decernimus*. 2. *De Judiciis*. Epiſcopiſque hanc competere actionem, expreſſe decernitur in Rituali, quod *Ordo Romanus* inſcribitur, ubi ſic legitur: *dicta oratione Epiſcopus ponat veſtimenta ſua, & præcinctus linteo præparet ſe ad lavandos pedes Diſcipulorum ſuorum*. Idem ſtatuitur in Cæremoniali reformato a Clemente VIII. cap. 24.

Deficiente, vel nolente Epiſcopo, pedum lotio in Eccleſiis Cathedralibus ſpectat ipſo jure, (quin Epiſcopus alium delegare poſſit) ad Decanum, ſive ad eum, qui toti præeſt Capitulo, ſeu ad primam Dignitatem. Conſtat id ex Jure Canonico, & ex variis S. C. R. Decretis, & videre eſt apud Quintanadvennas *to.* 2. *ſingul. tr.* 7. *de celebr. Miſſ. ſingul.* 41. *a nu.* 3. In abſentia primæ Dignitatis, aut ea impedita, ſive nolente, pertinet ad ejus Coadjutorem, ſi forte habeat, dummodo ſit Sacerdos juxta ſupradicta: ut oſtendit Quintanadvennas *l. cit. ſingul.* 42. Si ſimiliter ejus Coadjutor ſit impeditus

aut

aut nolit, ſpectat ad Dignitatem ſequentem, ipſo jure, abſque ulla delegatione abſentis, nolentis, ſive impediti, quæ illi denegatur; & ſic ſucceſſive de aliis; ut ex Decretis, & deciſionibus S. C. R. oſtendit Quintanadvennas loc. cit. *ſingul. ult.* Idem proportione ſervata de aliis Eccleſiis Collegiatis, Parochialibus, vel Regularibus, in quibus hæc ablutio fieri ſolet, ſentiendum eſt.

Hactenus dicta intelligenda ſunt, niſi inveterata conſuetudo temporis decurſu, & Prælatorum ſcientia, & conſenſu confirmata perſeveret, ex cujus vigore hæc, & ſimiles functiones aliis perſonis, ſive ex Dignitatibus, ſeu Canonicis, aut Portionariis, ſive ex aliis Sacerdotibus non Capitularibus in aliquibus Eccleſiis competant; tunc enim conſuetudini ſtandum erit; tum quia Pontificum mens non eſt, particularium Eccleſiarum in hac, & ſimili materia legitimas conſuetudines abrogare, aut jura caſſare; unde Gregorius Pontifex Epiſt. ad Natalem Epiſcopum, & affertur *C. Quod vero* 10. 25. *qu.* 2. inquit: *Abſit a me ut ſtatuta Majorum Conſacerdotibus meis in qualibet Eccleſia infringam: quia mihi injuriam facio, ſi fratrum meorum jura perturbo.* Ita Pontifex. Tum quia ſic pluries decrevit eadem S. C. R. ut videre eſt apud Quintanadv. *loc. cit. Singul. ult. num.* 7.

175 Qu. II. Quibuſnam abluendi ſint pedes?

℟. Rubrica Miſſalis ſuperius allegata indicat abluendos pedes ſubditis, ſeu inferioribus ab eo, qui in qualibet Eccleſia, ſeu communitate eſt Superior, ſeu Dignior. Et ratio eſt evidens, ut nimirum repræſentetur factum Chriſti.

Ex variis Romanis Ordinibus conſtat, Romanum Pontificem conſueviſſe lavare in hac feria pedes duodecim Subdiaconis, aut Diaconis; vel duodecim, aut tredecim pauperibus Sacerdoribus, aut etiam laicis. Videri poteſt Meratus *to.* 1. *part.* 4. *tit.* 8. *nu.* 26. Bened. XIV. *de feſtis Dom. c.* 6. §. 6. Qui item referunt, Romanum Pontificem hac noſtra ætate ſolere lavare hodie pedes tredecim Sacerdotibus pauperibus.

Prædictum Romanum morem ſequuntur aliæ quædam Eccleſiæ, in quarum aliquibus lavantur hodie pedes pauperibus duodecim; in aliis vero pauperibus tredecim: quibus etiam ſolet Cœna magna parari ad repræſentandam Dominicam Cœnam; & numerum quidem duodenarium facile intelligitur poni pro duodecim Diſcipulis, quibus ipſe Chriſtus lavit hodie pedes. Non adeo tamen facile eſt invenire rationem numeri tredecim abluendorum, cæteroqui præſcripti ex Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 24. varii etenim varia, quorum opiniones videri poſſunt apud laudatum Merat. l. c. & Benedict. XIV. loc. cit. verſus finem, qui veriſimilius putat, quod numero duodenario poſito, ut dictum eſt, pro duodecim Apoſtolis, addatur decimus tertius pro Angelo, qui in figura pauperis apparuit inter duodecim illos pauperes, quos S. Gregorius Magnus paſcebat quotidie. Confer. Merat. *loc. cit. fin.* Caval. *to.* 4. *c.* 1. *in decret.* 10. *n.* 8.

Verum nota hic: quod animadvertit Rupertus *cit. l.* 5. *c.* 22. ubi hæc habet: *Mandatum, quod agitur inter pauperes* (hoc eſt pedes lavare pauperibus:) *non omnino ejuſdem rationis eſt* (cum illo mandato, quod agitur,

inter Subditos per Prælatos, & Superiores ſuos; *Illud enim Chriſti, hoc Eccleſiæ eſt; illud diei præſentis, hoc præteriti ſpectat hiſtoriam Sabbati. Sabbato namque, quando venit Dominus Jeſus in Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem ſuſcitavit; Maria accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes Jeſu, & exterſit capillis ſuis pedes ejus, & domus impleta eſt ex odore unguenti. Mulierem illam imitatur Eccleſia pedes Domini ungens, ideſt pauperes eleemoſynis reſovens ..... Hoc ergo mandatum Eccleſiæ obſequium eſt, ideoque cuncta congregatio pedes lavat pauperum: in illo autem ſoli, ut dictum eſt, Prælati vice Chriſti deſerviunt.* Hæc Rupertus. Itaque hodierna lotio pedum convenit per ſe fieri a Prælatis, & Superioribus erga inferiores, & Subditos.

176 Qu. III. Quinam ſint Ritus, & cæremoniæ in pedum ablutione ſervandæ?

℞. Patet ex Rubrica, cujus verba percurrendo explicabimus cum Caval. *to.* 4. *c.* 1. *d.* 10. *a num.* 10. Igitur Rubrica ſic habet: *Poſt denudationem Altarium hora competenti, facto ſigno cum tabula, conveniunt Clerici ad faciendum Mandatum:* Locum, in quo fieri debet mandatum, dicit Meratus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 8. *n.* 18. initio, eſſe debere aliquam aulam Sacriſtiæ vicinam. Ita quidem congruit, ſed non deſignant Rubricæ: quare a quolibet poterit deputari, qui videbitur magis opportunus. Caval. l. cit. nu. 10. Ibi extruetur Altare, cum Frontali, ſeu Pallio albo, ut docet Caval. cit. num. 10. ad ſignificandam munditiem animæ, quam etiam ipſa deſignat pedum lotio, ut explicat Rupertus *de divin. offic. lib.* 5. *c.* 20., unde & antiquitus reconciliabantur Deo hac die Pœnitentes, ut videbimus Subſ. 9. Super Altare prædictum ſit Crux media inter Candelabra cum cereis albis ardentibus. Velum, quo præfata Crux operienda eſt, coloris albi eſſe debere, qualis fuit ad Miſſam, docet Caval. l. cit. num. 4. & 10. qui id colligit ex quadam reſponſione S. C. R. quæ cum interrogata fuerit: quo velo cooperienda ſit Crux in Altari ad functionem lotionis pedum, & Crux Proceſſionis? Sacr. Rit. Congregat. 16. Novembr. 1649. in *Januen.* reſpondit: *colorem non eſſe mutandum;* apud Caval. *tom.* 4. *cap.* 1. *d.* 10. adeoque cum Miſſa celebrata ſit cum Cruce velata albo colore; Crux autem Proceſſionis ſubſequentis fuerit velata colore violaceo, conſequenter declaratur, Crucis Altaris, & Proceſſionis ad functionem lotionis pedum, reſpectivum præfatum *colorem non eſſe mutandum.* Non deſunt tamen qui ex hoc ipſo decreto colligant oppoſitum, hoc eſt: colorem Crucis etiam ad Miſſam ſolemnem violaceum adhibendum; quam tamen opinionem Cavalerius ipſe refellit n. 4.

Ad ſiniſtrum ſupradicti ejuſdem Altaris erecti in loco Mandati latus, parabitur Credentia, ſuper quam collocabuntur Miſſale, linteum quo præcingi debet Sacerdos, mappulæ pro abluendorum numero, puta duodecim, vel tredecim, in una laude, vel ciſta, aut ſaltem linteum ſatis amplum pro extergendis pedibus eorum, quibus lavantur pedes. Pelvicula item cum micis panis, & mantile, ac buccale cum aqua ad lotionem, & exterſionem manuum Celebrantis, poſt lotionem pedum; & denique lanx cum pecuniis in eleemoſynam

p. u-

pauperibus æquali portione donandis; Sed hæc omittatur apponi, quando Canonicis, vel Monachis lavantur pedes, aliiſve id genus perſonis. In eodem prædicto loco erit ſcamnum oblongum, in quo ſedebunt pauperes, coopertum panno viridi, vel alterius coloris, non tamen rubei; & ante illud ſternetur tapes oblongus, & cuſſinus amplior, ne Celebrans genuflexus, dum lavat pedes, maculet ſacras veſtes. Prope idem Scamnum parabuntur tria vaſa, unum plenum aqua calida, & herbis odoriferis; alterum aqua frigida ad temperandam calidam, ſi opus fuerit; & tertium, in quod aqua pelvium effundatur poſt cujuſvis pedis lotionem, ſi neceſſe ſit: niſi forte effundenda ſit in aliquo loco, ad id deputato. Ad minus itidem aderunt duæ pelves, in quibus effundetur aqua pro facienda ipſa lotione pedum, & denique duo urcei, unus pro aqua calida, alter pro infundenda frigida. Omnia autem cum ipſa menſa, & toto loco aſpergantur floribus, & herbis odoriferis.

177 Hodierna lotio pedum facienda eſt *poſt denudationem Altarium hora competenti* juxta particulares conſuetudines locorum, *facto ſigno cum tabula*, ad convocandum Clerum: *conveniunt Clerici ad faciendum Mandatum*. Locus conveniendi relinquitur arbitrio Cleri: conveniendi videlicet vel in locum, in quo faciendum eſt mandatum; vel in alterum, ex quo poſtea progrediendum ſit ad locum mandati. In quemcumque locum conveniunt, ibi *Prælatus*, *ſeu Superior*, *ſuper amictu*, *& Alba induitur Stola*, *& Pluviali violaceis*: & hoc in ſignum maximæ humiliationis, ab quam Chriſtus dignatus eſt diſcipulis lavare pedes; ubi Diaconus, & Subdiaconus in ſignum munditiæ induunt *paramenta alba*: nempe reſpective Dalmaticam, & Tunicellam, *ut in Miſſa*: adeoque etiam Manipulum, (licet eo careat Celebrans) induit Diaconus, qui Evangelium cantare debet; an autem etiam Subdiaconus? affirmat Gavantus *part.* 4. *tit.* 8. *n.* 14. *litt. z.* & idipſum indicat Merat. ibi n. 18. §. *In Sacriſtia*. Idque probat Gavantus ex prædictis Rubricæ verbis: *ut in Miſſa*. Sed dubitat Caval. n. 13. quia Subdiaconus in hac functione non cantat Epiſtolam, quinimo defert Crucem in Proceſſione, (cum aliis Caval. n. 4. Confer Merat. l. cit. n. 19.) ſi hæc habeatur, in qua regulariter uſus non eſt manipuli; allegatam vero Rubricam exiſtimat, poſſe referri ad qualitatem coloris, & paramentorum, quæ adhibentur in Miſſa, non ad quantitatem.

Si ad locum Mandati inſtituenda ſit Proceſſio, mox Ceroferari ſumunt candelabra cum candelis accenſis; Subdiaconus Crucem arripit velatam violaceo colore; confer dicta num. præced. & Celebrans, miniſtrante de more Diacono, imponit incenſum in thuribulo. Præcedit Thuriferarius, tum Subdiaconus ferens Crucem medius inter Ceroferarios, deinde Clerus, & tandem Celebrans habens a ſiniſtris Diaconum junctis manibus, & tecto capite. Ubi Proceſſio devenit ad locum deputatum, Ceroferarii ſe collocant hinc, & illinc a lateribus Altaris, & Subdiaconus deponit Crucem prope Altare in cornu Evangelii; nec genuflectunt, vel ſe inclinant Cruci Altaris, cui tamen unico genu Subdiaconus genuflectit, cum, poſita Cruce Proceſ-

ſiona-

ſionali, ſe collocat ante Altare in plano ex parte Evangelii, ubi aliquantulum a tergo ſe item collocat thuriferarius genuflexione præmiſſa Cruci Altaris, cui genufleĉtit quoque Clerus, qui in duas ſe findit partes. Statim ac Celebrans ad Altare devenit, Diaconus tranſit ad dexteram Celebrantis, qui depoſito birreto, profundam facit Cruci reverentiam, genufleĉtentibus ſacris Miniſtris, cum quibus mox aſcendit ad Altare, quod ſolus oſculatur in medio. Tum Diaconus accepto Miſſali, uti fit in Miſſa, illud ſuper Altare collocat, & mox, eodem miniſtrante de more, Celebrans thus imponit in thuribulo, & poſtea idem Diaconus, ut ad Miſſam, genuflexus dicit: *munda cor meum:* accipit Miſſale, illudque tenens ante pectus, petit benediĉtionem more ſolito deinde accedit ad laus Evangelii, ubi aſtantibus Ceroferariis, & Subdiacono tenente librum, ſignat, incenſat, & cantat more ſolito Evangelium: *Ante diem feſtum*. Quo finito, Celebrans oſculatur Evangelium a Subdiacono ad ſe delatum, & ſtatim incenſatur a Diacono.

Quod ſi Proceſſio ordinanda non ſit, ſed mandatum fiat in eodem loco, in quem convenit Clerus; omnes immediate ut ſupra ſe conſtituunt ante Altare, & ſupradicta peragunt, & non ponitur incenſum in thuribulo, nec Crucem accipit Subdiaconus, qui mox in tali caſu accedit ad Altare a ſiniſtris Celebrantis, ad cujus dexteram Diaconus ſe collocat.

178 Finita Celebrantis incenſatione, Ceroferarii ſuper Credentiam deponunt Candelabra, Thuriferarius thuribulum, Diaconus manipulum, quem deponit etiam Subdiaconus, quatenus illum ſumpſerit, & poſtea per ſacros Miniſtros Sacerdos exuitur pluviali, & per eoſdem præcingitur linteo mundo, quo ubi præcinctus fuerit, medius inter eoſdem ſacros Miniſtros, accedit ad lavandos pedes pauperum in prædicto ſcamno oblongo ſedentium tectis capitibus. Genuflexus itaque ſuper pulvino, & nudo capite lavat, tergit, & oſculatur pedem dexterum uniuſcujuſque, Subdiacono a ſiniſtris Celebrantis genuflexo, tenente pedem paulo elevatum, & Diacono a dextris ejuſdem Celebrantis pariter genuflexo præbente Celebranti mappulam ad abſtergendum, ac alio Miniſtro interim tenente ſub pedes pauperis pelvim plenam aqua, quam alter mutat, & alius infundit aquam tepidam, quando opus eſt. Incipitur lotio a digniori, ſeu ab eo, qui proximior eſt Altari, & hujus pede loto, eodem ritu pergit Sacerdos ad lavandum pedem ejus, qui proxime ſequitur, ad cujus pedes Acolythus, qui tenebat pelvim, eamdem pertrahit, & ſimul ipſe, vel alter pertrahet etiam palvinum, ſuper quem Sacerdos genuflectere debet, dum lavat pedes, & ſic ſucceſſive. Thuriferarius autem tenebit Lancem ſeu Ciſtam cum mappulis, quas ſucceſſive ſine oſculis tradet Diacono, & ab eo recipiet, quando opus eſt, vel eidem miniſtrabit linteum illud amplum, de quo ſuperius dictum eſt. Porro etſi teſte Joanne c. 13. v. 5. Chriſtus exterſerit diſcipulorum pedes *linteo, quo erat præcinctus*: nihilominus ait Caval. non decere pauperum pedes extergi linteo, quo Celebrans eſt præcinctus, nec illud ad rem ſatis aptum, & proculdubio magis convenire, tot eſſe mappulas, quot ſunt pauperes, ut

ut ſuperius dictum eſt; ita ille. Profecto non ſingula quæ Chriſtus Dominus fecit, ad lavandos Diſcipulorum pedes, oportet in hodierna cæremonia imitari; non enim ſingula fuerunt ad aliquod Myſterium, vel exemplum præbendum; quamvis ea in Chriſto Domino majorem importent ſignificationem humilitatis. Videtur etiam Cavalerio commodior, aptiorquè modus, ſi Diaconus genuflexus ut ſupra, aſſiſtat a dextris Celebrantis, Diaconus vero ſtet ad ejuſdem ſiniſtram, in manibus tenens linteum.

Si poſt lotionem dandæ ſunt eleemoſynæ, præſto erit alter Acolythus, habens lancem cum eleemoſynis, hoc eſt pecuniis, quarum unam, loto, & exterſo cujuſque pede, & lance accipiet Diaconus, & tradet Celebranti, & hic pauperi, qui eam ſumet cum oſculo manus Celebrantis, & ejuſdem eleemoſynæ.

Dum Sacerdos incipit lotionem, Cantores, & Clerus cantant Antiphonas, pſalmos, & verſus, ut in Miſſali, quorum cantandi modum, & ordinem tradit Meratus tom. 1. par. 4. tit. 8. n. 23. Pauperes, quorum lavantur pedes, ſufficit quidem, ſi prius diſcalceant pedem dexterum, qui ſolus a Celebrante lavatur; ſed omnino convenit, quod antequam ſedeant, ſeorſim eumdem pedem ſibi lavent, ne immundi appareant.

179 Completa lotione, Acolythi aſportant omnia ad Credentiam, ex qua ſumunt pelviculam, urceum, & bacile, in quo eſt mica panis, ac manutergium pro lavandis manibus Celebrantis, qui eas lavat, & extergit extra cornu Epiſtolæ. Mox a ſacris Miniſtris Sacerdos exuitur linteo, & induitur ſuo pluviali; ſacri Miniſtri, ut ſupra recipiunt manipulos, & Ceroferarii Candelabra; & Celebrans medius inter ſacros Miniſtros, præcedentibus Ceroferariis, ſe conſtituit, juxta Gavant. *part.* 4. *tit.* 8. *nu.* 6. *litt. c.* ante Altaris medium in plano, ubi ſacris Miniſtris ſuſtinentibus librum, & Ceroferariis candelabra, alta voce, & manibus junctis, capite detecto, dicit: *Pater noſter:* & proſequendo reliqua ſecreto, iterum alta voce dicit: *Et ne nos* &c. & alios verſus, & orationem, reſpondente Clero. Caval. a n. 14. ad 18. Finitis omnibus, vel exuitur in loco Mandati Superior, vel redit in Sacriſtiam ordine, quo venerat.

Quoniam ſupra de ſigno faciendo 180 per tabulam, dictum eſt, nota hic: Sonitus lignei fieri mentionem in veteri Ordine Romano in Paraſceve; ſed & hac die adhiberi docent vulgatus Alcuinus, & alii. Adhiberi autem contendunt quidam, ut apud nos memoria maneat illius conſuetudinis, quæ primis Eccleſiæ ſæculis extitit, in quibus, tradunt, nonniſi tabulæ ſonitu ad officia Divina convocatos fuiſſe fideles latitantes in Cryptis propter perſecutores. At hæc opinio rejicitur, eo quod nullum pro ſe afferat antiqnum Monumentum; nec ipſa ratio patiatur, ut Chriſtiani, tempore, quo abdita loca ad conveniendum ſtudioſiſſime quærebant, lignorum ſtrepitu prediti, ad necem ſibi inferendam, Gentiles provocarent. Alii itaque volunt, pace Eccleſiæ per Conſtantinum reddita, Chriſtianos publicis ſignis ad Conventus convocari cœpiſſe, & quidem ſonitu tabulæ ligneæ. Teſtimonium proferunt ex actis S. Anaſtaſii Martyris a Concilio Nicæno ſecundo relatis Act. 4. e quibus memo-

moriæ proditum eſt : ligna ſacra, ideſt tabulam ligneam *pulſantes obviam factos fuiſſe ejus Reliquias afferentibus*. Vid. Bened. XIV. *tom.* 1. *Notif.* 20. *n.* 6. Emmanuel. Azeved. *de divin. offic. Exercit.* 4. Hujuſmodi vero ligni ſonitus, dum hoc Paſſionis tempore adhibetur, humilitatis eſt indicium tum Chriſti, tum Eccleſiæ ad exemplum Chriſti; ita Amalar. *de Eccl. offic. lib.* 4. *c.* 21. Durand. *in Ration. lib.* 6. *c.* 72. *n.* 4. Terrorem quoque ſignificat Judæorum incuſſum Apoſtolis. Honorius *in Gemma lib.* 3. *c.* 88. & Dur. *l. c.* & item Lignum Crucis, quo convocantur omnes adumbrat. Rupert. *lib.* 5. *c.* 29. Dur. *l. cit.* ſeu lignum Crucis, quo clamabat Chriſtus crucifixus, figurat. Jo: Beleth *de divin. offic. c.* 100.

SUBSECTIO VIII.

De Sacris Oleis.

181 HODIE renovantur ſacra olea, veteribus combuſtis. C. *Litteris*. 18. *diſt.* 3. *de Conſecr.* Nimirum oleum Catechumenorum, Infirmorum, & Chriſma. Et Chriſma quidem, licet in Eccleſia Latina oleo olivarum, & balſamo conficiatur; (vid. Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 33. *Sect.* 1. *a* §. *Dico ſecundo*) nihilominus appellari aliquando etiam ſolet ſimpliciter oleum; a majori nimirum parte hujuſmodi compoſiti; ut notat Suarez l. cit. §. *Ad ſecundum argumentum*. Sicut e contra, Sacrum oleum ſimplex, puta oleum Infirmorum appellatur etiam aliquando Chriſma, ut notat idem Suarez *to.* 4. *in* 3. *part. diſp.* 40. *Sect.* 1. *n.* 11. Porro Chriſma eſt idem ac *Unctio*.

Itaque ſingulis annis renovanda ſunt ſacra Olea: vid. Suar. *to.* 3. *cit. Sect.* 1. ad finem, & *to.* 4. *cit. Sect.* 1. *n.* 10. In Romano Pontificali Summorum Pontificum Clementis VIII. & Urbani VIII. juſſu recognito deſcribitur ſervandus in Miſſa ab Epiſcopo ordo benedicendi oleum Catechumenorum, & Infirmorum, & conficiendi Chriſmatis. De qua triplici benedictione, & conſervatione bene agit Durandus *in Ration. lib.* 6. *cap.* 74. qui videri poteſt; videri etiam poteſt Joannes Beleth *de divin. offic. c.* 95. De ritu autem conficiendi Chriſmatis, Suar. *cit. tom.* 3. *diſp.* 37.

Hic notare ſufficiat primo cum 182 Bened. XIV. *de feſtis lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 59. & Caval. *to.* 4. *c.* 26. initio, oleum Catechumenorum Eccleſiam adhibere in Baptiſmali fonte benedicendo, in Sacramento Baptiſmatis conferendo, in Eccleſiis, & Altaribus tum firmis, tum mobilibus conſecrandis; in Presbyteris initiandis; in Rege, Reginaque benedicendis, & coronandis.

Infirmorum vero ſacro Oleo utitur Eccleſia in Sacramento extremæ unctionis adminiſtrando; & Campanis benedicendis. Sacrum denique Chriſma adhibet in benedictione fontis baptiſmalis, & Sacramenti collatione baptiſmi (præter oleum Catechumenorum, ut dictum eſt,) & Confirmationis; in conſecratione Epiſcopi; in conſecratione itidem Patenæ, & in Campanæ benedictione, in qua etiam una cum Chriſmate oleum infirmorum, ut diximus, adhibetur. Prædictis uſibus Chriſmatis addenda eſt conſecratio Eccleſiæ, nam in conſecrandis Eccleſiis præter oleum Catechumenorum, adhibetur etiam Chriſma: & quamvis Cavalerius hunc alium uſum Chriſmatis omi-

omiſerit l. cit. at vero expreſſit *to.* 1. c. 1. *Comment. in decr.* 1. *n.* 17. Item addenda eſt conſecratio illius Ceræ, quæ dicitur *Agnus Dei*. Porro in benedictione Sacrorum *Agnus Dei* adhibetur Chriſma, ut videbimus, ubi de illis agemus in Sabbat. in Alb. artic. 4.

183 Nota 2. Tempus ab Eccleſia deſignatum ad Chriſma conficiendum, & ſacra olea, eſſe feriam V. Cœnæ Domini. C. *Litteris* ſupra allegato; quæ conſuetudo colligitur ex Patribus, & antiquis Scriptoribus allegatis a Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 37. *Sect.* 1. §. *Quinta Cæremonia*; & laudatum Caput *Litteris* ſignificat, eſſe inſtitutionem Apoſtolorum, ut ſtatim videbimus, unde in Concilio Meldenſi c. 46. expreſſe præcipitur: *Ut nemo Sacrum Chriſma niſi in quinta feria majoris hebdomadæ conficere præſumat*. Et Concilium Aquiſgran. apud Suar. tom. 4. l. cit. ait. Chriſma, ſeu Sacrum oleum, in quo ſalvatio Infirmorum creditur, debere confici feria V. in Cœna Domini; & cit. C. *Litteris*, reprehendit quoſdam Epiſcopos, qui non conficiebant Chriſma ſingulis annis in die Cœnæ Domini, inculcatque, *dicto die innovandum*, & *vetus in ſanctis Eccleſiis cremandum*: ſubditque: *Iſta a Sanctis Apoſtolis*, & *Succeſſoribus eorum accepimus* & *vobis tenenda mandamus*. Quam conſuetudinem, putat Suarez *to.* 3. *l. cit.* & eodem *to.* 3. *diſp.* 32. *Sect.* 2. forte fuiſſe introductam in memoriam facti ab ipſo Chriſto Domino in ultima Cœna, in qua nimirum Apoſtolos ſuos docuit Chriſma conficere; ut tradunt Patres apud eumdem Suarez ibi. Alias duas congruentias aſſignat D. Thomas 3. *p. q.* 72. *art.* 12. *ad* 3. dicens: *Quia ſolemnis baptiſmus, ad quem requiritur uſus Chriſmatis, in Vigilia Paſchæ celebratur, congrue ordinatum eſt, ut per biduum ante ab Epiſcopo Chriſma benedicatur, ut poſſit per Diœceſim deſtinari*. Hinc etiam habes, quare in Concilio Carthagenſi IV. c. 36. & refertur C. *Presbyteri qui*; 4. diſt. 95. præcipiatur Parochis, ut a ſuis Epiſcopis, ſingulis annis ante Paſchæ ſolemnitatem, Chriſma petant. Et in Concilio Toletano I. cap. 20. dicitur: Chriſma eſſe conficiendum ab Epiſcopo, qui illud debet *per Diœceſim deſtinare, ita ut de ſingulis Eccleſiis ad Epiſcopum ante diem Paſchæ Diaconi deſtinentur, aut Subdiaconi, qui confectum Chriſma deſtinatum ad diem Paſchæ poſſint ad tempus deferre*. Idipſum ex Concilio Martini Bracharenſi dicitur C. *Omni tempore*. 124. diſt. 4. de conſecr. Hæc ratio valet etiam pro oleo Catechumenorum, quod ſimiliter in conferendo Sacramento Baptiſmatis adhibetur: nec non in benedictione fontis baptiſmalis, quæ una cum baptiſmo ſolemni celebratur in Sabbato Sancto.

Altera congruentia ex eodem laudato D. Thoma eſt, quia *dies etiam ille*, (feria V. Cœnæ Domini) *ſatis congruit ad materias Sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiæ Sacramentum inſtitutum, ad quod omnia alia Sacramenta quodammodo ordinantur*. Hæc ratio reſpicit præter Chriſma, etiam alia ſacra olea, videlicet Infirmorum, & Catechumenorum. His poſſet addi alia ratio myſtica, quam tradit S. Iſidorus *de Eccl. Offic. lib.* 1. *c.* 28. *de Cœna Domini*, dicens: *Qua die* (Cœnæ Domini) *proinde etiam Sanctum Chriſma conficitur: quia ante biduum Paſchæ*

chæ Maria caput ac pedes Domini unguento perfudiſſe perhibetur.

184 Nota 3. Chriſma, & Sacrum oleum non eſſe conficiendum, ſeu benedicendum niſi ab Epiſcopo; (vid. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 33. *Sect.* 2. & *to.* 4. *in* 3. *par. diſp.* 40. *Sect.* 1. ſed vide etiam La-Croix *lib.* 6. *p.* 1. *qu.* 70. §. 4. *n.* 378. & Zachar. *animadverſ. in præd. loc.* Patris La-Croix, & rurſus eumdem La-Cr. eodem *l.* 6. *par.* 2. *qu.* 312. §. 3. nu. 2092.) benedicendum, inquam, ab Epiſcopo ſolemni ritu, & inter Miſſarum ſolemnia; imo ab Epiſcopo Pontificali ritu celebrante; ita enim ab Eccleſia præſcriptum, ſemperque ſervatum eſt, ut teſtatur Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſput.* 37. *Sect.* 1. verſus finem. Gloſſa in C. *Te referente*, *de celebrat. Miſſar. in V. Sypontina*, fine. Unde ubi hoc modo confici non poteſt, vel quia Eccleſia vacat, vel quia Epiſcopus impeditus eſt, ne illud poſſit ſolemni ritu conficere, prætermittenda eſt ejus confectio, & aliunde novum Chriſma erit deportandum, ut conſuetudo Eccleſiæ ſervetur, utendi ſingulis annis novo Chriſmate; quemadmodum laudatus Suarez monet.

Notavimus Subſ. 6. fine. Epiſcopum duarum Eccleſiarum unitarum non poſſe in die Cœnæ Domini in utraque Miſſam celebrare; ſed debere uno anno dicta die celebrare in una, & inibi Chriſma conficere; & alio anno in alia idipſum facere, & ab una ad aliam Chriſma conſecratum tranſmittere.

Olei ſacri conſecratio debet fieri omnino juxta formam Pontificalis: & Canonici debent ſupplere, ſi numerus ſufficiens Presbyterorum non adſit præter Canonicos. S. R. C. 9. Maji 1606. in *Lauretana* apud Caval. *to.* 4. *c.* 26. *d.* 3.

Regulares cogi non poſſunt ad aſſiſtendum conſecrationi Sacrorum Oleorum. S. C. Epiſcop. 5. Febr. 1602. *Niſi qui habent curam Animarum Sæcularium, licet eſſent ex Ordine S. Joannis Hieroſolymitani.* Eadem Congregatio 28. April. 1599. apud Caval. l. cit. n. 3.

Olea ſacra ex cauſa neceſſitatis poſſunt confici ab Epiſcopo cum minori numero Sacerdotum, quam præſcribitur in Pontificali. S. R. C. 21. Auguſti 1604. in *Curien. Rhetior.* & 12. Martii 1616. in *Paxien.* apud Caval. d. 5.

Nota 4. Chriſma in proprio, ac determinato vaſculo eſſe conficiendum, quod ad hoc munus ſacrum habeatur; nam cum Chriſma res ſacra ſit, & ad ſacrum miniſterium deputata, ad ejus reverentiam ſpectat, ut non communi vaſculo, ac vulgari conficiatur, & cuſtodiatur, ſed ſpecialiter ad hoc munus deputato, & ita colligi ex Ordine, & Pontificali Romano, obſervat Suar. *cit. diſp.* 37. *ſect.* 1. *verſus finem.* Qui tamen fatetur, ſe non inveniſſe ſpecialem aliquam benedictionem, aut conſecrationem talis vaſculi ab Eccleſia inſtitutam; ſed ipſomet uſu videri, inquit, conſecrari; poſt quem uſum non debet in vulgarem, ſeu profanum uſum converti. Dicit etiam idem Suarez, ſe non invenire, ab Eccleſia definitam ſpecialem materiam, ex qua prædictum vaſculum conficiendum ſit; nam licet communiter ſit argentea, & hæc, vel aurea maxime deceat, tum propter ſecuritatem, tum propter munditiem; nullum tamen ſe invenire de hac re eſſe præceptum. Unde concludit: videri hoc prudenti Paſtoris arbitrio relin-

relinquendum; ſemper tamen quoad fieri poſſit, ſervandam eſſe conſuetudinem Eccleſiæ. Sed Rituale Romanum habet, vas, quo aſſervatur ſacrum oleum, eſſe argenteum, aut ſtanneum; quod notavit etiam la Croix *lib. 6. part. 2. qu. 313. §. 16. nu.* 2121. Ex Decreto autem S. C. Epiſcop. 3. Maji 1693. apud Caval. *to.* 4. *cap.* 6. *d.* 13. Vaſa Sacrorum oleorum aſſervari non debent in Tabernaculo SS. Sacramenti.

186 Not. 5. ex Decretali: *Te referente: de celebr. Miſſar.* Epiſcopum ſolitam Conſecrationem oleorum Sanctorum in fer. V. Cœna Domini facere debere in Cathedrali, & non alibi, niſi legitime impediatur. Dato autem caſu, quo Epiſcopus ex legitimo impedimento non conficiat conſecrationem Oleorum in Cathedrali, ſed in alia Eccleſia ſuæ Diœceſis; adhuc dicta olea ſancta diſpenſari debent in Eccleſia Cathedrali Parochis totius Diœceſis; ex D. S. C. in Trivicana 19. Febr. 1707. & 28. April. 1731. apud Ferrar. in ſua Biblioth. V. Reſol. pag. 319. col. 2. edit. Bononien. Pro Epiſcopo duarum Eccleſiarum unitarum recolantur modo ſupra dicta n. 184. Eccleſiæ Urbanæ petunt olea ſacra, quibus reſpective indigent, & accipiunt immediate ab Eccleſia Cathedrali, a qua item ea recipiunt Plebanæ, aliæque Diœceſis, quibus jus eſt ſacra olea Eccleſiis aliis diſtribuere. Inter præeminentias Eccleſiarum Matricum, ſeu digniorum communiter recenſetur hæc diſtributio Sacrorum oleorum. Cæterum receptio, & diſtributio ſacrorum oleorum non eſt prærogativa aliqua, quæ ex ſe competat Eccleſiæ digniori, ſed res mere dependens a Conſtitutionibus Synodalibus, & ab arbitrio Epiſcopi. Vid. Caval. *cit. c.* 26. *Comment. in decret.* 10. & ſequentib.

Nota 6. ex dictis. Sacra olea recipienda eſſe conſecrata ab Epiſcopo proprio. Excipe tamen caſum, de quo in tertia notatione n. 184. Et quoad Græcos etiam eſt animadvertendum Decretum Clementis VIII. die 31. Auguſti 1595. in Inſtruct. quæ eſt inter illius Conſtitutiones 34. meminitque La-Croix *lib. 6. par. 2. qu.* 312. §. 3. *n.* 2092. & ita ſe habet: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci olea SS. præter Chriſma, ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere; cum hujuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur. Chriſma autem, quod non nonniſi ab Epiſcopo, etiam juxta eorum ritum, benedici poteſt, cogantur accipere.* 187

Epiſcopus debet dare ſacra olea Terris, & Locis immunibus ſuæ Diœceſis; cum conveniens non ſit, quod alio petant, ad ea accipienda. Sac. Congr. Epiſcop. 1. Januar. 1610. apud Caval. *to.* 4. *c.* 26. *d.* 6.

Regularibus ſanctum oleum ab Epiſcopis denegari non poteſt. Eadem Congr. 2. Febr. 1599. *Immo Epiſcopi tenentur iiſdem illud dare.* Eadem Congreg. 20. Novembr. 1701. & 4. Junii 1602. & 10. Novembr. 1651. apud Caval. *d.* 7. & 8. *In ſua quiſque Epiſcopus Diœceſi Regularibus ſacrum oleum prompte, & liberaliter tradi curet, & faciat.* Clemens VIII. Conſtitut. *Exponi nobis.* 24. Martii 1599. *Prompte:* quia debitum ex prædictis declarationibus. *Liberaliter:* id eſt non ſolum nihil petendo, vel recipiendo pro oleo ſacro: quod abſolute ex jure communi videbimus in-

terdictum inferius qu. 1. ſed in ea etiam quantitate, quæ commode ſufficere valeat, habito reſpectu numeri Regularium cujuſque domus Regularis, & ſpectata experientia communiori uſus ejuſdem olei apud eoſdem.

188 Item ex dictis animadvertendum eſt, non licere uti veteribus ſacris oleis; idque etiam declaravit expreſſe S. R. C. in decreto tenoris ſequentis: *Olea ſacra quotannis ab Epiſcopo confici, & ſuæ Diœceſis Presbyteris diſtribui debent, crematis veteribus; & vetera non poſſunt adhiberi, poſtquam nova ſunt conſecrata*. S. R. C. 7. Septembr. 1601. apud Caval. *cit. cap.* 26. *d.* 1. Idque ſub gravi, ut indicatur in jure Canonico, & docet etiam Buſemb. *lib. 6. par. 1. tr. 2. c. 2. de confirmat. dub. 1. reſp. 2. reſol.* 3. La-Croix *lib. 6. par. 1. qu. 9. §. 3. n. 42. & par. 2. qu.* 312. *§. S. n.* 2097. Caval. *cit. c.* 26. *n.* 7. Atque adeo *Curet Parochus, ut ea ſuo tempore quamprimum habeat*. Rit. Rom. de Sacr. Bapt. tit. de *Sacris oleis*. Hoc eſt, ut allegata ſuperius Jura monent: *Parochi ante Paſchæ ſolemnitatem Chriſma petant;* ſeu ab iiſdem *ante diem Paſchæ Diaconi deſtinentur, aut Subdiaconi, qui confectum Chriſma deſtinatum ad diem Paſchæ poſſint ad tempus deferre*.

Verum ſi poſt feriam V. Cœnæ Domini ſit baptizandus infans, & Paſtor nondum acceperit novum Chriſma, vel Oleum: La-Croix *lib. 6. par. 1. qu. 65. §. 1. nu.* 342. refert March. ſuadentem, ut præmittat alia de more, & baptizet: poſtea vero ſuppleat unctiones. Gob. apud eumdem La-Croix ibidem dicit: ſi abſit periculum, ut moriatur infans, poſſe differri totum baptiſmum; ſi autem eſſet periculum, poſſe antiquum Chriſma adhiberi; immo ſi in ſua Diœceſi ſit talis uſus, poſſe antiquo uti, donec novum accipiat; nec contradicit La-Croix. Profecto de *Conſecr.* diſt. 4. can. 122. dicitur: *Si quis de alio Chriſmate, quam de illo novo, quod proprii Epiſcopi largitione, vel conceſſione acceperit, baptizare, niſi præoccupante morte tentaverit, pro temeritatis auſu ipſe in ſe ſuæ damnationis protuliſſe ſententiam manifeſtatur*. Rurſus ex declaratione Sac. Congregationis Epiſcoporum 20. Martii 1590. *In caſu neceſſitatis uti poterit Parochus oleo vetere ſacro*. Apud Caval. *cit. cap.* 26. *d.* 2. Qui cum Bened. XIV. animadvertit, ſenſum eſſe; quod citra culpam, cum oleo veteri, in caſu neceſſitatis, Sacramenta adminiſtret ille, qui in culpa non eſt, cur nova non habeantur; ſecus vero ille, qui cum, munere ſui officii neglecto, intra tempus debitum nova olea minime procuraverit, voluntarie ſe conſtituit in neceſſitate adhibendi vetera. Et ſane quod in caſu neceſſitatis liceat uti oleo ſacro vetere, videtur inſinuare Rituale Rom. l. cit. V. infr. n. 190. f.

189 Qui in Sabbato Sancto ante fontis benedictionem olea ſacra nondum recipere potuerint, illa ſubinde privatim, ac ſeparatim in aquam mittere poſſe, declaraſſe S. R. C. in *Lucana*, notabimus in Sabbato Sancto, ubi de Bened. font. Baptiſm.

Deinde ex ſuperius etiam dictis habes: deſtinandum eſſe ad olea ſacra accipienda aliquem ordinatum *in Sacris;* & ex ſupra cit. C. *Presbyteri* oporteret eſſe ſaltem Diaconus; ſed etiam poteſt eſſe Subdiaconus ex ſupra laudato Concilio Toletano I.

ut

ut ex ejuſdem conſtat allegato Canone : *Omni tempore;* Videri poteſt Bened. XIV. *tom.* 2. *Notif.* 81.

Eſt qui exiſtimet tempus *ante diem ;* vel *ſolemnitatem Paſchæ :* præfixum ad petenda olea ſacra, extendi poſſe etiam uſque ad Sabbatum, vel Dominicam in Albis : quemadmodum uſque ad illum diem extenditur tempus ad ſumendam Communionem in Paſchate ; Vid. Caval. in cit. c. 26. n. 6. Quæ tamen opinio nobis non arridet. Profecto ſi adeo tempus præfatum poſſet extendi, non declaraſſet S. R. C. eos, qui in Sabbato ante fontis benedictionem olea ſacra nondum recipere potuerint, illa ſubinde privatim, ac ſeparatim in aquam mittere poſſe : non, inquam, ita declaraſſet ; ſed magis, eos poſſe adhibere vetera, in ipſo actu benedictionis fontis baptiſmalis in eodem Sabbato Sancto : ut quidem poſſe, exiſtimat Cavalerius, non obſcure indicari a Bened. XIV. in ſuis Notificationibus. Sed oppoſitum ſequitur ex declaratione prædicta S. C. R. non enim deceret, differre infuſionem ſacrorum oleorum, dum poſſent adhiberi vetera in caſu prædicto. Si autem vetera non poſſunt, ergo oportet, quod ante benedictionem fontis, atque adeo ante Sabbatum Sanctum, vel ſaltem in Sabbato Sancto ante benedictionem fontis baptiſmalis habeantur nova olea ſacra. Rurſus poſt feriam V. Cœnæ non poſſe adhiberi ſacra olea vetera, niſi in caſu neceſſitatis extremæ, vidimus ſupra. Ergo oportet omnino in ipſa feria V. Cœnæ olea ſacra petantur. Et quod non poſſit oleorum novorum procuratio differri poſt Sabbatum Sanctum, patet etiam ex eo quod jura præcipiant peti, & haberi *ante* diem, vel ſolemnitatem Paſchæ: non dicant : *in* Paſchate, ſeu *intra* Paſchale tempus. Unde non valet paritas Communionis Paſchalis ; ea enim ex jure, & conſuetudine communi facienda eſt *in* Paſchate, ſeu *intra* Paſchale tempus: quod quidem tempus ex ſpeciali declaratione, & conſuetudine univerſali, in ordine ad illud præceptum extenditur uſque ad Dominicam in Albis ; immo nedum incipit a Dominica Paſchæ, verum etiam a Dominica Palmarum : ut ſuo loco videbimus. Omittimus argumenta alia, quæ inſuper poſſent opinionem infirmare prædictam, quam a nemine in praxim deducendam eſſe, putamus.

Item ex dictis, & ex Rit. Rom. 190
verbis, mox recitandis habes, olea ſacra vetera comburenda. Ex ſuperius allegato C. *Litteris*, cremanda ſunt *in Sanctis Eccleſiis*. Idipſum ſtatuitur ex Rit. Rom. de ſacr. Baptiſ. tit. *de ſacris oleis*: his verbis : *Curet Parochus ut ea* (ſacra olea) *ſuo tempore quamprimum habeat, & tunc vetera in Eccleſia comburat.* Pontificale Romanum mandat comburi in lampadibus Eccleſiæ ante SS. Sacramentum; & modum explicant Acta Eccleſiæ Mediolanenſis to. 1. par. 2. *Parochus ubi primum olea ſacra nova acceperit, vetera ſtatim comburat in lampade, quæ ante SS. Sacramentum allucet, bombice in Sacrario plane exuſto.* Ex bombacio nempe prius exprimatur oleum in lampade, & poſtea bombacium comburatur in Sacriſtia, & Cinis in Sacrarium projiciatur. Animadvertendum vero eſt, comburenda non eſſe olea vetera, niſi prius habeantur nova; ut ſignificatur in allegato teſtimonio Medio-

diolanenſis Eccleſiæ ; & rurſus in Rit. Rom. verbis laudatis: *Curet Parochus*, *ut ea* (ſacra olea) *ſuo tempore quamprimum habeat*, *& tunc vetera in Eccleſia comburat*. Ne videlicet , dum nova procurantur , deficiant vetera pro adminiſtratione Sacramentorum , pro quocumque caſu neceſſitatis : ſecundum dicta ſuperius.

191 Nota denique 7. nonnullas rationes myſticas cæremoniarum quarumdam, quas adhibet Eccleſia in præſenti benedictione. Nimirum: Halitus Epiſcopi, & Presbyterorum aſſiſtentium ſuper VaſculumChriſmatis, & olei Catechumenorum indicat ex Theologis deſcenſum Spiritus Sancti ſuper eadem. Videri poſſunt dicenda in ſimili in bened. fontis baptiſmi in Sabb S. Subſ. 3. §. 8. n. 342. Deinde Chriſmati, & oleo benedicto reverentia fit ab Epiſcopo , & Presbyteris dicentibus *Ave Sanctum Chriſma*. *Ave Sanctum oleum*. Ut enim ait Bellotte : *Debebatur rebus ſacris reverentia* , *ratione ſanctitatis ; quia ex eo* , *quod ad cultum Dei deputantur* , *Divinum quiddam in ſe habere cenſentur : unde honor* , *qui iis defertur*, *ſuapte natura redundat in Deum*. Apud BenedictumXIV. *de feſt. Dom. c. 6.* §. 7. *fine*. Cultus itaque Chriſmati , oleoque defertur , non abſolute, ſed relative , velut ſymbolum Chriſti. Profecto ex Amalario *de Eccleſiaſt. Offic. l. 1. c.* 12. & Ruperto Ab. *l.* 5. *de Divin. Offic. c.* 18. Vaſculum Chriſmatis quodammodo ſignificat Corpus Chriſti ſumptum ex Virgine , corporaliter in ſe habitantem continens Spiritus Sancti plenitudinem. *ad Coloſſ* 2. 9. Prædictum idcirco Vaſculum ſalutatur primo ab Epiſcopo , & Miniſtris Altaris, diſcoopertum; ad ſignificandum , Redemptorem noſtrum poſt Reſurrectionem ſuam corporaliter viſibilem apparuiſſe iis , quos teſtes voluit Reſurrectionis ſuæ. Deinde vero ſalutatur a cæteris coopertum , ad ſignificandum , nos eumdem Dominum quotidie inviſibiliter adorare , poſtquam in Cœlum aſcendit. Ita Amalar. & Rupert. l. l. cit.

Qu. hic I. An Chriſma , & ſacrum Oleum poſſit vendi ratione materiæ? 192

℟. Ex Concilio Braccarenſi II. c. 4. hujuſmodi venditio prohibetur ; & in Cap. *Placuit.* 102. 1. quæſt. 1. præcipitur Epiſcopis , ne quid accipiant ab Eccleſiis, in quas Chriſma dividitur. Quapropter Tancredi *de Relig. tr.* 2. *lib.* 4. *diſp.* 9. *qu.* 1. *n.* 7. negat, Chriſma , & Sacrum Oleum vendi poſſe , utpote prohibitum ab Eccleſia; & eum prohibitio facta fuerit, inquit, Religionis intuitu , erit ſimonia ; ſic ergo erit injuſtus , & ſimoniacus Epiſcopus accipiens pretium pro ſacro oleo , & Chriſmate Eccleſiis diſpertito; ſicuti jure Divino vendi nequit ulla pars Chriſmæ, vel olei , quo fit unctio: quia ut ſic, eſt pars Sacramenti , & materia proxima : ut docent Sotus , & Vidal. Sed cum aliis La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *de Simonia qu.* 31. §. 2. *num.* 154. affirmat, Oleum, & Chriſma ſacrum vendi poſſe, dummodo vendatur ſecundum valorem intrinſecum tantum. Eccleſiam vero prohibere ſolum, vendi carius ratione conſecrationis. Canones autem ubi vetant , vendi res quaſdam ſacras , etiam ratione materiæ, intelligendos eſſe, ſi in rebus ſacris fiat mercatura quædam quaſi profana: aut ſi adſit ſcandalum.

Verum etſi præfata explicatio locum

cum habeat in quibuſdam rebus ſacris, caſibuſque nonnullis; (uti in venditione ſacrorum Vaſorum, aut indumentorum; & fortaſſe ceræ ſacri Agnus-Dei: de qua re dicemus in Sab. in alb. n. 19.) attamen ſpectata ſacrorum Canonum locutione, ubi prohibent venditionem ſacri olei, & Chriſmatis, videtur ſtandum ſententiæ negativæ: præcipiunt enim, *ne quid* Epiſcopi accipiant ab Eccleſiis &c. ut *nulla* cujuſquam pretii exactio attentetur &c. Qui, ſimileſque modi loquendi, non dant hic facilem locum explicationibus illis, ſeu limitationibus: *ne vendatur carius propter conſecrationem:* (quod alias eſt ſimoniacum;) *aut ſi fiat mercatura quædam: vel ſi adſit ſcandalum*. Sed præſeferunt, ſimpliciter eſſe prohibitum, etiam ratione valoris intrinſeci materiæ: & quidem merito, nam cum agatur de re minimi diſpendii, nimis vile & indecorum eſſet, & prorſus venale, Cathedralem Eccleſiam in hujuſmodi repetundis avidius detineri. Immo nec proderit uſus, ſeu potius abuſus, ſi alicubi fuerit introductus: quemadmodum animadvertitur *Cap. Non ſatis* 8. *de Simon.* ubi dicitur: *Pro ſepultura quoque, & Chriſmatis, & olei receptione nulla cujuſquam pretii exactio attentetur: nec ſub obtentu cujuſdam conſuetudinis, reatum ſuum quis tueatur: quia diuturnitas temporis, non diminuit peccata, ſed auget.*

Dices: in allegato Canone prohibetur exigi, ſeu recipi aliquid, & declaratur abuſus conſuetudo exigendi, ſeu recepiendi non ſolum pro Oleo ſacro, & Chriſmate, verum etiam pro ſepultura. Atqui pro Sepultura, eo Canone, & ſimilibus non obſtantibus, licite recipitur, immo & exigitur aliquid, ubi adeſt conſuetudo. Ergo, ſaltem ubi adſit conſuetudo, poterit aliquid recipi pro diſtributione ſacri olei, & Chriſmatis: non obſtante eodem allegato Canone, atque ſimilibus.

℞. Quod, uti docebimus in Appendice ad Calcem Diarii cap. 8. de die obitus, & depoſit. art. 5. de quarta funer. n. 34. quoad Exequias Def. Sepulturam; benedictionem Nuptiarum; cæremonias baptiſmi; & ſimilia prævaluit nova conſuetudo, ſcientibus, & conniventibus Superioribus Eccleſiaſticis. Contra vero, conſuetudo recipiendi aliquid pro diſtributione ſacri Olei, & Chriſmatis non toleratur, ſed declaratur abuſus, ut in Decreto S. C. Epiſc. 6. Septembr. 1604. apud Caval. to. 4. c. 26. decr. 10. *In diſtributione ſacrorum Oleorum non permittat Epiſcopus, ut aliquid recipiatur: non obſtante conſuetudine: quæ dici, debet, abuſus contrarius diſpoſitioni ſacrorum Canonum.*

Qu. II. An tempore Interdicti localis generalis liceat in hac feria V. conficere Chriſma? Dubium oritur ex eo, quia adnumeratur inter Divina Officia confectio Chriſmatis. Avil. *de cenſur. par.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 1. *dubit.* 1. *concl.* 1. Prohibentur autem Divina Officia tempore Interdicti particularis; & licet concedantur tempore Interdicti localis generalis, prohibetur tamen etiam tunc, publice, & ſolemniter ea celebrare: exceptis nonnullis feſtivitatibus, ſive diebus, in quibus vero non eſt hæc feria V. Cœnæ Domini. 193

℞. Et dico: tempore Interdicti localis ſive particularis, ſive univerſalis, & in Eccleſia etiam interdicta licet conficere Chriſma in feria V. Cœnæ Domini: Januis tamen clauſis,

ſis, non pulſatis campanis, Excommunicatis, & Interdictis excluſis. Prima pars hujus aſſertionis conſtat ex *Cap. Reſponſo* 43. *de ſentent. excomm. & Cap. Quoniam* 9. *de ſent. excom. in* 6. Quæ etiam allegantur a Sylveſtro, & Chiavetta locis infra cit. & a Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 37. *ſect.* 1. poſt medium. Et confirmatur ratione: quia, quando aliquid conceditur, eo ipſo cenſetur concedi omne illud, ſine quo conceſſum non poteſt poni in eſſe: alioquin vana, ac nulla eſſet conceſſio. Sed tempore Interdicti localis ſive univerſalis, ſive particularis, & in Eccleſia etiam interdicta licet adminiſtratio aliquorum Sacramentorum, ad quæ miniſtranda opus eſt Chriſmate: puta, Sacramenta Baptiſmatis, & Confirmationis. Ergo &c. Secunda pars aſſertionis etiam conſtat ex *C. Alma Mater.* 24. *de ſent. excomm. in* 6. Vid. Bonac. *tom.* 1. *diſp.* 5. *pu.* 3. §. 1. *num.* 2. Avil. *l. citat. dubit.* 4. *concl.* 4. *& dubit.* 8. *concl.* 2. Sylveſt. V. *Interdictum* 5. *qu.* 6. *n.* 9. Lezan. V. *Interdictum n.* 14. Tolet. *Inſtruct. Saccrd. lib.* 1. *c.* 53. *nu.* 2. Chiavet. *Inſtit. jur. canon. lib.* 3. *par.* 2. *c.* 9. §. 9. *n.* 57.

SUBSECTIO IX.

De Reconciliatione publicorum Pœnitentiam.

194 Diximus in feria IV. Cinerum, olim in Eccleſia conſueviſſe in illa feria pœnitentia publica ſolemnique puniri peccatores publicos, quorumdam ſcelerum graviorum. Ibidem notavimus, hujuſmodi diſciplinam, licet juſtis de cauſis abolitam, nihilominus in quibuſdam particularibus Eccleſiis hactenus cuſtodiri: quarum exempla quædam ibi protulimus. Nunc autem notamus, utpote hujus loci proprium: eoſdem prædictos publicos Pœnitentes, ubi explevisſent tempus pœnitentiæ ipſis impoſitæ, vel etiam eo nondum expleto, attamen benigno Eccleſiæ favore, reliquo, quod ſupererat, pœnitentiæ ſpatio relaxato, Eccleſiæ reconciliatos fuiſſe ſolemniter, & cæremonialiter a Sacerdotibus in hac feria V. Cœnæ Domini, *C. De Pœnitentibus* 17. *diſt.* 3. *de Conſecr. & ex Ordine Rom. tit. de ordine in quarta feria Quadrag. & tit. de Offic. div. in Cœna Domini. Quia ſcilicet ipſa die, qua Sacramenta Corporis, & Sanguinis ſui Dominus primum confecit, ac Diſcipulis ſuis percipienda tradidit, oportebat ad hæc reſumenda pœnitentes reſtaurarent: eo videlicet tempore, quo Sanguinis Chriſti in remiſſionem omnium fuſus eſt peccatorum.* Ita Rabanus Maurus *Inſtit. Cleric. lib.* 2. *c.* 36. Conſonat Ivo Carnotenſis Epiſcopus ſermone *de Cœna Domini*; videri etiam poteſt Rupertus Abb. *de divin. offic. lib.* 5. *c.* 19.

In Pontificali Romano Clementis VIII. & Urbani VIII. agitur de ritu prædicto, atque deſcribitur functio, ſeu cæremonia, quæ in hac feria fit, reconciliandi peccatores, qui in feria IV. Cinerum fuere publice expulſi ab Eccleſia. Quæ diſciplina, ut ſignificavimus, in quibuſdam Eccleſiis hactenus cuſtoditur.

Hujuſmodi publica, & ſolemnis Pœnitentium reconciliatio fiebat olim in prima ex tribus Miſſis, quæ in hac feria ſolemniter dicebantur. Porro, ut referunt Benedictus XIV. *de feſt. Dom. c.* 6. §. 8. & Meratus *to.* 1. *par.* 1. *in præliminar. n.* 16. *infra* me-

medium: in hac feria V. Cœnæ Domini olim dicebantur tres Miſſæ; prima ad reconciliandos pœnitentes prædictos; altera propter benedictionem Sanctorum Oleorum; tertia tandem in memoriam inſtitutionis Euchariſtiæ. Poſtquam vero variatis temporum circumſtantiis, unicam Miſſam ſolemniter celebrare eſt conſtitutum, prædictæ tres functiones diverſis unius & ejuſdem Miſſæ partibus ſunt attributæ. Illas vero tres Miſſas antiquitus in hac feria celebratas ab uno eodemque Epiſcopo fuiſſe, affirmat Cardinalis Bona, quem laudat idem Benedictus XIV. *opuſc. cit. c.* 17. §. 5. At vero Theophilus Raynaudus, Cardinalis De-Lugo, & Vaſquez negant, hujuſmodi privilegium fuiſſe umquam conceſſum ulli alteri diei, quam Nativitatis Domini. Vide dicta 24. Junii art. 1. Sect. 1. qu. 3. n. 6.

195 Prædicto autem Ritui, ac veteri diſciplinæ maxime conſonum eſt, quod hodie in Miſſa ſolemni ante Communionem Cleri, de qua Subſ. 4. §. 5. Diaconus dicat confeſſionem, ſeu recitet *Confiteor*, elata voce, ac ſolemniter. Etſi enim ſimilis ritus ex Cærem. Epiſcop. quibuslibet conveniat univerſalibus, ſeu ſolemnibus Communionibus; nihilominus in hac feria V. Cœnæ Domini ſpecialem ſignificationem præſeferre videtur: nimirum quaſi aliqua fiat publica, & ſolemnis confeſſio peccatorum, nomine totius Cleri, & populi circumſtantis; quam confeſſionem ſequatur conſueta abſolutio generalis impertita a Sacerdote celebrante per illa verba: *Miſereatur veſtri* &c. & *Indulgentiam* &c. Quæ tamen non eſt abſolutio Sacramentalis, ut conſtat, ſed ſimpliciter deprecativa, & cæremonialis. Quemadmodum & prædicta vetus hodierna ſolemnis abſolutio Pœnitentium, non erat Sacramentalis, ſed pro foro externo reconciliativa cum Communitate; & atteſtativa pœnitentiæ fideliter expletæ. Porro etiam præfati publici Pœnitentes abſolvebantur a culpis in foro interno ſtatim, vel paulo poſt peractam confeſſionem Sacramentalem; immo & Euchariſtia miniſtrabatur iiſdem etiam per decurſum pœnitentiæ necdum expletæ. Vid. La-Croix *lib. 6. part. 2. qu.* 170. §. 1. *n.* 1230. *& qu.* 253. §. 3. 1766.

SUBSECTIO X.

Not. pro Bulla Cœnæ.

BULLA Cœnæ eſt Pontificium Decretum ſic nuncupatum, eo quod ſummus Pontifex omni anno, die Cœnæ Domini, ſeu in hac feria V. majoris hebdomadæ, niſi quid obſtet, illud conſueverit renovare; per quod fert cenſuras, ſeu excommunicationem, & reſervationem in crimica quædam. Declaravit S. Pius V. antiquam hujuſmodi Bullam durare uſque ad promulgationem novæ. Eam falſo a nonnullis tribui Martino V. eſſe tamen antiquiſſimam, & ejuſdem Auctorem, & promulgationis initium ignorari, oſtendit Benedictus XIV. *de feſtis Dom. cap.* 6. §. 8. fine. Hujuſmodi Bullam ad verbum deſcriptam dare paſſim ſolent Scriptores Theologiæ Moralis, qui & dubia plura ad illam ſpectantia ſolvunt. Ubi promulgatur Bulla Cruciatæ, quomodo, & quantum illa proſit pro abſolutione a reſervatis in Bulla Cœnæ? Vid. hujus lib. 4. par. 1. c. 2. ubi de Bulla Cruc. art. 1. Sect. 1. Subſ. 3. 196

SUBSECTIO XI.

Not. pro Jejunio.

197 NOTAT Durandus in *Ration. lib. 6. c. 76. n. 7.* ſtatutum eſſe in Canonibus, hoc eſt C. *Non liceat* 7. & C. *Non oportet*. 8. diſt. 3. *de conſecr.* ne hac quinta feria majoris hebdomadæ jejunium ſolvatur. Enimvero ex eo, quod Chriſtus Dominus ſurgens de Cœna lavit diſcipulorum pedes, & iterum rediit ad Cœnam: ideo quidam ad inſtar ipſius volebant poſt prandium pedes aliis abluere, & iterum poſt ablutionem cœnare; quod quidem permiſerant Concilia quædam relata a Cardinali De-Lugo *de Euchar. diſp. 15. Sect. 2. n. 16. & 17.* & videri etiam poteſt S. Auguſtinus *ad Januar. Epiſt. 118. c. 6.* Sed illud jam fieri non debet: ut etiam monet Durandus; veteri illa licentia revocata; & videri etiam poteſt Epiſtola Benedicti XIV. deſcribenda hic Subſ. 13.

Nihilominus Joannes Beleth *de divin. offic. cap. 95.* hæc habet: *Parum comedant* (ante lotionem pedum ii, qui in Cœna Domini lavare debent aliorum pedes:) *nec ultra tamen quam conſuetum eſt. Deinde debent ſurgere a menſa, ac pauperum pedes lavare. Quo facto, poteſt, qui ideo parum comedit, ſeſe ad menſam recipere, atque iterum comedere, quod jejunium non frangit, ſed interrumpit.* Hæc Beleth. Verum hujuſmodi conſuetudo jam nullibi videtur exiſtere, etſi vigeat laudabilis uſus præbendi cœnam magnam pauperibus duodecim, vel tredecim, iiſque lavandi pedes ante Cœnam, quemadmodum diximus ſubſ. 7. num. 175. Refert Buſemb. *lib. 3. par. 2. tr. 6. c. 3. de 3. præcep. Eccleſ. dub. 1. reſol. 2.* alicubi permitti collatiunculam pinguiorem in Cœna Domini; ſed videri poſſunt dicenda in Sabbato Sancto ſubſ. 6.

Plerique hodie, aut etiam ſequenti feria ſe flagellis cruentant in memoriam Paſſionis, & mortis Domini publice, & per vias Civitatis, ad promovendam fidelium devotionem; quæ pia conſuetudo a S. Vincentio Ferrerio in hac hebdomada ſancta aſſeritur inſtituta apud Joſephum Lopez Ezquerra opuſc. inſcript. *Lucerna myſtica;* in prolegomen. animadverſ. ejuſdem opuſc. n. 28. Sed alii longe antiquiorem illam faciunt, traduntque Patavii adhiberi cœptam, concionante in Urbe Sancto Antonio. Vide Petrum Ribaden. in laudati Sancti vita. Jamvero ſi quis prævideat, ſe ita debilitandum, ſi prædictam flagellationem aſſumat, ut jejunare non poſſit; quæritur: an illam nihilominus aſſumere liceat, & conſequenter deinde non ſervare jejunium Eccleſiæ, quod occurrit? 198

℞. Negant licere Palatios, & alii innominatim apud La-Croix *lib. 3. par. 2. qu. 265. §. 2. n. 1346.* Affirmat vero Thomas Sanchez *to. 2. conſil. lib. 5. cap. 1. dub. 12.* quia, inquit, hæc eſt cauſa honeſtiſſima, & maxime conveniens Religioni, & devotioni fidelium, quod ſint in Eccleſia hujuſmodi flagellationes publicæ. Idem propter rationem eamdem ſuſtinet Tamburinus in *Decal. lib. 4. c. 5. §. 7. n. 30.* Idem docent alii, ex eo quia flagellatio uſque ad ſanguinem videatur opus jejunio etiam præſtantius. Opinionem eamdem ſequitur Jo. Sanchez apud Dian. *edit. coord. to. 4. tr. 6. R. 19. §. 2.* non enim, inquit, Eccleſia præcipit abſtinere a flagellis ob jejunium; ſed

tan-

tantum jejunium ſervari a potentibus. Favet huic ſententiæ Leſſius *de Juſt. lib. 4. c. 6. dubit. 6. n. 44.* ubi docet: Eccleſiam ita præcipere jejunium, ut alia officia pietatis, quæ pro tempore, & loco, ſe offerant, nolit impedire, ſi ea non poſſint commode differri. Idipſum affirmat Viva in propr. 31. Alexandri VII. nu. 9. Jamvero hujuſmodi eſt flagellatio prædicta in die Cœnæ Domini, aut in feria VI. Paraſceves. Hanc ſententiam affirmativam, dicit, eſſe probabiliorem, La-Croix loc. cit. Similiter Salmanticens *tom. 5. tr. 23. cap. 2. pu. 7. §. 3. n. 145.*

SUBSECTIO XII.

Not. pro Supplicationibus, ſeu Proceſſionibus nocturnis SS. Sacramenti.

199 PROCESSIONES *facere de nocte cum SS. Sacramento feria quinta, & ſexta majoris hebdomadæ non convenit, & repugnat myſteriis Eccleſiæ, & eſt abuſus omnino tollendus.* S. C. R. in *Mantuana* 18. Auguſti. 1606. Vid. dicenda in ſeq. fer. VI. Subſ. 7. n. 290.

SUBSECTIO XIII.

DECRETA QUÆDAM

A Cardinali Patriarcha Lisbonenſi edita, collaudata, & confirmata a BENEDICTO XIV. in ejus ad prædictum Cardinalem Epiſtola tenoris ſequentis.

Dilecto Filio Noſtro Thomæ S. R. E. Presbytero Cardinali de Alemeyda nuncupato.

BENEDICTUS P.P. XIV.

200 SINGULAREM *voluptatem ſenſimus, ea perlegentes, quæ graviter, ac ſapienter a te conſtituta ſunt, ac die* XII. *Martii anno MDCCLIII. evulgata, ut omnibus innoteſcerent. Cognovimus pariter ardentiſſimum ſtudium, quo tum Regulares, tum Sæculares, alioſque tuæ Paſtorali Curæ commendatos vehementer excitas, ut iiſdem mandatis diligenter obtemperent.*

§. 1. *Primo loco præcipis, ut Veſpertina Officia, quæ feria V. Majoris Hebdomadæ fieri conſueverunt in Eccleſiis Sæcularium, ac Regularium, ad certam horam ſolum protrahantur; & ipſarum fores ad mediam horam poſt occaſum Solis occludantur; nec mane ante pateant, quam Solis ortus illuceſcat; Siquidem cognitum, perſpectumque habebas, ad honeſtos mores labefactandos, cauſam præberi, cum magna frequentia Virorum, & Mulierum nocturno tempore in ea Templa conveniret; quam ſane veterem conſuetudinem ideo Prædeceſſores tui nunquam improbarunt, quod ii nocturni Fidelium conventus tunc temporis pietatem, ac Religionem ſolum præferebant.*

§. 2. *Secundo loco, ne ſpatio illius noctis Divina Eucharistia cultu debito careret, ſapienter indixiſti Viris Eccleſiaſticis, eorum Miniſtris, & Fratribus Sodalitatum, quæ a Venerabili Eucharistia Sacramento nuncupantur, ut occluſis Templi foribus, alternatim Chriſto Domino pie, religioſeque obſequantur, qui ſub panis ſpecie continetur.*

§. 3. *Tertio loco, cum Paſſio Salvatoris noſtri intempeſtivis horis a Concionatoribus celebrari ſoleret, ideo pro tua ſingulari prudentia decernis, ut mane feriæ VI. Majoris Hebdomadæ hi ſermones habeantur, ſtatim ac Evangelium, quod eo die canitur in ſolemni Officio, abſolutum fuerit; ubi vero conſuetudo obtinuit, ut nocte ejuſdem*

feriæ VI. verba faciant Concionatores, alia hora poſt meridiem ejus diei ſeligatur, ita tamen, ut fores Eccleſiæ deſignato ante tempore obſervari queant.

§. 4. *Quarto loco, cum illi, qui Eccleſias adibant feria V. Majoris hebdomadæ, (quæ ſancta vulgo appellatur:) peculiares quoſdam cibos ſecum deferrent, quibus deinde etiam in ipſis Eccleſiis uterentur, ita ut cultum Dei Templo conſentaneum, & legem jejunii impudenter violarent: cum, inquam, hanc corruptelam ſine magno animi tui mœrore pati, ac diſſimulare minime poſſes, opportuna remedia attuliſti, graviſſimis ſententiis, ac pœnis in eos promulgatis, qui cibos ejuſmodi per illos dies venderent, vel ipſos manducare etiam in ſacris Ædibus, non dubitarent.*

§. 5. *Hæc potiſſimum ex decretis tuis delibata ob eam cauſam commemoravimus, ut ipſa diligenter a Nobis perlecta dignoſceres; neque prætermiſimus cætera, quæ in iiſdem decretis habentur: nempe vehementem cohortationem, ut Eccleſiis cultus exhibeatur, ne Deus hac graviſſima quidem injuria, atque impudentia laceſſitus, ad iracundiam concitetur. Poſtremo cum decreta hujuſmodi probari a Nobis, magnopere depoſcas, ut noſtra auctoritate corroborata, perpetuo firmentur, & homines facilius, ad illa obſervanda, inducantur, hoc tibi reſponſum faciendum exiſtimavimus.*

§. 6. *In primis, conſentaneum quidem antiquis Eccleſiæ Inſtitutis fatemur, ut noctis tempore Divina Officia celebrarentur; imperitus enim diſciplinæ Eccleſiaſticæ prorſus videretur, qui ignoraret, Majoribus noſtris per multa ſæcula poſitum in more fuiſſe, ut nocturnis Vigiliis ſolemnia Feſta, ac Myſteria prævenirent, & canendis Divinis laudibus, ſanctiſque precibus occupati, noctes integras ſimul in Templis traducerent. At vero diuturnitate temporis adeo labefactari cœpit hæc pia conſuetudo, ut tribus Majoris Hebdomadæ diebus Vigilias ſolum ſtatuerent; & ob eam cauſam Officia illorum dierum (eo quod nocte fieri ſolerent.* Matutini tenebrarum *adhuc nominantur; Vigiliæ quoque permiſſæ fuerunt ante diem Natalem, & Epiphaniam Domini. Diœceſes autem, quæ diſciplinæ laude commendantur,* Matutinos tenebrarum *a nocturnis horis ad poſtmeridianas traduxerunt; Vigiliis etiam conſuetis ante feſtum Epiphaniæ Matutinas horas uſque ad meridiem ſubrogarunt. Cum tamen priſtinum Eccleſiæ inſtitutum retinere vellent in Pervigilio Natalis Domini, nempe poſt mediam noctem rem Divinam conficere, & Populum in certas Eccleſias confluentem admittere, cautum diligentiſſime fuit, ut corruptelis omnis aditus intercluderetur; at cum difficile id viſum fuiſſet, virtute præſtantes Epiſcopi decreverunt, ut nocte quidem in Eccleſia, ſed clauſis illarum foribus hæc ſacra Officia peragerentur.*

§. 7. *Agnoſcimus pariter animi tui conſilium ab Eccleſiæ moribus minime alienum, eo quod coercendam putaveris illorum intemperantiam, qui ſanctiſſimis Majoris Hebdombdæ diebus in Templa ſe conferunt, ibique certis quibuſdam cibis indulgent. Equidem magnis laudibus prædicantur a Sacris Scriptoribus Agapæ, ſive honeſtiſſima convivia, quæ Fideles poſt acceptam Divinam Euchariſtiam pluribus ſæculis inibant: ut mutuæ inter Chriſtianos benevolentiæ publicum teſtimonium oſtenderetur, & certis diebus egentes, ac miſeri liberali divitum opulentia ſuſten-*

ta-

tarentur. Itaque ſi ejuſmodi convivia plena honeſtatis, quæque ad charitatem exercendam inducta primo fuerunt, & magna cum innocentia per longum temporis ſpatium conſervata, penitus abrogare oportuit, ob graves offenſiones, & ſcandala, quæ dimanare ex illis cœperunt; ita ut nemo ſit, qui non probet Eccleſiæ decreta, quibus ea convivia de medio auferuntur; nemo ſane prudentiam tuam, & conſilium non commendabit, qui pravam edendi licentiam ab Eccleſia removere, ac pœnitus eliminare voluiſti: cum præſertim, ea nefaria intemperantia, jejunii leges, ſanctiſſimis etiam diebus, frangerentur, quas Majores noſtri tanta ſeveritate, ac religione coluerunt, ut nihil omnino deguſtarent, & cyatum quoque frigidæ recuſarent.

§. 8. *Supervacaneum ducimus ad hæc probanda proferre in medium ſacræ antiquitatis documenta: cum ſatis eruditorum hominum teſtimoniis confirmentur. Accedit, quod ipſa luce clarius innoteſcunt ex iis, quæ Nos ipſi congeſſimus in quatuor libros a Nobis magno labore conſcriptos* De Canonizatione Sanctorum, & in Eccleſiaſticas Inſtitutiones, *quas Bononiæ confecimus, cum in illam Sedem (quam nunc etiam retinemus,) tranſlati fuimus. Alia pariter argumenta deſumi poſſunt ex aliis Noſtris* Commentariis in Sacra Jeſu Chriſti, Matriſque ejus Feſta, ac Miſſæ Sacrificium: *quibus plurima ſane addidimus, dum in Summo Pontificatu verſamur, & quæ vernacula lingua primum a Nobis exarata, nuper juſſu Noſtro in latinam converſa fuerunt.*

§. 9. *Omittimus verba facere de hora, quam pro habenda Concione Dominicæ Paſſionis ſtatuiſti. Idem plane mos, ac diſciplina jam pridem invaluit in præclaris Italiæ Diœceſibus, & in ipſa Vaticana Baſilica, ubi Nos in Minoribus poſiti Theologalem Præbendam obtinuimus: ſiquidem feria VI. Majoris Hebdomadæ poſt recitatam in Choro Domini Paſſionem, Concio de ipſa ſtatim inſtituitur; idem fieri conſuevit in Pontificio Sacello coram Nobis ipſis, Cardinalium Collegio, & reliquis Ordinibus, quibus facultas eſt in eum locum conveniendi.*

§. 10. *Cum igitur tua Decreta præſentibus Eccleſiæ moribus, & inſtitutis conſentanea plane videantur, ea libentiſſime approbamus, & Apoſtolicæ auctoritatis pondus adjungentes, præcipimus obſervari, penitus ſublata quacumque contraria conſuetudine, quamvis ad honeſtum finem inducta fuerit, & longo ſpatio temporis inveteraverit; etenim pravum hominum ingenium, & morum corruptela id neceſſario requirit, ut de medio tollantur ea, quæ licet initio virtutem præſeferrent, labente curſu temporis, virtutem ipſam corrumpunt, ac labefactant.*

§. 11. *Interea, dilecte Fili Noſter, tuis, ac tuorum precibus Nos vehementer commendamus; & quoniam Vineam Domini tibi creditam tam feliciter colere, ſuſcepiſti; ne prætermittas operam, ac laborem impendere, ut fructus in diem magis excreſcat; nec te deterreant ullæ difficultates, quæ tuis præclaris conatibus objiciuntur; Nos profecto ſemper ad tutandam Religionem, & morum integritatem paratos invenies. Poſtremo tibi Benedictionem Apoſtolicam, tuoque populo peramanter impertimur.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XXXI. *Auguſt. MDCCXLV. Pontificatus Noſtri anno VI.* Extat in ejuſd. Pontif. ſelectis Conſtitut. par. I. num. 43.

SUB-

SUBSECTIO XIV.

Not. pro Bened. menſæ, gratiarum actione, ac lectione.

201 Feria V. in Cœna Domini ante Cœnam Sacerdos benedicturus menſam, incipit, & dicit abſolute, ideſt, non præmiſſo *Benedicite*: & ſine nota, ſeu ſine cantu ℣. *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens*. ℟. *uſque ad mortem*. Deinde: *Pater noſter*: totum ſecreto, ex Rubr. Brev. atque adeo nec alta voce inchoari debet *Pater noſter*: neque pronunciari *Et ne nos inducas*. Dicto *Pater noſter*: Sacerdos precem nullam dicens ſignat Menſam ſigno Crucis; & hoc pacto cenſetur expleta benedictio menſæ. Caval. *to.* 4, *c.* 25. *comment. in decr. n.* 7.

Lector ad menſam non petit benedictionem: *Jube Domne*. Nec in fine dicit: *Tu autem*. Rubr. Brev.

Poſt menſam pro gratiarum actione repetitur ℣. *Chriſtus factus eſt*, ut ſupra. Poſtea dicitur Pſ. *Miſerere*, quo finito ſine ℣. *Gloria Patri*: dicitur: *Pater noſter*: totum ſecreto, ut ſupra. Deinde Sacerdos dicit abſolute, hoc eſt, non præmiſſo *Oremus*, Orationem: *Reſpice*: & non pronunciatur, *Qui tecum*: nec *fidelium Animæ*. Sed ſecreto dicitur *Pater noſter*: nec additur *Deus det nobis ſuam pacem*. Rubr. Brev. Verſus *Fidelium*, & *Deus det nobis*, plane omittuntur. An ſimiliter omittenda ſit in Oratione concluſio illa: *Qui tecum*, vel recitari ſecreto? Cavalerius l. cit. exiſtimat, eſſe Rubricæ conformius, ſi ſimiliter plane omittatur. Itaque recitata oratione uſque ad illa verba: *Crucis ſubire tormentum*; ſtatim ſubditur: *Pater noſter*: totum ſecreto ut ſupra; quo abſoluto, abſque eo quod aliquid ulterius dicatur, omnes recedunt. Pro expoſitione autem myſtica Cæremoniarum hujuſmodi videri poſſunt dicta art. 3. n. 16.

SECTIO VI.

Not. Feria VI. in Paraſceve.

Illum hebdomadæ diem, quem nos vocamus feriam ſextam, vulgo diem Veneris, Hebræi, qui inter Græcos converſabantur, dicebant *Paraſcevem*. *Paraſceve* itaque vox græca eſt, & ſignificat *Præparatio*: ex Beda apud Amalarium *de Eccl. Offic. l.* 1. *c.* 13. & aliis. Hebræi autem hujuſmodi diem, qui Sabbatum præcedit, nuncuparunt Paraſcevem, ſeu diem præparationis, quia, cum in ſequenti Sabbato omnem omnino laborem ſibi ex lege putaverint interdictum, ideo hoc præcedenti die præparabant cibos, & alia, quæ futura erant ipſis neceſſaria in Sabbato, nec ſine labore potuiſſent comparare. Paraſceve igitur eſt omnis feria ſexta, ſecundum Hebræos. At vero nomen id Eccleſia attribuit huic tantummodo ſextæ feriæ, quæ eſt proxima ante Paſcha. In quo quidem myſterium agnoſcit Durandus *in Ration. divin. offic. lib.* 7. *cap.* 1. *n.* 8. ubi vult, id factum eſſe, ad ſignificandum, quod in hac feria præparatus ſit cibus ſive, Manna, quo & militaris Eccleſia modo, & triumphans in futura requie perfruetur. 202

Nota etiam hic: diem hunc, quo Dominus paſſus eſt, a nonnullis antiquis Scriptoribus dictum fuiſſe diem Paſchatis: quia nimirum putarunt, Paſcha idem ſonare ac Paſſionem, & nomen Paſcha oriri a græco πάσχειν

Pa-

Paſchin : quod latine eſt *pati*; unde diei Paſchatis nomine intelligebant etiam diem Paſſionis, & mortis Domini. Verumtamen Paſcha non idem ſonare, quod Paſſionem, nec derivari a græco *Paſchin*, ſcite animadvertunt S. Auguſtinus *in Pſal.* 140. *verſus* finem. S. Iſidorus *de Eccl. Officiis lib.* 1. *c.* 31. Durand. *in Ration. offic. lib.* 6. *cap.* 86. *n.* 2. Raynaud. *to.* 9. *tr. de Juda prodit. c.* 9. *nu.* 7. Juvat interim audire Nazianzenum de hujus vocabuli corruptione loquentem Orat. 42. : *Hoc Paſcha, hoc, inquam, magnum, & venerandum Paſcha ab Hebræis juxta eorum linguam nominatur : (quæ vox tranſitum ſonat;) hiſtorica quidem ratione propter Iſraelitarum ex Egypto in Chananæam Regionem fugam, & migrationem: ſin autem ſpiritualem ſenſum ſpectemus, propter noſtrum ex his inferioribus ad ſuperiora, atque ad promiſſionis terram progreſſionem, & aſcenſum. Quod vero in permultis Scripturæ locis accidiſſe comperimus, & vocabula quædam ab obſcuriori ſenſu ad apertiorem, atque a duriori ſono ad elegantiorem, commodioremque immutata ſint, idem hic quoque contigiſſe animadvertimus. Quidam enim ſalutiferæ Paſſionis nomen hoc eſſe arbitrati, ac deinde per litteræ* φ *in* π, *&* χ *in* χ *mutationem, hanc vocem ad linguam græcam accomodantes, hunc diem Paſcha nominarunt*. Ita Nazianzenus. Hujuſmodi autem illorum Scriptorum locutionem hic notare, non inutile viſum eſt, ne quis, de eo, quod proprie dicitur Paſcha, ſcripta fuiſſe putet, illa, quæ de hac die, ſeu de hac feria ſexta in Paraſceve, & tempore Paſſionis ſcripſerunt veteres Auctores nonnulli, hanc feriam ſextam vocantes diem Paſchatis.

In hac autem feria ſexta plura ad inſtitutum noſtrum notanda ſunt, quæ explicabimus Subſectionibus IX.

Subſ. I. *De Horis Can. & Offic. Defunct. in die Obitus n.* 203.

Subſ. II. *Not. pro feſto Annunc. B. M. V. vel alio de præc. in foro n.* 204.

Subſ. III. *De Miſſa a n.* 205.

Subſ. IV. *De Function. ſolemn. & Pontifical. n.* 213.

Subſ. V. *De Officio Paraſceves ad Altare a n.* 214.

Subſ. VI. *De Communione Laica a n.* 272.

Subſ. VII. *De Supplicationibus, ſeu Proceſſionibus a n.* 288.

Subſ. VIII. *De Bened. Menſæ, gratiarum actione, & lectione a n.* 291.

Subſ. IX. *De circumſtantia temporis ſanctæ hujus fer. VI. & de nonnullis ſuperſtitionibus a n.* 293.

SUBSECTIO I.

De Horis Canonicis, & Offic. Defunct. in die Obitus.

203 FERIA VI. in Paraſc. dupl. 1. cl. *Rubr. gen. Brev. tit.* 1. *n.* 1. *& tit.* 9. *nu.* 5. *& in duabus tabell. excerpt. ex Rubr. gen.* Offic. ut in propr. Vid. dicta art. præced. 3. a n. 9. Nona cum aliis præcedentibus minoribus Horis ſine lumine dicitur, ut ex Cærem. Epiſcop. & Gavanto notavimus l. cit. n. 15. Pro Veſperis vide dicenda Subſ. 5. §. 19. Pro Matutino, & Laudibus ſequentis diei vide dicta cit. Sect. 1. Si debeat recitari officium Defunctorum pro recenter Defuncto, qua ratione

ne debeat fieri? Diximus cit. art. 3. num. 56.

SUBSECTIO II.

Not. pro Feſto Annunciationis B. M. V. vel alio de præc. in foro.

204 In caſu, quo feſtum Annunciationis B. M. V. vel aliud feſtum de præcepto in foro incidat in fer. VI. majoris hebdomadæ, quid notandum? expoſuimus 25. Martii art. 2. a nu. 36. & 42.

SUBSECTIO III.

De Miſſa.

205 Qu. I. Utrum feria ſexta majoris hebdomæ liceat celebrare Miſſæ Sacrificium?

℞. Certum eſt, eccleſiaſtico jure, & generali totius Eccleſiæ conſuetudine, quæ eſt habenda pro lege, eſſe feria VI. majoris hebdomadæ ſub mortali prohibitum Sacerdotibus, offerre Sacrificium publice, vel privatim, & ſecreto; quod jus Innocentius I. declaravit *epiſtol.* 1. *alias* 25. *ad Decentium Epiſcopum* c. 4. n. 7. & habetur in C. *Sabbato*. 13. *diſt.* 3. *de conſecr.* ubi æqualiter ſermo eſt de Sabbato Sancto, ac de feria ſexta præcedenti, teſtaturque Eccleſiæ traditionem habere; iſto biduo penitus Sacramenta non celebrari: ſermo autem eſt de biduo præcedente proxime Sanctum Paſcha, nempe de fer. VI. & Sabbato majoris hebdomadæ. Recole dicta art. 3. Sect. 2. Subſect. 2. Et quamvis multi Doctores aliquando putaverint, licere in Sabbato Sancto celebrare privatim, ut vidimus art. 3. loc. cit. Attamen in hac feria VI. Auctores omnes fatentur, non licere: & omnes qui ſcribunt de divinis officiis, referunt hanc eſſe antiquiſſimam traditionem, qua non ſolum privata ſacrificia, ſed etiam ſolemne, & publicum conſuevit omitti; unde in Concilio Toletano decimo ſexto coacto anno 693. can. 8. dicitur: feria VI. in Paraſceve nullum omnino Sacerdotem poſſe Miſſam celebrare; ut enim docebimus Subſ. 5. §. 20. qu. 3. ipſum officium ſolemne hujus diei ad Altare, non eſt Miſſa, & Sacrificium, licet aliquoties ita nuncupatum inveniatur: ſed late loquendo, & minus proprie. Plerique autem nuncupant non ſimpliciter Miſſam, ſed Miſſam Præſanctificatorum: hæc autem eſt, in qua Sacerdos non conſecrat Euchariſtiam, ſed ex proprio munere communicat ſub ſola ſpecie panis antea conſecrati. Quod utique fit in officio Paraſceves ad Altare.

Prohibitionis vero prædictæ rationem affert Divus Thomas 3. *par. q.* 83. *art.* 2. *ad* 2. ſcilicet quia hodie Paſſio Domini ab Eccleſia recolitur, prout realiter geſta eſt: Chriſti videlicet Sacrificium cruentum; & ideo non repræſentatur myſtice per conſecrationem hujus Sacramenti, ſeu non immolatur incruente. Quam rationem indicat etiam Amalarius *de Eccl. Offic. lib.* 1. *c.* 13. verſus finem, item Auctor operis *de div. offic.* ſub nomine Alcuini C. *de Paraſceve*, & Honorius in *Gemma lib.* 3. *cap.* 89. Idem ſignificare videtur Rupertus Abb. *de divin. offic. lib.* 6. *cap.* 10. dicens: *Hodie non ſacrificemus, dum nobis hoſtia tollitur de manibus. Non ſacrificent Amici, dum trucidant inimici.* Idipſum dicit Durandus in *Ration. lib.* 6.

lib. 6. *c.* 77. *n.* 3. Alteram congruentiam adducit Hugo Victorinus *lib.* 3. *de ſpecialibus Miſſæ obſervationibus cap.* 20. his verbis: *Quæritur, quare hac die* (Paraſceves) *Miſſa non cantetur, ſed Corpus Chriſti, reſervatum die præcedenti, ſumatur? Ad quod dicitur: ex Decreto Innocentii Papæ,* (ſeu ex traditione Eccleſiæ, quam declaravit Innocentius Papa:) *Miſſam hoc biduo non celebrari, ut in Paſtoribus Eccleſiæ, ſtatus temporis illius apud Apoſtolos, oſtendatur, qui, ſicut Propheta prædixerat, percuſſo Paſtore, diſperſi erant.* Quam quidem rationem ſignificat Innocentius verbis ſupra recitatis: eamdem indicat Amalarius *de Eccl. offic. lib.* 1. *c.* 15. & etiam Rupertus *lib.* 6. *c.* 2. Alias plures congruentias adducit Durandus *loc. cit. a n.* 32. quæ videri poſſunt; & videri etiam poteſt Joan. Beleth *de div. offic. c.* 97. Cardinalis de Lugo *de Euchariſtia diſp.* 19. *Sect.* 6. *n.* 88. De expoſita vero, & tradita Doctrina Suarez in 3. *par. diſp.* 80. §. *Secundus dies.* Bonac. *de Sacram. Euchar. diſp.* 4. *qu.* 7. *pu.* 2. *n.* 17. Cardinalis de Lugo *de Sacram. Euch. diſp.* 20. *Sect.* 1. *num.* 14. Salmantic. *to.* 1. *tract.* 5. *de Miſſ. c.* 4. *pu.* 1. &c. Non adeſſe præceptum Divinum, ut in Eccleſia Chriſti quotidie Miſſæ Sacrificium offeratur: docuimus tr. 1. l. 1. c. 2. qu. 5. n. 10.

206 Qu. II. An ſaltem liceat celebrare feria VI. majoris hebdomadæ, occurrente in ea Annunciationis feſto, aut aliquo alio locali de præcepto in foro?

℟. Etſi in hujuſmodi caſu affirmaverint nonnulli Auctores apud Gobat tom. 1. tract. 3. caſ. 7. quæſt. 2. nunc tamen certum eſt, ne quidem in dicto caſu celebrare licere. Vid. dicta 25. Martii articul. 2. a num. 36.

Qu. III. An liceat celebrare in hac feria ad dandum Viaticum, ſi ſecus non poſſit, eo quod nulla habeatur Hoſtia conſecrata, & periculum ſit in mora? 207

℟. Affirmant Pegna, & quidam alii, teſte Henriqu. in *Sum. lib.* 9. *c.* 9. *n.* 6. in gloſſ. litt. *s.* fine; qui non contradicit, ſicut nec Gobat, hanc ſententiam referens loc. cit. ſed male: ſi enim non licet celebrare non jejunum, aut ſine ſacris indumentis in ſimili caſu; ut certum eſt: multo minus licet, quando ipſa Sacrificii celebratio abſolute, & tam ſevere interdicitur. Et ratio ulterior eſt; quia in hujuſmodi caſibus ceſſat præceptum ſumendi Euchariſtiam pro Viatico.

Qu. IV. Utrum Parochus, qui in feria V. Cœnæ Domini oblitus fuerit conſecrare Hoſtiam reſervandam; aut licet conſecraverit, aliquo tamen caſu hæc perierit; licite ſacrificet eadem fer. VI. eo fine, ut habeat Hoſtiam conſecratam in prædictum uſum? 208

℟. Negative; ex allatis prohibitionibus: poteſt tamen in tali caſu poni in Sepulchro aliqua ex particulis conſecratis, quæ ſemper ſervari ſolent pro infirmis. Ita Gobbat *to.* 1. *tr.* 3. *caſ.* 1. *qu.* 2. *nu.* 217. & La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 31. §. 3. *n.* 233. Et quoniam in officio ante conſummationem oſtendi debet populo Hoſtia eadem, quæ in Sepulchro fuerat recondita; ne populo admiratio, aut ſcandalum ingeratur, quod minorem forma in Sacrificio conſueta illam videat, certiorari poterit de eo quod acciderit. Videri poſſunt dicenda in Appendice c. 3. n. 15.

209 Interr. Quid, ſi nulla alia habeatur particula conſecrata?

℞. Cum La-Croix loc. cit. debere potius omitti omnia, quam conſecrare in officio feriæ hujus: tum quia hac die prohibetur graviter & abſolute fieri conſecratio; tum etiam quia non licet conſecrare panem ſine vino.

210 Gobat autem loc. cit. concedit in hoc caſu celebrationem Miſſæ in hac feria ante officium Paraſceves, & privatim, ſi ex omiſſione officii præfati ſcandalum ſequeretur: nam omittendo illud, inquit, agitur contra legem naturalem de vitando ſcandalo, & gravibus obmurmurationibus; celebrando autem Sacrificium, non obſervatur tantum lex humana, poſtponenda naturali: *C. fin. de conſuet.*

211 Vult itaque Sacrificium celebrandum aut ab alio Sacerdote, qui conſecret duas Hoſtias, unam ſumendam pro complendo præſenti ſuo Sacrificio; alteram reſervandam, & abſumendam a Celebrante in officio Paraſceves. Aut ſi celebretur ab ipſo, qui poſtea debet peragere officium Paraſceves, non ſumat ablutionem; ut ſit jejunus ad ſumendam alteram Hoſtiam in prædicto Officio. Ita Gobat, quem ſequitur Kreſslinger in addit. ad Reiffenſt. tom. 2. tr. 14. diſt. 5. quæſt. 9. concl. 2. addit. 2. conſentitque Spor. apud La-Croix loc. cit.

212 Sed non video, qualeſit grave ſcandalum, quod oriri poſſit ex omiſſione officii in tali caſu; cum populus aquieſcere debeat prohibitioni Eccleſiæ, neque ſcandalizari ex fortuito caſu.

SUBSECTIO IV.

De Functionibus ſolemnibus, & Pontificalibus.

BENEDICTUS XIII. juſſit in omnibus Eccleſiis Parochialibus celebrari omnes functiones ſolemnes, etiam ſine numero Cantorum, & Miniſtrorum, & parvum Cæremoniale pro Eccleſiis minoribus evulgari præcepit an. 1725. & ſervari mandavit feria VI. in Paraſceve, &c. Apud Merat. *ind decr. Miſſ. n.* 516. & Zachar. *ind. decr. num.* 377. Ratio ſive Ritus celebrandi functiones ſolemnes hujus feriæ VI. in minoribus Eccleſiis, explicatur a Merato *to. 1. par. 4. tit. 9. n.* 79. 213

Functiones Pontificales in fer. VI. in Paraſceve, abſente, vel impedito Epiſcopo, ſpectant ad primam Dignitatem. Vide dicta 6. Januar. articul. 1. ſect. 4.

SUBSECTIO V.

De Officio Paraſceves ad Altare.

§. I.

FINITA *Nona, Sacerdos, & Miniſtri induti paramentis nigri coloris, ſine luminaribus, & incenſo, procedunt ad Altare, & ante illud proſtrati aliquamdiu orant. Interim Acolythi unam tantum tobaleam extendunt ſuper Altare.* Rubr. Miſſ. hic. 214

Hodie Altare majus cum ſuis gradibus bene mundis (ob reſpectum Sacerdotis, & Miniſtrorum ſacrorum, qui ſuper illos ſeſe proſtrari debebunt, ut infra dicetur) erit omnino nudum, & ſuper illud ponentur ſex candelabra obſcuri potius colo-

loris, ferrea aut lignea cum candelis ex cera communi non alba, ut eſt cera recens, ex alveari; & candelæ erunt extinctæ. In medio Altaris erit de more Crux, (confer dicenda inferius nu. 230.) velo tecta nigro, ut cum Gavanto ſuſtinet Caval. *tom.* 4. *c.* 16. *Comment. in decr.* 2. *nu.* 1. ita tamen ut facile ad Adorationem detegi valeat. Tabernaculum SS. Sacramenti Euchariſtiæ erit pariter nudum, & quatenus ratione Imaginum in eo exiſtentium contegi debeat, id in mane fiat conopæo nigro, quod quippe inducit uniformitatem, exprimit mœſtitiam, & ſignum eſt mortis, neque dicit incongruitatem ullam ad SS. Eucharistiam, qua Tabernaculum ſupponitur patenter vacuum, & ejuſdem oſtiolum apertum, ne ibi, quod non eſt, populus Sacramentum adoret. Recole dicta præced. fer. V. ſubſ. 6. n. 166. & 2. Novembr. art. 1. ſect. 3. ſubſ. 3. fine. Menſa parva, ſeu Credentia quoque nuda erit, quæ tamen paulo ante officium tegetur mappa linea alba a nulla parte pendente, vel tantillum ad ſummum per latera; & ſuper ipſam collocabuntur theca Sacri linteaminis, ſeu Burſa, quaſi jacens, habens intus corporale, cum Sacris Calicis linteolo, ſeu Purificatorio: Cuſſinus cum duobus Miſſalibus coopertis, ſi fieri poteſt, tegumentis nigris; pelvicula cum ampullis aquæ, & vini omnino vitreis, & manutergium, mappa oblonga plicata, ſuo tempore extendenda ſuper Altare; Stola latior pro Diacono: velum parvum nigrum pro tegendo Calice, dum poſt officium portatur ad Credentiam; vas vitreum ad purificandos, & purificatorium ad tergendos digitos, ſi forte celebrans tetigerit Sacramentum, dum illud in patena deponit. Denique, ſi Eccleſia non ſit Regularium, præparabitur lanx, ſeu pelvis ad recipiendas oblationes, quæ, ut infra dicetur, fient Cruci.

In Presbyterio præparabuntur tria pulvinaria, ſeu tres cuſſini coriacei, vel ex alia materia, coloris violacei: non tamen ex iis qui in Altari pro Miſſali deſerviunt: ſuo tempore ut infra ponendi pro Celebrante, & ſacris Miniſtris, dum ante Altare procumbunt; Magnus pulvinus ex ſerico villoſo violaceo, vel ex alia materia ſerica, velum album ſerico violaceo contextum, & denique tapes, ſeu pannus violaceus, ut infra adhibendi tempore adorationis Crucis. Verſus cornu Evangelii in remoto loco ponentur tria legilia nuda cum tribus Miſſalibus pro decantanda Paſſione: niſi hæc cantanda ſit ſuper pulpitum, quod ſimiliter erit nudum. Vide infra dicenda §. 5. & in loco ſolito, ex parte Epiſtolæ, Scamnum oblongum omnino nudum, in quo Celebrans cum Miniſtris ſedere valeat. Aderit denique in loco congruo tabula, ſeu ligneum inſtrumentum, ſeu Crotalum, pulſandum elevationis tempore ſacræ Hoſtiæ, vel etiam in Proceſſione.

Prope Sacellum Sepulchri præſto erit Baldachinum album, & ſuperhumerale ad Sacramentum reportandum, ſimiliter album, juxta Inſtructionem Clementinam, quam dabimus in Appendice ad calcem Diarii cap. 3. art. 7. ſect. 5. ubi §. 18. ſic habetur: *Il Celebrante dovendo portare il Santiſſimo in Proceſſione, sarà veſtito con piviale bianco, quando non abbia celebrato con paramenti d' altro*

colore : che in tal caſo continuerà il color della Meſſa : il velo umerale però ſarà di colore bianco in qualſivoglia caſo, che debba portarſi il Sacramento, anco nel Venerdi Santo &c. Congruentiam aſſignat Caval. *to. 4. c. 16. Comment. in decr. 2. n. 5.* quia, inquit, licet Chriſtus recolatur ut mortuus, attamen in Euchariſtia, quæ per Proceſſionem defertur, eſt vivus, ac glorioſus; uti autem id deſignat velum humerale album; ita illud paramenta nigra Celebrantis, & Miniſtrorum. Denique in loco prædicto in promptu iisdem erunt intortitia, & candelæ diſtribuendæ, & accendendæ pro Proceſſione.

215 Dum a Choro dicitur Nona, Celebrans in Sacriſta induitur planeta nigri coloris. Rubr. hic, & Rubric. gen. Miſſ. tit. 18. fine; an autem in defectu nigri coloris poſſit adhiberi color violaceus? vide 2. Novembr. num. 68. & ejuſdem coloris planetas aſſument Miniſtri ſacri plicatas, Acolythi vero veſtientur ſuis cottis lineis de more albis; quorum aliquis circa finem Nonæ, accipiet tres cuſſinos illos coriaceos, qui in presbyterio ſunt parati ut ſupra, eoſque ponet ſuper infimum Altaris gradum, unum in medio, reliquos hinc inde æque cum proportione diſtantes, ut ſuper illos imponere capita ſua poſſint Celebrans, & Miniſtri proſtrati.

Finita Nona Celebrans, & Miniſtri exeuntes de Sacriſtia conſueto ordine, ut ad Miſſam, pergunt ad Altare, omnes junctis manibus: neque enim Sacri Miniſtri aliquid deferunt, neque Thuriferarius thuribulum, nec Ceroferarii Candelabra. Ut ad Altare venerunt, deponunt de more birreta, tum omnes, etiam ipſe Celebrans genuflectunt Cruci unico genu, & deinde Celebrans, & ſacri Miniſtri ſe proſternunt, ponentes genua in plana terra, & brachia ſuper cuſſinos ſupradictos, & ibi proſtrati aliquantulum orant: quo tempore etiam Clerus in Choro, & populus per Eccleſiam genuflexus orat inclinato capite, quo pacto ſimiliter orant a tergo Celebrantis Acolythi, ſed hi citius cæteris ſurgunt, ad nutum vero Cæremoniarii, & unam tobaleam extendunt ſuper Altare, itaut nihil, aut parum hinc inde pendeat, ſuperponunt Miſſale apertum, ſuppoſito de more cuſſino, ſeu diſco.

Altare majus cum ſuis gradibus 216 hodie omnino nudum nuditatem omnimodam Chriſti pendentis in Cruce deſignat, ex Rabano lib. 3. c. 37. & ſimul mœſtitiam innuit; ſimiliter & nudi gradus ejuſdem Altaris, Credentiæ nudæ, legilia, ſeu pulpitum, & ſimilia nullis decorata ornamentis; & candelabra nigra, ſeu coloris obſcuri, nec non rudis, ac pallidæ ceræ candelæ ſuper Altare: quæ etiam manent extinctæ, ut aptæ ſint, denotare extinctionem, ſeu mortem Chriſti, & obſcurationem Solis, & Aſtrorum ecclipſim, denſaſque tenebras, quæ factæ ſunt ſuper univerſam Terram in morte illius; confer dicta art. 3. num. 26. & dicenda in Sabbato Sancto n. 357. Cohærenter paramentorum color eſt niger, qui apud nos triſtitiam indicat, & mœrorem, ut conſtat. At vero Bellotte in obſervationibus ad ritus Eccleſiæ Laudunenſis apud Benedictum XIV. *de Sacr. Miſſ. l. 1. c. 8. n. 17.* peculiarem Eccleſiæ ſuæ ritum exponit abhibendi feria VI. in Paraſceve crocei, ſive ſubflavi coloris indu-

du-

dumenta : quod ſit ad perfidorum Judæorum bilem alluſio : *Non immerito* (inquit ,) *per ſl vum , ſeu croceum colorem deſignantur Judæi , qui velut icterici ira , bili , & obſtinata cæcitate æſluantes convenerunt in unum , ad inceſſendum Nomen illud Chriſti glorioſum , Angelicis etiam Poteſtatibus adorandum*. An autem color flavus æquivaleat omni colori , etiam nigro ? Vide 2. Novembr. n. 79.

Officium Paraſceves ad Altare incipit recitata in Choro Nona , quia Hora Nona exſpiravit Chriſtus ; & finita Nona ad ejus quaſi funus accedimus cum Nicodemo, & aliis . *Duran. in Ration. lib. 6. c. 77. n.* 1. Ruper. *lib. 6. c.* 4. Celebrans , & Miniſtri ubi ad Altare primum accedunt , proſternuntur , & in facies ſuas cadunt, ad majorem humilitatem , & dolorem , ac luctum ingentem denotandum ; videntur etiam in memoriam revocare , quomodo Chriſtus paſſionis nocte cum diſcipulis ſuis in horto oraverit procidens ſuper terram in faciem ſuam , ut Evangeliſtæ teſtantur. Mappa , ſeu tobalea , quæ extenditur ſuper Altare , Sindonem ſignificat , qua corpus Chriſti involutum fuit . Dur. l. cit. Ea non exporrigitur ultra Altaris ſuperficiem , quia ſapit ornatum , & ſolemnitatem ; quam etiam ob cauſam ejuſdem Altaris gradus panno ne quidem nigro teguntur , etiam tempore , quo Celebrans , & Miniſtri ſuper illos proſternuntur , ſed omnino nudi relinquuntur , ſicut & legilia , aut pulpitum pro Paſſione legenda ; Vide dicenda inferius §. 6. n. 224.

§. II.

217 SACERDOS *cum Miniſtris facta oratione aſcendit ad Altare , & oſculatur illud in medio : deinde Lector accedit ad legendam Prophetiam in loco , ubi legitur Epiſtola , & incipit eam ſine titulo , quam etiam Sacerdos legit ſubmiſſa voce apud Altare in cornu Epiſtolæ* . Rubr. Miſſ. hic .

Poſtquam Acolythi extenderunt mappam ſuper Altare, ut ſupra , ad illud cum ſacris Miniſtris aſcendit Celebrans, qui Altare oſculatur in medio , nihil dicens , genuflectentibus ſacris Miniſtris , qui una cum Celebrante mox tranſeunt ad cornu Epiſtolæ , & ibi ita ſe conſtituunt , ut Celebrans ſit in ſuppedaneo , Diaconus in ſecundo gradu a dexteris Celebrantis , & Subdiaconus in tertio , vel in plano in recta linea a dexteris Diaconi . Tum Celebrans ſubmiſſa voce legit ſine titulo Prophetiam : *Hæc dicit Dominus :* qua finita abſque eo quod a Miniſtris reſpondeatur *Deo gratias* , Rubr. gen. Miſſ. tit. 10. n. 1. proſequitur ſequentem Tractum . Interim Lector , non Subdiaconus , Miſſale arripit , & præmiſſa genuflexione Cruci , ante Altaris medium, eamdem Prophetiam ſimiliter ſine titulo cantat : non tamen antequam Celebrans eamdem incœperit : in tono Prophetiarum , & in loco , ubi cantari ſolet Epiſtola ; illa autem completa redit ad altaris medium , ubi genuflexione Cruci facta , pergit ad deponendum Miſſale non oſculata manu Celebrantis , nec ab eo benedictione recepta .

Finita per Lectorem Prophetia , cui nec reſpondetur *Deo gratias ;* In Choro cantatur Tractus , circa cujus finem , vel poſt aliquam partem ejuſdem

dem, (cum neceſſe non ſit verſus omnes, cantari Tractus hujuſmodi, ex communi praxi Urbis; uti teſtatur Meratus tom. 1. par. 4. tit. 9. n. 18. qui tamen cum Bauldry monet, convenientius eſſe, cantari omnes). Miniſtri ſacri unus poſt alium ſe ſtatuunt a tergo Celebrantis.

§. III.

218 FINITO *Tractu Sacerdos in cornu Epiſtolæ dicit :* Oremus. *Diaconus* Flectamus genua &c. Rubr. Miſ. hic.

Finito Tractu Celebrans perſiſtens in eodem loco, ut ſupra, non præmiſſo: *Dominus vobiſcum:* dicit : *Oremus:* mox Diaconus: *Flectamus genua :* & hæc dicens primus omnium genuflectit unico genu, ſtatimque omnes cum eo ſimiliter genuflectunt, ſolo Celebrante excepto. Subdiaconus omnium primus ſurgens, & alii cum eo, dicit: *Levate:* (& ſic ſemper fit in ſimili caſu :) ac poſtea Celebrans cantat Orationem manibus extenſis, Diacono perſiſtente in eodem loco; Subdiaconus vero præparat ſe ad cantandam lectionem, ut infra.

§. IV.

219 SUBDIACONUS *in tono Epiſtolæ, ſimiliter ſine titulo, cantat ſequentem lectionem*. Rubr. Miſſ. hic.

Dum Celebrans recitat Orationem, Subdiaconus cum ſolitis genuflexionibus vadit ad Credentiam, ubi depoſita planeta, & accepto Miſſali, pergit ritu ſolito ad cantandam lectionem alteram ſine titulo in tono, & cornu Epiſtolæ; quam etiam ſine titulo cum Tractu ſubmiſſa voce legit Celebrans, aſſiſtente ſibi Diacono a dexteris, qui in fine non reſpondet *Deo gratias*. Subdiaconus finita lectione, cui nec reſpondetur *Deo gratias :* genuflectit Cruci ante Altaris medium, & deinde ſine oſculo manus Celebrantis, & abſque ejuſdem benedictione vadit ad Credentiam, ubi reſumpta planeta, redit ad Celebrantem, aſſiſtens ei a dexteris Diaconis in cornu Epiſtolæ.

Cantata a Subdiacono lectione, dicitur Tractus in Choro, cujus verſus, etſi conveniens ſit, omnes decantari, poterunt tamen omitti eorum aliqui, maxime ſi pauci fuerint Cantores. Caval. *to.* 4. *c.* 16. *Comment. in decr.* 3. *n.* 4.

Dum in Choro canitur Tractus poſt alteram lectionem, per Acolythos diſponuntur tria legilia nuda, in recta linea, in plano, ubi cantari ſolet Evangelium, &, ſi præcedenter non fuerint poſiti, ſuper ea ponuntur tres Codices pro Paſſione cantanda. Vide tamen dicenda §. ſequent. n. 221.

Poſtquam Celebrans ſubmiſſa, ut ſupra, voce, primam legerit prophetiam cum Tractu ſequenti, ſi vult, poteſt cum ſacris Miniſtris ſedere in Scamno oblongo, ad quod pergit per breviorem viam, & per eamdem accedit ad idem cornu Epiſtolæ, tempore congruo, pro dicendo, ut ſupra : *Oremus*. Idipſum facere poteſt completa ſecunda lectione cum ſequenti Tractu; & tunc Subdiaconus, ut indutus eſt planeta, perget ad ſedendum cum Celebrante, qui una cum ſacris Miniſtris circa finem Tractus ſurget, & per viam breviorem ibit ad idem cornu Epiſtolæ, pro legenda paſſione, ut infra dicemus.

In hodierno officio ad Altare, 220 Ora-

Orationi non præmittitur : *Dominus vobiſcum:* quia moriente ſummo Sacerdote ceſſant officia Sacerdotis. Honor. *in Gemma lib.* 3. *c.* 95. Item ſalutatio ad invicem magis congruit gaudio: nunc autem tempus eſt mœroris, & luctus. Confer dicta tr. 1. l. 1. c. 6. n. 2. Frequentius dicitur: *Flectamus genua :* ad augendam humilitatem. Hugo Victor. *de Special. Miſſar. obſerv. l.* 3. *c.* 20. *fine*.

Duæ lectiones leguntur, ad innuendum, pro duobus populis Chriſtum obiiſſe, Hebræo ſcilicet, & Gentili; nec non morte ſua redemiſſe duas partes hominis, corpus, & animam. Honorius in *Gemm. lib.* 3. *c.* 89. Durand. in *Ration. lib.* 6. *c.* 77. *n.* 2. Una lectio eſt ex Prophetis, altera ex Pentateucho Moyſis, quia Lex, & Prophetæ Crucem Chriſti prænunciarunt. Rupert. *lib.* 6. c. 5. Durand. cit. n. 2. Honor. cit. n. 89. Lectio Exodi vicinior eſt Paſſioni: vel quia in ea mentio eſt paſſionis, illis verbis : *os non comminuetis ex eo:* ut dicit Durandus n. 3. & ideo ſecundo loco legitur, quamvis ſit antiquior lectione Oſeæ. Vel prima eſt Oſeæ, quia in ea agitur de Redemptione, ſepultura, & Reſurrectione Chriſti; ſecunda vero deſumpta eſt ex libro Exodi, in qua ſermo eſt de feſto Paſchatis, in quod mors Chriſti incidit, & ut inde nos præparemus ad digne noſtrum celebrandum.

Sine titulo leguntur lectiones, quia titulus eſt caput lectionis, & ſine capite ſumus, cum Chriſtus repræſentative hodie occidutur. Honor. *cit. c.* 89. Durand. cit. n. 2. In earum fine omittitur oſculum manus Celebrantis, & benedictio : quia indicat ſolemnitatem, quam hodierna myſteria excludunt; Caval. in cit. d. 3. nu. 5. In earumdem fine non reſpondetur : *Deo gratias :* eſt enim dies luctus, in quo abſtinemus etiam a *Gloria Patri*, & ſimilibus loquendi modis feſtivioribus. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 10. *n.* 1. *litt. n.*

Duo ſunt Tractus, quia hodie luget Eccleſia valde. Porro, ut alibi notavimus, Tractus luctum indicat; ſunt itaque duo Tractus ad intenſionem majoris luctus, ſcilicet pro peccatis, quæ commiſimus, quæque fuerunt cauſa Paſſionis, & mortis Chriſti Domini; & pro pœnis, quas patimur, & pro incolatu in hac lacrymarum valle, quia prolongatur. Dur. n. 7. In primo Tractu miratur Eccleſia de Dei bonitate, & modo, quo dignatus eſt noſtram operari ſalutem; ſecundus deſignat Chriſti conflictum contra dæmonem, & Synagogam, qui cum fuerit longus, & aſper, idcirco ille pluribus conſtat verſibus. Oratio reſpicit ad proditionem, & pœnam Judæ, atque ad confeſſionem, & præmium boni latronis; quæ omnia hac evenere die. Caval. cit. n. 5.

§. V.

FINITO *Tractu*, *dicitur Paſſio ſuper nudum Pulpitum*, *quam Celebrans ſubmiſſa voce legit in cornu Epiſtolæ*. Rubr. Miſſ. hic. 221

Dicitur Paſſio, ideſt cantatur, non quidem a Celebrante una cum Miniſtris: nam Celebrans juxta Rubricam; Paſſionem *ſubmiſſa voce legit in cornu Epiſtolæ*. Cantatur itaque a Cantoribus, ut ſtatim dicetur. Si vero Cantores deſint, tunc quidem cantabit Celebrans cum ſacris Miniſtris, itaut Celebrans gerat perſonam

ſonam Chriſti, Diaconus Evangeliſtæ, & Subdiaconus turbarum. Caval. *d.* 3. *n.* 6. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 30. *fine*. Declaravit autem Sacra Rit. Congregat. *Cæremonialem librum non obſtare, nec tollere immemorabiles, & laudabiles conſuetudines Eccleſiarum; & licet in eo dicatur, quod Paſſio in Dominica Palmarum, & feria ſexta in Paraſceve decantetur a Cantoribus: non ex hoc prohibetur, quominus a Canonicis decantari poſſit, & debeat, maxime ubi viget conſuetudo, quod a Canonicis decantetur, prout viget in Civitate Viterbienſi, quam conſuetudinem omnino ſervandam eſſe cenſuit, & declaravit S. R. C. 7. Julii 1612. in Viterbien.* apud Caval. tom. 4. c. 16. d. 3. n. 10. At vero: *ubi non viget immemorabilis conſuetudo, ut Evangelium Dominicæ Paſſionis decantetur a Canonicis Collegiatarum in Dominica Palmarum, & feria VI. Paraſceves, ab Epiſcopo cogi non poſſunt, ad illud decantandum, non obſtante, quod ex immemoriali conſuetudine decantetur a Canonicis Eccleſiæ Cathedralis*. S. C. Concil. 2. Julii 1718. apud Caval. *citat. cap.* 16. *d.* 4. In quo decreto, notat Caval. n. 1. opportune Paſſionem nuncupari *Evangelium*, ut hinc pateat, inquit, illarum Eccleſiarum abſurdum plurimum, quæ ad decantanda Turbarum partem admittunt Clericos ſacro Diaconatus ordine minime inſignitos; etſi enim Turbæ Synagogam repræſentent, nihilominus textus Evangelii eſt, qui conſequenter nonniſi a Diaconis publice legi poteſt, & in Stola Diaconali, cujus delatio eſt inhibita inferioribus clericis; ita ille; & quidem Evangelium a ſimplici Clerico cantari non poſſe: docuimus in Dom. Palmarum *ſubſ.* 3. §. 2. *n.* 93. vide ibi dicta. Cæterum licet hic Cavalerius dicat: Turbarum etiam partem nonniſi a Diaconis eſſe legendam, attamen idem *comment. in decr.* 3. *nu.* 6. non excludit Subdiaconum Miniſtrum Celebrantis in caſu, quo Cantores deſiderentur ad cantandam Paſſionem: ut modo ſupra diximus.

Itaque circa finem Tractus ſecundæ lectionis e Sacriſtia exibunt tres Diaconi induti amictu, alba, manipulo, & Stola diaconali coloris nigri, & hoc ordine ad Altare procedent; antecedit Cæremoniarius, tum ille ſolus, qui agit Evangeliſtam, deinde qui Turbas, & ultimus, qui refert perſonam Chriſti; omnes nudo capite, & junctis manibus, quatenus Miſſalia, pro Paſſione legenda, collocata inveniantur ſuper legilia, in loco legendæ Paſſionis, ut nos ſupra ſtatuimus §. 1. ſi enim ſingulis Cantoribus ſingula Miſſalia ſecum deferenda tradantur, ea deferant ante pectus utraque manu ſuſtinendo.

Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *c.* 20. facit incedere tres Clericos indutos ſuperpelliceo, ſine candelabris, & ſine incenſo poſt tres Cantores Paſſionis; de quibus Clericis nos tacuimus, quia iis non opus eſt, conceſſo ſingulis Cantoribus ſuo Miſſali pro commode legenda ſua Paſſionis parte, & ſingulis item ſuo legili: quemadmodum Auctores concedunt. A cæremoniali autem prædicti Clerici ſolum expoſcuntur pro miniſtrando, & ſuſtinendo Miſſali ante Diaconos, quando opus eſt, pro cantanda ſua reſpectiva Paſſionis parte. Porro Cæremoniale unicum Miſſale concedit Cantoribus Paſſionis, quod deferendum tradit Evangeliſtæ modo

græ-

Digitized by Google

prædicto, ut illud inter ſeſe commodent prædicti Diaconi miniſterio prædictorum Clericorum, quando opus eſt ad nutum Cæremoniarii. At quoniam modus iſte eſt valde incommodus, idcirco, teſte Caval. in cit. d. 3. n. 7. ſatius Auctores reputant, quod vel quiſquis, ut ſupra, ſuum librum deferat, vel adhuc melius, quod tria Miſſalia per Acolythos præparentur ſuper legilia, uti nos ſuperius diximus; Confer Merat. tom. 1. par. 4. tit. 7. n. 30. §. *Antecedit.* Cum præfati Cantores Paſſionis pervenerint ad Altare, genuflectunt, aliquantulum pauſantes ſuper infimum Altaris gradum, itaut qui perſonam Chriſti agit, ſit in medio: qui Evangeliſtæ, a dexteris: & qui turbarum, a ſiniſtris: & ſimiliter in plano faciunt tres prædicti Clerici, ſi interſint. Tum ſurgunt, benedictionem non petunt; ſed facta Cruci genuflexione, accedunt ad legilia, & ibi ſtant in recta linea, facie verſa ad eam partem, quæ pro Aquilone figuratur. Caval. in cit. d. 3. nu. 8. Stant autem eodem prædicto ordine: videlicet, qui perſonam Chriſti agit in medio: qui Evangeliſtæ, a dexteris: & qui Turbarum, a ſiniſtris: ſaltem ubi eſt uſus trium Miſſalium; ita quidem Paſſionis Cantores collocat cum aliis Caval. l. cit. n. 9. etſi Meratus cit. n. 30. magis approbet aliorum diſpoſitionem, qui collocant Evangeliſtam in medio, itaut habeat ad dexteram ſuam Cantorem verborum Chriſti, ad ſiniſtram vero Turbarum.

Locum cantandi hodie Paſſionem deſignat Rubrica *Pulpitum*, cujus nomine locum Evangelii venire poſſe ex S. Cypriano Epiſt. 33. notat Gavantus, & communis explicat Eccleſiarum praxis, teſte Caval. *in d. 4. num.* 2. (Videri poſſunt dicenda in Sabb. Sancto Subſ. 4. §. 2. n. 356. ubi de Graduali.) Cæremoniale autem Epiſcoporum locorum conſuetudinem ſervari poſſe probat, legendi nempe illam vel in cornu Evangelii, vel ſuper Pulpitum, ſeu in Ambone, quorum utrumque tuto ſervari poterit; & ad majorem commoditatem ſinguli tres Cantores poterunt cantare Paſſionem in tribus Pulpitis.

Finito per Chorum Tractu, & 222
prædictis tribus Diaconis ut ſupra conſtitutis, mox eorum ille, qui Evangeliſtam agit, abſolute Paſſionem incipit, non enim præmittit: *Dominus vobiſcum*; non petit benedictionem, non incenſat librum, nec hunc ſignat, nec ſeipſum, neque per Ceroferarios deferuntur candelabra, nec reſpondetur *Gloria tibi Domine*.

Celebrans ſtans in cornu Epiſtolæ paululum converſus ad Cantores Paſſionis; ſubmiſſa voce legit eamdem, Miniſtris ſacris ſtantibus apud eum, ut ad Introitum Miſſæ; leget autem uſque ad finem, hoc eſt, ad ſecundam etiam partem incluſive, ſemper perſiſtens in cornu Epiſtolæ. Vid. Caval. in d. 5. a nu. 2. ad 5. cui ſecundæ parti non præmittit: *Jube Domine:* ſed legit ſimpliciter, abſque eo quod dicat: *Dominus vobiſcum:* neque ſignat ſeipſum, aut librum; dicit vero: *Munda cor meum:* antequam legat præfatam ſecundam partem, quam legit perſiſtens in eodem cornu Epiſtolæ, ut dictum eſt: & abſque eo quod pergat ad medium Altaris, poſſet ibidem recitare prædicta verba, ne adſtantibus fiat cauſa diſtractionis; ad quam proculdubio vitandam, ut infra notabimus, legitur Paſſio in cornu Epiſto-

Digitized by Google

læ in Miſſa ſolemni, licet in Miſſa privata legenda ſit in cornu Evangelii, ut diximus in Dom. Palm. Vid. Caval. in cit. d. 5. n. 5. & ob eamdem rurſus cauſam vitandæ diſtractionis in populo, qui attendit ad verba Cantorum, non convenit, quod Celebrans genuflectat in Miſſa ſolemni, & in hodierna lectione Paſſionis, cum ipſe legit: *tradidit ſpiritum*. Vid. Caval. num. 6. & 7. Sacerdos autem, dum ipſe legit Paſſionem, ſe inclinet verſus Crucem, dum ipſe nominat nomen Jeſu, non autem dum illud Cantores nominant; niſi poſtquam ipſe, Paſſione lecta, attentus manet ad lectionem ejuſdem per Cantores habitam. Caval. n. 7. fine. Porro Celebrans poſtquam, ut ſupra, totam Paſſionem privatim legerit, vertit ſe una cum ſacris Miniſtris ad Cantores, & ſtat, ut ſolet ad Miſſam, dum cantatur Evangelium, & ſimiliter ſtat Diaconus ad ejus ſiniſtram, & Subdiaconus ad ſiniſtram Diaconi.

Cum a Cantoribus ventum fuerit ad verba: *Tradidit ſpiritum: genuflectitur, & pauſatur aliquantulum*. Rubr. Miſſ. hic. Genuflectitur ab omnibus utroque genu, non genuflectet autem Evangeliſta, niſi a ſe prolatis omnibus dictis verbis. Cantores genuflectunt verſus librum, reliqui in ſuo loco verſus Crucem Altaris: Celebrans vero, & Miniſtri ſacri accedunt ad Altaris medium, & deſcendentes ad ſecundum gradum, genuflectunt in ſuppedaneo. Sic genuflexi pauſant omnes in meditatione mortis Domini aliquantulum, ſaltem per ſpatium unius *Pater noſter:* nec Celebrans manu, aliove modo dat ſurgendi ſignum; ſed pro ſigno ad ſurgendum deſervit ipſe Evangeliſta ſurgens, qui nimirum omnium primus ſurgit, eoque ſurgente ſurgunt omnes, & Celebrans cum ſacris Miniſtris redeunt ad locum ſuum, ibi ſtantes ut prius, dum Cantores proſequuntur, quod ſupereſt de prima Paſſionis parte. Qua abſoluta, Cantores factis debitis genuflexionibus, & reverentiis, eodem, quo venerunt ordine, redeunt in Sacriſtiam, & per Acolythos legilia, quatenus hæc fuerunt in Presbyterio poſita, removentur. Caval. n. 8. Merat. tom. 1. par. 4. tit. 7. n. 31.

§. VI.

QUOD *ſequitur, legitur in tono Evangelii, & dicitur:* Munda cor meum: *ſed non petitur benedictio, & non deferuntur luminaria, neque incenſum, & Celebrans in fine non oſculatur librum*. Rubr. Miſſ. hic. 223

Abſoluta per Cantores prima Paſſionis parte, Diaconus cum debitis reverentiis vadit ad Credentiam, deponit planetam, accipit Stolam latiorem, & ſumpto Miſſali, genuflexus in loco ſolito ante Altare, dicit: *Munda cor meum:* Dum Diaconus in prædictis occupatur, Ceremoniale Epiſcoporum ſedere facit Epiſcopum; ſed cum brevis admodum ſit mora, non præſtat, quod alius Celebrans pergat ad ſedendum, ſed potius ſtabit in Altaris medio verſa facie ad Crucem, cum Subdiacono a ſiniſtris ejus ſimiliter converſo. Caval. *in d. 5. n. 11. fine*.

Poſtquam autem Diaconus dixit: *Munda cor meum:* benedictione minime petita, nec impoſito incenſo in thuribulo, de more vadit ad cornu Evangelii, ubi Subdiacono tenente librum, & Ceroferariis hinc inde aſſi-

aſſiſtentibus, ſeu de more medium habentibus Subdiaconum, ſed ſine candelabris: cantat in tono Evangelii reliquam Paſſionis partem, non præmiſſo: *Dominus vobiſcum*: & omiſſis itidem tum incenſatione libri, tum ſigno ejuſdem libri, & ſuipſius. Ad quam Paſſionis partem Celebrans ſtat manibus junctis ante pectus in cornu Epiſtolæ, converſa facie ad Diaconum; quod ſimiliter præſtat Acolythus prope Credentiam. Abſoluta prædicta Paſſionis parte, non reſpondetur: *Laus tibi Chriſte*. Rubr. gen. Miſſar. tit. 10. nu. 6. ſed Subdiaconus illico claudit librum, illumque tradit Cæremoniario, vel Acolytho, abſque eo quod illud portet ad oſculandum Celebranti, qui nec incenſatur a Diacono.

224 Hodie legitur Paſſio ſecundum Joannem, & quia ultimus ſcripſit, & quia interfuit Paſſioni: Rupert. *lib. 6. cap. 6.* Durand. *in Ration. lib. 6. c. 77. nu.* 8. Non petitur autem benedictio, quia auctor benedictionis extinctus legitur: eademque de cauſa, neque luminaria deferuntur; Confer dicenda in Sab. Sancto num. 357. Thus non adhibetur quia fervor devotionis in Apoſtolis tempore paſſionis tepuerat. Nec dicitur: *Dominus vobiſcum:* in deteſtationem male ſalutantis Judæ; tum quia eſt proprie vox, & officium Sacerdotis: at Sacerdos; & Dominus noſter occiditur. Durand. *in Ration. lib. 6. c. 77. n.* 11. Neque gloria Chriſto Domino datur, quia in Paſſione eſt. Durand. c. 68. nu. 5. Nec dicitur: *Laus tibi Chriſte*: hodierna enim dies fuit Chriſto improperii, non laudis. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 10. *nu.* 6. *fine*. Bened. XIV. *de Miſſ. Sect.* 1. *cap.* 9. §. 1.

Paſſio legitur ſuper nudum Pulpitum, ad memorandum, quod ſuper nudum Crucis patibulum nudus fuit poſitus ipſe Chriſtus. Durand. c. 77. n. 9. Item quia, ut innuimus §. 1. fine, pulpitum velatum ſaperet ſolemnitatem; At hodie omnis ſolemnitas in tanta mœſtitia tollitur, & fiunt veluti exequiæ defuncto Chriſto in triſtitia, & mœrore. Vulgatus Alcuinus, & alii. Quid in hiſtoria Paſſionis in Miſſali ſignificent notæ illæ ✠ C. S. explicavimus in Dom. Palmar. ſubſ. 3. §. 1. n. 90.

A Cantoribus canitur Paſſio in cornu Evangelii, quia ex Evangelio deſumpta eſt; Celebrans autem interim legit eamdem ſubmiſſa voce in cornu Epiſtolæ, ut ea lecta, vertere ſe valeat, quemadmodum moris eſt in Miſſa ſolemni, ad Cantores ipſos, abſque eo quod cum adſtantium diſtractione a cornu Evangelii cogatur tranſire, dum canitur Paſſio, ad cornu Epiſtolæ, in quo moris eſt, Sacerdotem ſe convertere ad Diaconum cantantem Evangelium; & hæc eſt cauſa, ob quam ex Cæremoniali Epiſcoporum præſcripto lib. 2. c. 25. dum Sacerdos ipſe intra Miſſam ſolemnem in cornu Epiſtolæ ſecrete Paſſionem legit, aliquantulum converſus eſſe debet ad ipſos Cantores, ut quoad fieri poteſt, ſervetur Rubrica, quæ Sacerdotem exigit in cornu Epiſtolæ converſum ad Diaconum, dum in Miſſa ſolemni cantat Evangelium; ob longitudinem namque Paſſionis non exiſtimavit Eccleſia, prius legendam eſſe illam a Celebrante in cornu Evangelii, antequam per Cantores concineretur: quemadmodum fit in Miſſis ſolemnibus cum Miniſtris celebratis, in quibus videlicet Evangelium legitur a Ce-

Celebrante in cornu Evangelii, antequam cantetur a Diacono. Caval. *in decr. 5. fine*.

§. VII.

225 DEINDE *Sacerdos ſtans in cornu Epiſtolæ, incipit abſolute junctis manibus; Oremus*. Rubr. Miſſ. hic.

Poſtquam Diaconus Miniſter Celebrantis cantavit ultimam Paſſionis partem, mox ipſe Diaconus, & Subdiaconus pares manibus junctis procedunt ad medium Altaris, & ibi facta genuflexione, ſe conſtituunt a tergo Celebrantis, qui perſiſtens in eodem cornu Epiſtolæ, ad Altare converſus manibus junctis, abſolute incipit primam monitionem: *Oremus dilectiſſimi:* eaque finita extendens, & jungens manus, & caput Cruci inclinans dicit: *Oremus*. Diaconus: *Flectamus genua:* & Subdiaconus: *Levate:* omnibus genuflectentibus, & ſurgentibus eo ritu, quem §. 3. deſcripſimus. Tum Celebrans cantat primam orationem extenſis manibus, in tono orationis ferialis. Eodem ritu, & tono cantantur deinde reliquæ monitiones, & orationes. *Rubr. Miſſ. hic*. Nec addere, vel mutare licebit monitionem aliquam, aut orationem, nominando v. g. Regem, vel Dominum loci, niſi ſpeciale habeatur indultum, aut conſuetudo prævia ad Bullam Pii V. interdicentem quidquam addere, vel mutare in iis, quæ ad Divina ſpectant officia.

226 Si Sedes Apoſtolica vacet, omittitur monitio, & oratio pro Papa; ad cujus nomen, quando illam dicit Celebrans, inclinat caput verſus librum inclinatione omnino minima, hoc eſt, levi capitis inclinatione, quod etiam præſtant omnes alii. *Caval. in d. 6. n. 2.*

In monitione pro Imperatore, ſi non eſt coronatus, juxta Rubricam additur: *Electo:* & quidem præcedenter ad: *Imperatore:* ita ut dicatur: *Oremus & pro chriſtianiſſimo electo Imperatore:* appoſito ejuſdem nomine, ubi habetur littera littera N. Si autem Imperator fuerit defunctus, & nondum Succeſſor electus: mutandam eſſe monitionem, & in ea dicendum eſſe: *Oremus & pro Romano Imperio, ut Deus &c.* docet Caval. l. cit. innixus cuidam Decreto S. C. R. quod ex teſtimonio Macri V. *Cereus Paſchalis;* refert tom. 4. c. 21. comment. in decr. 4. n. 10. in quo nimirum decreto, approbante Alexandro VII. ſtatutum fuiſſe, teſtatur, in benedictione Cerei Paſchalis, vacante Sede Imperiali, ubi Diaconus pervenit ad eum benedictionis locum, in quo orat pro Imperatore, dicendum eſſe: *Reſpice etiam ad Romanum Imperium, cujus tu Deus* &c. Hoc ipſum, eodem Macrio citato docet Meratus *tom. 1. par. 4. tit. 9. de fer. VI. in Paraſc. n. 20. fine*, & rurſus *tit. 10. de Sab. Sanct. nu. 27.* Profecto monitio præfata accommodata modo prædicto adhuc convenit cum ſequenti oratione. Si autem quæras, cur ſimiliter Pontificia Sede vacante non oretur pro Eccleſia? ſcite reſpondet ipſe Caval. animadvertens, quod Eccleſia, cujus monitio, & oratio ſubrogari deberent, peculiari monitione, & oratione ſua non caruit; nimirum prima monitio, & oratio hodie eſt pro Eccleſia.

In una ex monitionibus monet Celebrans, ut oretur pro *Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis, Confeſſori-* 227

ſoribus &c. Confeſſoris autem vox hic ſignificat Cantorem, ſeu Pſalmiſtam, ideſt primæ Tonſuræ Clericum; ut notat. Caval. *tom.* 1. *c.* 2. *Comment. in d.* 7. *n.* 5.

228 Ad monitionem pro Judæis, non reſpondetur *Amen*, quemadmodum nec reſponſum fuit in præcedentibus monitionibus, eo quod non ſint orationes, ſed monitiones ad orandum. Cur igitur hoc animadvertimus ad monitionem pro Judæis? quia Rubrica id animadvertit; ſed cur id facit? Quidam, ut refert Gavant. *in Rubr. Miſſ. part.* 4. *tit.* 9. *nu.* 10. aliquid myſterii quærunt in hoc, quod omittitur *Amen* in prædicta monitione; ſed & rationes duæ aſſignantur de hoc apud Durandum *in Ration. lib.* 6. *c.* 77. *nu.* 13. quas tamen ipſe Durandus rejicit, quia nullum adeſt hic myſterium, poſito quod nec in præcedentibus monitionibus reſpondetur *Amen*, ut jam notavimus, propter datam rationem, quia nimirum monitiones ſunt ad orandum, & non orationes; quod notavit etiam Joannes Beleth *de divi. offic. c.*98. & Gavant. l. cit. Cur itaque ad monitionem pro Judæis Rubrica monet, reſpondendum non eſſe *Amen?* rationem aſſignat Caval. *to.* 4. *c.* 16. *in d.* 6. *n.* 3. *dicens:* id eſſe, quia monitio pro Judæis deſinit in *Chriſtum Dominum noſtrum*, poſt quæ verba in orationibus reſponderi ſolet *Amen*; jam vero idipſum hic facile reſponderet aliquis ex Clero. Dices; etiam monitio ſubſequens pro Paganis ſimiliter deſinit in *Dominum noſtrum;* cur ergo eamdem animadverſionem Rubrica non adjicit? ſed reſpondetur ex Caval. hujuſmodi animadverſionem ibi fuiſſe ſuperfluam judicatam, & rite, quia per præcedentem pro Judæis Clerus ſupponitur ſufficienter inſtructus.

Dignum utique eſt inquirere: cur poſt monitionem ad orandum pro Judæis non ſubdatur: *Oremus:* nec dicatur: *Flectamus genua:* quemadmodum in cæteris monitionibus, etiam pro Paganis? Et reſpondetur: ad orationem pro Judæis non flecti genua, eo quod cum Judæi genibus flexis, illuſerint Chriſto; in deteſtationem tanti ſceleris, judicavit Eccleſia, pro iiſdem orandum minime eſſe genibus flexis. Ita Amalarius *de Eccleſ. offic. lib.* 4. *c.* 37. Joannes Beleth. *c.* 92. & 98. Honor. *in Gemm. lib.* 3. *c.* 95. Hugo Victor. *lib.* 3. *de Special. Miſſar. obſervat. c.* 20. *fine*. Durand. loc. cit. Alcuinus ſequutus Ordinem Romanum. Cur autem nec ſubdatur: *Oremus?* Id eſſe, quia oratur pro iis utcumque non ſalvandis, niſi in fine Mundi: dicit Durand. l. cit. & Rupertus *de div. officiis lib.* 6. *c.* 18. quod tamen non placet Cavalerio *in decr.* 6. *num.* 4. qui ſignificat, id repugnare infinitæ miſericordiæ Dei; ipſe autem inclinat ad opinandum, omitti *Oremus* poſt monitionem pro Judæis, quia ex more orandi, quem hac die ſervat Eccleſia, ſecum traheret: *Flectamus genua:* quod ob aſſignatam rationem debet omitti. Quæ quidem opinio nobis videtur verior.

229 Cardinalis Bellarminus in ſuo Catechiſmo, ſeu opuſculo doctrinæ Chriſtianæ, ubi explicat Symbolum fidei, in illa verba: *Sanctorum Communionem:* ad magis explicandam gravitatem eccleſiaſticæ pœnæ excommunicationis, allegat Divum Bernardum notantem: Eccleſiam nec quidem hac feria VI. in Paraſceve velle pro excommunicatis orare: cum cæte-

cæteroqui hodierna die publice oret pro Judæis, Hæreticis, & Schiſmaticis.

Contra vero Suarez *to.* 5. *de cenſuris in communi. diſp.* 9. *ſect.* 1. *n.* 5. Filliuc. *tom.* 1. *ſum. tract.* 12. & 2. *de cenſur. in particul. c.* 2. *qu.* 3. *nu.* 38. & alii affirmant: Eccleſiam feria VI. in Paraſceve etiam pro excommunicatis orare publice; idque patere, dicunt, ex hoc ipſo, quod publice oret pro Hæreticis, & Schiſmaticis, qui excommunicati ſunt. Congruentiam item aſſignant, quam explicabimus infra. Interim Divum Bernardum, & Bellarminum negantes Eccleſiam feria VI. in Paraſceve pro excommunicatis orare; intellige de excommunicatis non toleratis, & vitandis; cujuſmodi non ſunt Hæretici, pro quibus hodie orat Eccleſia; juxta citatos Suarez, Filliucium, & alios.

Hi igitur Doctores docent: quod etſi Eccleſia prohibuerit generaiim publice pro excommunicatis orare, ab hujuſmodi tamen prohibitione, ſui Domina juris, hunc diem exceperit, & hodiernum peculiarem modum publice orandi pro illis. Conſulto autem utrumque conjungunt, ſcilicet, & diem, & modum orandi. Eccleſia enim hodie orat pro exteris, & inimicis ſuis, non orationibus inſtituiis pro ſuis membris, ſed aliis inſtitutis pro iis, qui tales non ſunt; unde non eſt hodie nomine Eccleſiæ orandum alio modo. Alia vero die nec quidem hodierno modo; quia non eſt licitum, alia die publice ſeu Eccleſiæ nomine pro excommunicatis orare; etiamſi recitetur hæc eadem oratio, quæ hodie ab Eccleſia recitatur; itaut, ſi quis Sacerdos vellet in Miſſa aliis diebus publice recitare illam orationem pro Hæreticis, vel Schiſmaticis, quam pro hoc ſolo die, & hodierno officio Eccleſia inſtituit, graviter peccaret, participando in ſacris cum excommunicatis; quia Eccleſia non inſtituit eam orationem tali intentione, nec copiam fecit Miniſtris ſuis, utendi illa ſuo nomine; niſi in tali officio, & die. Secus vero eſſet; ſi quis privatim, & propria devotione uteretur illa oratione ad orandum pro Apoſtatis, ut privata perſona; ita enim id facere poteſt illa oratione, ſicut quibuſcumque aliis verbis ab ipſo compoſitis; Confer Meratum *to.* 1. *par.* 2. *tit.* 8. *n.* 8. verſu: *Hoc unum ſupereſt*. Eſt autem orandum pro hiſce omnibus; ut depoſita contumacia, & abjectis erroribus ad Eccleſiæ gremium revertantur. La-Croix tamen *lib.*6. *par.*2. *qu.* 4. §. 11. contra Suar. Filliucium alioſque plures ait: probabilius videri, pro excommunicatis non vitandis Miſſæ Sacrificium publice, & directe offerre licere.

Valde autem congruenter, Eccleſia hac die orat pro omnibus etiam publice, pro ipſis quoque Infidelibus, Gentilibus nimirum, & Judæis: quia pro omnibus hodie publice oravit Chriſtus in Cruce. Item & potiſſimum, quia hodie repræſentatur mors Chriſti, cujus meritum, & effectus quoad ſufficientiam, ad omnes homines ſine exceptione extenditur ulla: & jure optimo voluit Eccleſia, quantum eſt de ſe, pro omnibus intercedere, ut in omnibus habeat efficaciam.

§. VIII.

COMPLETIS *Orationibus*, *Sacerdos depoſita Caſula accedit ad cornu Epiſtolæ, & ibi in poſteriori parte an-* 230

gu*li*

Digitized by Google

guli Altaris accipit a Diacono Crucem jam in Altari præparatam: quam verſa facie ad populum, a ſummitate parum diſcooperit, incipiens ſolus Antiphonam: Ecce lignum Crucis; *ac deinceps in reliquis juvatur in cantu a miniſtris uſque ad* Venite adoremus. *Choro autem cantante:* Venite adoremus: *omnes ſe proſternunt, excepto Celebrante. Deinde procedit ad anteriorem partem anguli ejuſdem cornu Epiſtolæ, & diſcooperiens brachium dexterum Crucis, elevanſque eam paulisper, altius quam primo, incipit:* Ecce lignum Crucis: *aliis cantantibus, & adorantibus ut ſupra. Deinde Sacerdos procedit ad medium Altaris, & diſcooperiens Crucem totaliter, ac elevans eam, tertio altius incipit:* Ecce lignum Crucis: *aliis cantantibus & adorantibus ut ſupra.* Rubr. Miſſ. hic.

Dum dicuntur ultimæ ex præfatis Orationibus, Acolythi extendunt tapete magnum, ſeu pannum violaceum in plano Presbyterii, (ſi Presbyterium fuerit nimis anguſtum, id fiat ante Presbyterium in medio ſpatii:) ante gradus Altaris in medio, & ſuper infimum Altaris gradum ponant cuſſinum, & ſuper cuſſinum, Velum pretioſum violaceo ſerico intextum, & in defectu, mappam ſericam.

Celebrans completis Orationibus deſcendit extra cornu Epiſtolæ ad partem poſteriorem Altaris, ubi deponit Planetam; quam pariter deponit Subdiaconus. Item *in adoratione Crucis feria VI. in Paraſceve debent Celebrans, & Miniſtri deponere etiam Manipulos.* S. R. C. Septemb. 1736. in Toletana apud Caval. *to.* 4. *c.* 16. *decr.* 6. Vide eumdem ibi n. 5. & 6. & Meratum *tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 9. *n.* 22. *in fine*; & per Acolythos aſportantur ad Credentiam, perſiſtente Diacono in Stola ſua latiori. Tum Celebrans medius inter ſacros Miniſtros accedit ad angulum cornu Altaris in parte Epiſtolæ, ut ſit quaſi collateralis candelabris ſuper Altare poſitis, ibique ſe collocat in ſecundo gradu, facie ad populum verſa; & ſtatim Diaconus, relicto ibi Celebrante cum Subdiacono a ſiniſtris, procedit per planum ad medium Altaris, ubi unico genu facta genuflexione Cruci, expectat donec eamdem Crucem ſibi conſignet Cæremoniarius, qui propterea facta prius genuflexione, eam de Altari devote capit. Porro Crux cum effigie Crucifixi in hac functione ſacra ſolemniter detegenda, & adoranda, eadem eſſe debet, quæ ſuper Altare collocari ſolet inter Candelabra, non autem altera diverſa. Vid. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 8. *n.* 17. §. *Acolythi omnia*: & tit. 9. n. 2. Cæterum ſi Crux ordinaria Altaris eſſet valde incommoda, poterit collocari in Altaris medio Crux altera velo ſimiliter contecta nigro; recole dicta nu. 214. quæ pro præſenti inſerviat functione. Hujuſmodi Crucem Diaconus, ſibi a Cæremoniario porrectam, accipit, Crucifixi facie ad ſe converſa, & hoc pacto per planum portat eamdem, traditque Celebranti ſine oſculis, & poſtea ad hujus dexteram ſe collocat.

231 Mox Celebrans ſiniſtra manu tenens Crucem, cum dextera, adjuvantibus ſacris Miniſtris, ſi opus eſt; diſcooperit Crucis ſummitatem uſque ad ejuſdem Crucis tranſverſam, ita tamen, ut Crucifixi caput non appareat. Interim accedit Acolythus, qui renibus ad populum verſis tenet Miſſale apertum ante Celebrantem, qui

qui ambabus manibus Crucem elevans uſque ad altitudinem oculorum, eam oſtendit populo, voce gravi, aliquantulum demiſſa, (ut citra indecentiam ſecundo, & tertio altius cantare valeat :) in cantu ſolus incipit : *ecce lignum Crucis : Ac deinceps in reliquis juvatur in cantu a Miniſtris :* ait Rubrica : in ſimili omnino quidem tono ; an autem ita juvandus ſit in cantu in reliquis, ut etiam reliqua cantet & ipſe Celebrans una cum Miniſtris ? affirmat Caval. loc. cit. n. 8. ubi docet : quod poſtquam Celebrans ſolus incepit : *Ecce lignum Crucis :* poſtea una cum Miniſtris, nedum ſacris, ſed etiam Cæremoniario, & Clericis, qui ſunt circa Altare, juxta Cæremoniale Epiſcop. lib. 2. c. 25. proſequitur : *In quo ſalus mundi pependit :* & Chorus reſpondet in ſimili tono (voce nimirum gravi, aliquantulum demiſſa, ut citra indecentiam, ſecundo, & tertio altius cantare valeat :) *Venite adoremus*. Quo tempore omnes ex Miniſtris, & de Choro (præter ſolum Celebrantem, & Acolythum tenentem ut ſupra, librum) *ſe proſternunt :* ait Rubrica : non quidem uſque ad terram, quia Chorus ſic proſtratus vix cantare poſſet, ſed ſolum media genuflexione utroque genu, & capite aliquantiſper demiſſo : ſicuti non obſcure indicat Cæremoniale Epiſcoporum l. cit. ut notat Caval. *loc. cit. n.* 8. & eodem teſte, explicant Rubriciſtæ omnes ; Confer Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 9. *n.* 24. *fine*.

Deinde procedit Celebrans ad anteriorem angulum ejuſdem cornu Epiſtolæ, ubi ſcilicet dici ſolet Introitus Miſſæ, & medius inter Diaconum ſtantem a dexteris ſuper ſuppedaneum Altaris, & Subdiaconum a ſiniſtris ſuper gradum proximiorem ſuppedaneo verſa facie ad populum, detegit dexterum brachium, & Caput Crucifixi ; tum paulo altius, quam prius, ambabus manibus attollit Crucem, & cantat paulo altius, quam primo : *Ecce lignum Crucis*. Porro adverbium *altius*, quod eſt in Rubrica, concordat cum verbo *incipit*, nedum cum verbo *elevans* ; ita ut & Crucem, & vocem elevet altius Sacerdos una ſimul ſecundo, ut dictum eſt, & tertio, ut ſtatim dicemus. Chorus & Miniſtri ſimiliter ſe gerent in cantu. Poſtquam igitur Celebrans ſecundo dixit elatiori voce : *Ecce lignum Crucis :* Miniſtri omnes proſequantur, ut prima vice, pauliſper elevando vocem, & ſimiliter Chorus reſpondebit.

Tum Celebrans cum Miniſtris ſacris procedit ante medium Altaris, & ſtans verſus populum, totam diſcooperit Crucem, quam illico tenens ambabus manibus, altius elevat quam ſecundo, & altiori etiam voce cantat : *Ecce lignum Crucis* : Juvatur in reliquis a Miniſtris ut ſupra : ſimiliter reſpondente, ut ſupra Choro.

Etiamſi Crux non ſit ex ligno, ſed ex argento, aut alia materia, nihilominus dicitur : *Ecce lignum Crucis* : Nec id eſt mendacium, ut recte notat Gavant. in *Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 7. *n.* 11. *fine* ; ſicut in Dominica Palmarum, licet non benedicantur forte Palmæ, vel Olivæ, non ideo tamen tacenda ſunt vel mutanda in orationibus illius benedictionis verba, in quibus mentio fit de Olivis, & Palmis ; nec illud eſſe mendacium, diximus ibi *ſu. ſ.* 2. §. 5. & rationem de eo dedimus ; pro re autem præſenti ratio eſt, quia lignum Crucis dicitur repræſentative,

ex

ex eo quod Crux ex quacumque materia facta ſit, repræſentat illam Crucem, in qua mortuus eſt Chriſtus Dominus; illa autem erat ex ligno; hinc dicitur: *Ecce lignum Crucis*.

232 Poſtquam Celebrans Crucem omnino detexit, tradit velum Subdiacono, & hic Cæremoniario, vel alicui Acolytho, qui illud defert ad Credentiam. Sacriſta vero pergit ad auferendum velum a Crucibus, quæ ſint per Eccleſiam, non item ex aliis ſacris Imaginibus, quæ nonniſi in ſequenti Sabbato deteguntur; *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 7. *n.* 1. *&* *tit.* 9. *n.* 27. Caval. *in decr.* 7. *nu.* 7. & alii. In Eccleſiis autem, in quibus functiones hujus feriæ minime celebrantur, atque adeo non ſit ſolemnis adoratio Crucis, non debet Crux, ſeu Crucifixus detegi, antequam detegatur in in Cathedrali, ſeu Eccleſia majori; Vid. Caval. *tom.* 4. *c.* 16. *Comment. in d.* 12. *&* *c.* 18. *in d.* 10. *num.* 8. Conſuetudo vero permittit diſcooperitionem Crucifixi, quæ verſus finem hiſtoricæ narrationis Paſſionis Domini fieri ſolet a quoquam Concionatore, ſive ipſe prædicet in Veſperis feriæ V. vel in mane fer. VI. juxta diverſam locorum conſuetudinem; finita tamen functione ejuſmodi, ac ſubſequente adoratione populi, removendus erit Crucifixus, ne impedimento ſit, aut præjudicio diſcooperitioni, & adorationi ſolemni Crucis, ſecundum ritum ab Eccleſia præſcriptum, de quo agimus, ut animadvertit Caval. *in cit. decr.* 10. *num.* 9. Solet item permitti expoſitio Statuæ Chriſti e Cruce depoſiti in gremium B.V. Vide dicta heri ſubſ. 6. num. 169. uti etiam ſola Statua B. V. repræſentans dolores ejus ob Paſſionem, & mortem Filii ſui. Caval. in cit. n. 9. fine.

Velum aufertur a Cruce, ut quod Judæis tectum erat, nobis reveletur; ſeu Crux aperta, ac nuda profertur, ad ſignificandum, omnia, quæ fuerant obſcura, ſcilicet ante Chriſti Domini mortem, tunc fuiſſe manifeſta, nimirum poſt ipſius mortem in Cruce. Rupert. *lib.* 6. *c.* 20. *&* Jo: Beleth *c.* 98. Item velum aufertur a Cruce, quia nudatur Chriſtus in Cruce; ita Durand. *in Ration. lib.* 6. *c.* 77. *nu.* 16. qui etiam docet ibidem n. 18. ter paulatim diſcooperiri Crucem modo, locisque prædictis, quia paulatim prædicatus eſt Chriſtus Crucifixus; primo in angulo Judæorum, poſtea palam, deinde in medio Altaris, id eſt in medio Gentium. 233

Similis eſſe videtur ratio elevationis triplicis gradatim vocis Celebrantis ad illa verba: *Ecce lignum Crucis*: & primo quidem, cum humiliori voce, quam ſecundo, & tertio dicitur: *Ecce lignum Crucis*: ſignificari videtur timor Apoſtolorum, quem ipſi primo habuerunt propter Judæos in ordine ad prædicandum Chriſtum Crucifixum: ut in ſimili dicemus Sabbato ſequenti num. 318. fine, ad illa verba: *Lumen Chriſti*. Quod autem deinde elatiori voce repetat Celebrans eadem verba: indicare videtur, eoſdem Apoſtolos, deinde timore depoſito palam annunciaſſe Judæis Chriſtum Crucifixum, ut conſtat ex Actibus Apoſtolorum paſſim. Quod denique tertio altius quam ſecundo clamet Sacerdos: *Ecce lignum Crucis*: proculdubio indicat prædicationem Apoſtolorum cum libertate fidei inter Gentes etiam remotiſſimas, & clamorem annunciationis eorum de paſſione, & morte

Redemptoris Mundi; etenim: *in omnem terram exivit ſonus eorum , & in fines orbis terræ verba eorum*. Pſalm. 18. 5.

Elevatur etiam Crux ter ad honorem , contra tres illuſiones Chriſti : videlicet in domo Principis Sacerdotum , in atrio Præſidis Pilati , & in Monte Calvariæ . Durand. cit. num. 16.

§. IX.

234 POSTEA *Sacerdos ſolus portat Crucem ad locum ante Altare præparatum , & genuflexus ibidem eam collocat : mox depoſitis calceamentis , accedit ad adorandam Crucem , ter genua flectens , antequam eam deoſculetur . Hoc facto revertitur , & accipit calceamenta , & caſulam . Poſtmodum Miniſtri Altaris , deinde alii Clerici , & laici , bini , & bini , ter genibus flexis , ut dictum eſt , Crucem adorant*. Rubr. Miſſ. hic.

Denudata , ut ſupra , Cruce , Celebrans nulla reverentia altari facta , deſcendit per latus Evangelii , (non enim poteſt per medium Altaris recta deſcendere , poſito quod , ut ſupra ſtatuimus , infimus Altaris gradus in medio eſt occupatus , ſeu paratus pro adoratione Crucis ; niſi , ut ibidem diximus , Preſbyterium fuerit nimis anguſtum :) ambabus manibus elevatam Crucem deferens , Crucifixi facie ad populum converſa , ſolo Cæremoniario comite , qui fimbriam Albæ elevat , ſi opus eſt : illamque portat ad locum præparatum , ubi genuflexus eam ponit ſuper pulvinum , ita ut caput Crucifixi cum tranſverſo Crucis ſit ſuper cuſſinum verſus Altare ; pedes vero ſuper tapete verſus populum . Quam Crucem , ſi opus eſt , firmat etiam lanqueolis adjuvante Cæremoniario pariter genuflexo ; qui juxta Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *c.* 25. & 26. paulo ante ponere debet lancem (ſi Eccleſia non ſit Regularium ; vid. Caval. *in d.* 7. *num.* 7.) prope ipſum pulvinum , ubi pecuniæ , ſeu oblationes , quæ Cruci ab adorantibus offeruntur , projiciantur ; ponet autem a dextris adorantis ; Alteri etiam Cruci , ſeu unicuique item ex aliis Crucibus , quæ forte per Eccleſiam diſtribuantur , ut populus adoret , ſua apponetur lanx ad effectum eumdem . Porro ubi multus fuerit populus , ne multum adorationis Crucis functio protrahatur , poterit altera Crux , ſeu poterunt per Eccleſiam diſtribui , & ſimiliter collocari aliæ Cruces , ut adoratio populi ceſſare poſſit , cum deſinit illa Cleri ; quæ quidem Cruces collocabuntur eodem tempore , quo Celebrans collocat prædictam Crucem . Tunc igitur aliquis Sacerdos indutus ſuperpelliceo , & Stola nigra , deferat Crucem alteram adorandam , Acolytho præcedente , eamque reverenter collocabit in loco apto , in quo ſit extenſum tapetum cum cuſſino , & velo , ibique remanebit genuflexus , devote aſſiſtens , ad impediendum populi tumultum ; & quatenus ob copiam populi , non ſufficiat una Crux , ponantur ſimiliter aliæ in aliis locis : quemadmodum dictum eſt ; ac decet maxime quod habeatur una Crux pro adoratione Virorum , alia pro mulierum , vel ſaltem non omnes promiſcue ad adorationem procedant . Caval. *in d.* 7. *num.* 1. 6. 7. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 9. *num.* 31.

Dum Celebrans collocat , ut ſupra , Crucem , omnes genuflexi manent ,

nent: Miniſtri ſacri in ſuppedaneo, manibus junctis, facie verſa ad populum; Clericus de libro, quem tenet clauſum, in ſecundo gradu verſus Altare; cæteri vero, etiam de Choro, in loco ſuo converſa facie quaſi ad Crucem, & manibus item junctis. Poterunt etiam ſacri Miniſtri tempore, quo cum Cruce de Altari deſcendit Celebrans, ipſi quoque deſcendere, & poſtea genuflexi manere prope ſcamnum paratum ad ſedendum in parte Epiſtolæ, ut ſupra §. 1. donec idem Celebrans aptaverit, ut ſupra, Crucem; & in hoc caſu etiam Clericus de libro hunc ad Credentiam deferat, & prope hanc genuflectat verſa facie ad Crucem. Caval. n. 2.

Aptata Cruce, ſurgit Celebrans, & facta genuflexione eidem Cruci, vadit ad ſcamnum oblongum paratum ex parte Epiſtolæ, ubi capite tecto ſedens, adjuvantibus Acolythis, extrahit calceamenta, vel deponit crepidas, quarum uſus in hac functione videtur laudabilior. Caval. nn. 2. Si prope idem ſcamnum genuflexi fuerint ſacri Miniſtri, dum ſurgit Celebrans, etiam ipſi ſurgunt, & facta Cruci genuflexione, cum eodem Celebrante ſedent in ſcamno, & ſimiliter deponunt calceamenta, vel crepidas; Si vero in ſuppedaneo genuflexi manſerint, cum eo item ſurgunt, genuflectunt Cruci, & pergunt ad ſedendum in ſcamno, & ad deponenda calceamenta, vel crepidas; & Clericus de libro item ſurgens genuflectit Cruci, & portat librum ad Credentiam, prope quam ſi fuerit genuflexus, ſurgit, & Cruci genuflectit.

235 Celebrans depoſitis calceis, ſurgit, & detecto capite, manibus junctis, ſolus procedit per planum ad adorationem Crucis, & quia trina genuflexione hæc adoratio debet perfici, primo genuflectit in tali diſtantia a Cruce, ut remaneat locus duabus reliquis genuflexionibus faciendis, fere æque diſtantibus locis per lineam rectam verſus pedes Crucis, antequam eam deoſculetur. Ad hujuſmodi adorationem, capite inclinato, manibus junctis, dici poterit ſubmiſſa omnino voce: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemiſti mundum.* Facta prima genuflexione, ſurgens progreditur ad medium ſtrati, ubi ſecundo genuflectit, & præſtat, quod in prima adoratione. Tum accedit ad locum Cruci proximum, ubi ſimiliter genuflexus adorat, & Crucem oſculatur, ſeu Crucifixum; expeditque, ne multum adoratio protrahatur, oſculari tantummodo pedes Crucifixo. Porro in Cruce adeſſe debere Imaginem Crucifixi, aperte ſignificat Rubrica Miſſalis §. præced. deſcripta, illis verbis: *Diſcooperiens brachium dexterum Crucis, & Caput figuræ Crucifixi.* Oſculata Cruce, ſurgit Celebrans, genuflectit eidem Cruci unico genu, & redit ad ſcamnum, ubi adjuvantibus Acolythis ſumit crepidas, ſeu calceamenta, & poſtea planetam, & manipulum, & deinde tecto capite ſedet in ſcamno, expectans Miniſtros ſacros, qui, ut infra, pergunt ad ejuſdem Crucis adorationem.

236 Peracta igitur adoratione a Celebrante, Miniſtri ſacri ambo ſimul procedunt ad Crucis adorationem, eamque perficiunt, quemadmodum dictum eſt de Celebrante; ita tamen ut Diaconus ſit a dexteris, Subdiaconus a ſiniſtris, quaſi in medio

Crucem habentes, & Diaconus primus oſculabitur Crucem, ſed non ſurget prius, quam eamdem oſculatus fuerit Subdiaconus, qui tunc cum Diacono ſimul ſurget, & ambo, præmiſſa Cruci adoratione, pergunt per planum ad locum, ubi prius depoſuerunt calceamenta, & ibi facta Celebranti inclinatione, ea reſumunt, & Subdiaconus reſumit etiam planetam cum manipulo, Diaconus vero ſolum manipulum, & remanet in ſua Stola latiori. Mox pergunt ad ſedendum cum Celebrante, huic ſe prius inclinantes, & ſedent tecto capite. Earum vero Eccleſiarum uſus, quæ, ut citius expediatur ſacra functio, Miniſtros faciunt ſuccedere ad Crucis adorationem tempore, quo Celebrans a prima tranſit ad ſecundam, & tertiam genuflexionem, & adorationem; licet Cæremoniali ſit minus conſonus, tolerari tamen poſſe videtur, ubi valde copioſus eſt Clerus. Caval. n. 7. fine.

237 Poſt ſacros Miniſtros, inde depoſitis calceis ſuccedent ad adorationem alii Miniſtri, & ſeniores de Clero, bini per ordinem eadem omnino peragent ritu ſupra deſcripto. Ne autem functio protrahatur plurimum, ita ſine mora ſuccedent, ut dum Diaconus, & Subdiaconus ſurgunt a primo loco, quo adoraverunt, præſto ſint duo alii, qui ibi genuflectant, & dum illi ſurgunt a ſecundo, hi pertranſibunt ad ſecundum, & alii duo genuflectent in primo, & quando Diaconus, & Subdiaconus oſculata Cruce, recedant, duo proximi occupabunt eorum locum, & qui erant in prima adoratione, gradientur ad ſecundam, & alii duo illico ſuccedent in prima, & ſic ſine mora ſucceſſive. Dum procedunt ad adorationem, aut ab ea recedunt, pari paſſu gradientur, devoto, & gravi, & ſi eos ante Celebrantem tranſire contigerit, eidem ſe inclinabunt, nec ab adoratione unus prius ſurget, quam alter coadorans, nec prius ſecundi ſurgent ab una proſtratione, quam alii ſurgant ab altera, nec unus majori tempore orabit, vel plura Crucifixi membra oſculabitur, quam alter, ſed omnes in cunctis erunt omnino æquales. Clerus adoratione peracta pergit ad ſuum locum, & Acolythi ad Credentiam, & calceamenta induunt, ſiquidem ea depoſuerint, in pleriſque enim Eccleſiis præter Celebrantem, ſacroſque Miniſtros, alii etiamſi Clerici non ſolent ad adorationem Crucis accedere ſine calceamentis.

Si præſens ſit proprius Epiſcopus, juxta Cærem. Epiſcop. *l.* 2. *c.* 26. ante Celebrantem primus Crucem adorat: poſt Celebrantem vero, ſed ante ſacros Miniſtros Prælati extranei; Laici autem licet ſint ex Magiſtratu, & adhuc Principes, poſt Clerum; ſed hi calceamenta minime deponunt. Pro aliis vero laicis poteſt collocari alia Crux in alio loco Eccleſiæ, ut ſupra dictum eſt; quorum tamen adoratio ceſſare debet, ſtatim ac abſoluta fuerit adoratio Cleri: quod ſi ſuperſit populus, qui adorare voluerit, ejus devotioni poterit ſatisfieri per collocationem Crucis in aliquo Eccleſiæ loco, poſtquam officium Paraſceves ad Altare fuerit abſolutum, ut dicetur inferius. 238

Qui voluerit offerre eleemoſynam, ſeu aliquam oblationem Cruci, hanc offerat, deponatque in lance parata ut ſupra, in tertia genuflexione; & antequam deoſculetur Crucem. Caval. 239

val. n. 3. Merat. *to. 1. par. 4. tit. 9. nu.* 31. Circa quas eleemoſynas, ſeu oblationes notandum eſt ſequens Decretum : *Conſuetudo, ut oblationes, quæ offeruntur Cruci feria VI. in Paraſceve, dentur Magiſtris Cæremoniarum, ſervanda eſt.* S. R. C. 29. Novembr. 1603. in *Beneventana*, apud Caval. *to.* 4. *c.* 16. *d.* 7. Porro Cæremoniarii cum Altari inſerviant in directione ſacrorum Rituum, conveniens quoque eſt, de ipſo Altari vivant; alias vero expendendæ hujuſmodi oblationes erunt in pios uſus, juxta Eccleſiarum laudabiles conſuetudines, vel neceſſitates. Caval. n. 1.

240 Sanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus *Epiſt.* 31. novæ editionis, & 11. veteris ad Severum teſtatur, quod in Hieruſalem hac tantum feria ſexta majoris hebdomadæ proponebatur populo ſolemniter adoranda Crux ipſa, in qua Chriſtus Salvator Crucifixus eſt. Inde nonnulli putant, ortum habuiſſe hodiernam prædictam cæremoniam publicæ, atque ſolemnis adorationis Sanctæ Crucis; ut refert Bened. XIV. *de feſtis Dom. c.* 7. §. 7. *& cap.* 14. §. 2. ubi tamen ſcribit: Lignum Sanctæ Crucis in Hieruſalem præter hanc feriam ſextam, nonnullis etiam aliis diebus ſolemnibus publicæ adorationi ſolemniter fuiſſe propoſitum. Ex Divo autem Antonino *par.* 2. *c.* 3. *tit.* 12. adorationis hodiernæ prædictæ auctor Sanctus Gregorius eſt. Ea habetur in Ordine Romano cum minoribus attamen cæremoniis. De adoratione debita ſive vero ligno Sanctæ Crucis, ſive aliis cujuſcumque materiæ figuris, & imaginibus Crucem Chriſti repræſentantibus: videantur dicta 3. Maji articul. 4.

§. X.

INTERIM *dum fit adoratio Crucis, cantantur improperia, & alia, quæ ſequuntur, vel omnia, vel pars eorum, prout multitudo adorantium, vel paucitas requirit* &c. Rubr. Miſſ. hic. 241

Statim ac incipit adoratio Crucis, incipiunt in Choro cantari improperia, & alia in Miſſali deſcripta, ubi clare exponitur modus, & ratio cantandi ea; cantantur autem uſque dum duret adoratio, atque adeo ubi hæc brevior fuerit, quæ ſuperſunt omittantur; ubi vero longior, repetantur, & repetitio fiat ab hymno: *Pange lingua*. Caval. in d. 7. n. 8. Celebrans, & Miniſtri poſtea quam, adorata Cruce, ſederint ut ſupra, dum alii adorant, voce demiſſa legunt improperia ex Miſſali, quod ante Celebrantem ſuſtinet Acolythus genuflexus, vel illud teneant ſacri ipſi Miniſtri, donec Acolythus peregerit adorationem: qua habita, ut ſupra genuflexus ſuſtinebit librum, & terminatis improperiis illum collocabit apertum ſuper Altare in cornu Epiſtolæ. Caval. n. 4.

Improperia hic vocantur nonnulli verſus exprimentes, & improperantes 242 ingratiſſimum animum Judæorum erga Dominum Salvatorem; ut ſignificat Bened. XIV. *de feſt. Dom. c.* 7. §. 7. De his improperiis videri poteſt Durand. l. cit. n. 14. 15. & 23.

Poſt quodlibet Improperium canitur celebre illud Triſagium: *Sanctus Deus* &c. Idque videtur poni ab Eccleſia in laudem Chriſti; licet enim ſupra §. 6. n. 224. dixerimus: in fine Evangelii, ſeu Paſſionis non dici: *Laus tibi Chriſte:* eo quod hodierna dies fuerit Chriſto improperii, non laudis; hoc attamen loco Eccle-

Eccleſia dat laudem Chriſto : ut videlicet etiam opponatur ingrato animo, & cœcitati Judæorum; quemadmodum §. 7. notavimus ad *Flectamus genua*. Vel etiam præfactum Triſagium ponitur ad implorandam Divinam miſericordiam pro peccatis noſtris, quæ fuerunt cauſa mortis Chriſti. Dicitur græce ex inſtituto S. Sabæ apud Baron. ad an. Chriſt. 492. nu. 39. & 40. Et dicitur item latine. Hæ duæ linguæ videntur poni pro omni lingua, ut ſcilicet *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris*. Ad Philip. 2. 11. Non dicitur autem Hæbraice, quia Hebræi negaverunt Chriſtum, & reprobaverunt Dominum; ut ait Rupert. *lib. 6. cap.* 19. Aliam rationem aſſignat laudatus Benedictus XIV. l. cit. nimirum; illud dici Græce, quia Eccleſia Latina alludit ad illud miraculum, quod accidit olim apud Græcos in Urbe Conſtantinopolitana, quando Deus per os pueri cujuſdam monuit populum, & docuit prædictum Triſaginm recitare, ut a ſe terremotus magni flagellum averteret, dans ſignificationem, ut ſugeret a facie arcus. *Pſ.* 59. cujus miraculi hiſtoriam narrat idem Benedictus loc. cit. Latine quoque dici idem Triſagium, ut Eccleſia Latina ſuo utatur idiomate.

243 Qu. hic. Utrum tempore Interdicti localis generalis liceat peragere in Eccleſiis publice hujuſmodi adorationem Crucis?

℞. Licere: dummodo non recitentur publice, nec ſolemniter preces, & officia prædicta ſtatuta ab Eccleſia pro hac die, quoad expoſitam adorationem: ut ſupra notavimus pro feria V. Cœnæ. Vid. Filliuc. *to. 1. tr.* 18. & 8. *de Cenſur. c.* 3. *q.* 8. *n.* 79. Bonac. *tom.* 1. *diſp.* 5. *de Interd. pu.* 4. *nu.* 4. Lezan. V. *Interd. n.* 20. fine. Chiavett. *Conſult.* 148. *num.* 30.

§. XI.

CIRCA *finem adorationis Crucis accenduntur Candelæ ſuper Altare, & Diaconus accipiens burſam Corporalium, extendit Corporale more ſolito, & juxta illud ponit purificatorium; & finita adoratione, Crucem reverenter accipit, & reportat ad Altare*. Rubr. Miſſ. hic. 244

Circa finem adorationis Crucis Ceroferarii accendunt ſex candelas Altaris, & etiam duas ſuorum candelabrorum ſuper Credentiam exiſtentium; & Diaconus vadit (Subdiacono interim ſtante nudo capite:) ad Credentiam, & accepta burſa cum purificatorio deſuper poſito, ambabus manibus ad oculos uſque eam elevatam tenens, per breviorem viam (non pergit enim per planum, ut alias, ante Altaris medium, poſito quod ibi ſit Crux, quæ adoretur:) portat ad Altare, ubi more ſolito extrahit, & explicat Corporale, & prope hoc ex parte Epiſtolæ ponit purificatorium; quo facto, per breviorem iterum viam redit ad locum ſuum, ubi cum Subdiacono ſedet tecto capite. Quod ſi Crux ante Presbyterii fores adorationi exhibita fuerit, incedet Diaconus per planum de more, ante Altaris medium, & ibi facta genuflexione Cruci, aſcendet ad Altare, ad explicandum, ut ſupra, Corporale: & per eamdem viam, iterata genuflexione Cruci, perget ad ſedendum, ſe prius inclinans Sacerdoti in receſſu, & acceſ-

ſu,

ſu, & quoties ante eumdem tranſit.

Eodem tempore Acolythus, ut ſupra, per ſuppedaneum, vel per planum incedens, & genufleſtens Cruci, transfert Miſſale ad latus Evangelii, illudque apertum ſuper cuſſinum prope Corporale collocat; & in Sacriſtia, vel Choro paratur alter Subdiaconus Alba, & planeta plicata nigra, ſine manipulo, pro deferenda Cruce proceſſionali, & parantur itidem illi, qui Baldachini haſtas deferre debent: pro quo ſpectandum eſt ſequens decretum: *In Proceſſione feriæ VI. in Paraſceve, Epiſcopo totum officium, & ſacram functionem in pontificalibus non peragente, non ſunt a geſtantibus haſtas baldachini adhibenda pluvialia, ſed ſolum Cottæ*. S. R. C. 15. Septembr. 1736. in *Toletana*; apud Caval. *tom.* 4. *c.* 16. *d.* 8. Cui decreto adſtipulatur Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *c.* 26. Eremitæ vero Camaldulenſes Montis Coronæ videant decretum pro iis emanatum, in hac proceſſione ſervandum, allegandum fer. V. poſt Dom. 1. Pentec. ſeu in feſto Corporis Chriſti nu. 45. Interim deferuntur quoque ad Altare duo thuribula, igne in iiſdem poſito.

245 Finita adoratione ſurgit Diaconus, (& cum eo item Subdiaconus, qui tamen ſtans apud Celebrantem remanet:) & facta reverentia eidem Celebranti, accedit ad locum, ubi eſt Crux, cui facta genuflexione unico genu, eam reverenter capit, & ambabus manibus eamdem uſque ad oculos elevatam, nulli reverentiam faciens, reportat ad Altare: ubi in ſuo loco, adjuvante Sacriſta, vel Cæremoniario, illam collocat inter Candelabra. Tranſeunti Cruci aſſurgens Celebrans cum Subdiacono, nudo capite, genuflectit; quod hoc hodie faciunt omnes omnino in honorem Crucifixi Domini Salvatoris, & Redemptoris noſtri, quia ſpecialius ſulget Crucis myſterium; ex Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *c.* 25. & 25. & decr. S. C. R. de quo teſtatur Caſtaldus in ſua Praxi cæremoniarum: vide etiam dicta art. 3. Sect. 1. nu. 10. Celebrans a genuflexione prædicta ſurgens, ſedet iterum tecto capite; Subdiaconus autem ſimiliter ſe erigens, ſtat ut prius apud Celebrantem, donec Diaconus revertatur. Diaconus aptata, ut ſupra, Cruce, huic genuflectit, & per breviorem viam incedens, præmiſſa Celebranti inclinatione, ſedet ad ejus dexteram, & Subdiaconus ad ſiniſtram, ambo cooperto capite. Acolythi removent pannum cum velo, & cuſſino; & quoties Cruces aliæ adorandæ expoſitæ, ut ſupra, fuerint, per alios Sacerdotes Cotta, & Stola nigra indutos aſportantur in Sacriſtiam, & removentur itidem tapetia cum lancibus per alios Miniſtros. In loco autem Sepulchri, ſeu ubi repoſitum latet SS. Sacramentum Corporis Chriſti, accenduntur omnia luminaria, & per Sacriſtam extenditur Corporale ſuper Altare.

§. XII.

POSTEA *ordinatur Proceſſio ad locum, ubi pridie Sacramentum repoſitum fuerit. Præcedit Subdiaconus cum Cruce inter duos Acolythos deferentes candelabra cum cereis accenſis, & Clerus per ordinem, ultimus Sacerdos cum Miniſtris. Cum perventum fuerit ad locum Sacramenti, accenduntur intorticia, quæ non extinguuntur, niſi* 246

Digitized by Google

niſi poſt ſumptionem Sacramenti : & Sacerdos genufleƈtit ante Sacramentum, orat aliquantulum ; Diaconus interim aperit capſulam, in qua reconditum eſt Corpus Domini : poſtea Sacerdos ſurgens, abſque benedictione imponit incenſum in duobus thuribulis, Diacono naviculam miniſtrante ; & genuflexus incenſat Sacramentum : tum Diaconus extrahens calicem cum Sacramento de capſula, dat ad manus Sacerdotis, & tegit extremitatibus veli, quod humeros circumdat, & procedunt ordine, quo venerunt : defertur baldachinum ſuper Sacramentum : & duo Acolythi cum thuribulis continue Sacramentum incenſant : interim cantatur hymnus : Vexilla Regis prodeunt. Rubric. Miſſ. hic.

Subdiaconus alter, qui de novo paratus eſt, accipit Crucem proceſſionalem denudatam : & medius inter Ceroferarios deferentes candelabra cum cereis accenſis, ſiſtit ſe cum iiſdem extra cancellos facie verſa ad Altare, cujus Cruci non genufleƈtunt, nec ſe inclinant ; duo vero Thuriferarii ſine incenſo in thuribulis, facta Cruci genuflexione, ibi ſe quoque collocant poſt Subdiaconum prædiƈtum, ut commodius primi incedant. Hoc facto, ſequenti ordine ad locum Sepulchri ordinatur Proceſſio. Omnium primi incedunt Thuriferarii, poſtea Subdiaconus medius inter Ceroferarios, deinde Clerus, & poſt hunc illi, qui haſtas baldachini deferre debent, & denique incedit Subdiaconus Miniſter Celebrantis, quem ſequitur Diaconus, & poſtremo Celebrans manibus junƈtis, & teƈto capite : quia inceſſus iſte proprie non eſt Proceſſio, ſed aditus ad eam : ideo etiam eundum eſt per viam breviorem. Omnes autem antequam incedant, unico genu ſalutabunt Crucem Altaris. Caval. *in decr.* 8. *n.* 4.

Cum perventum fuerit ad locum Sacramenti, Cruciferarius, & Ceroferarii ſiſtunt ſe extra, & prope Sacellum, & ibi immobiles ſtant, nec umquam genufleƈtunt ; Thuriferarii intrant Sacellum, in hujus limine facta genuflexione utroque genu, & profunda inclinatione, accedunt ad Altare, & hinc inde genuflexi manent in loco, in quo alios ſuperventuros non impediant. Clerus facta genuflexione itidem & inclinatione, hinc inde ſe collocat in locis ſuis, vel intra, aut extra cancellos, quemadmodum diximus in præcedenti feria ſubſ. 5. n. 162. & ibi genuflexus manet. Miniſtri ſacri, & Celebrans ante fores Sacelli deponunt birreta, & ſtatim Sacellum ingreſſi, unus poſt alium, omnes ſimul genufleƈtunt. Genuflexi autem, præter Cruciferarium, & Ceroferarios, qui tunc ſtantes claudunt ingreſſum Presbyterii, omnes aliquantulum orant, puta per ſpatium unius *Miſerere ;* & interim accenduntur intortitia, & Clero diſtribuuntur candelæ accenſæ, aut accenduntur, ſi prius fuerant diſtributæ.

247 Oratione facta, Diaconus ſolus ſurgit, & manibus junƈtis aſcendit ad Altare, & ibi facta genuflexione unico genu, aperit capſulam, in qua reconditum manet Sacramentum, quod tamen non extrahit, ſed repetita genuflexione in ſuppedaneo, deſcendit ad dexteram Celebrantis, ubi non genfleƈtit, ſed illico ſurgit Celebrans cum Subdiacono, & nulla genuflexione facta, miniſtrante Diacono ſine oſculis, imponit incenſum ſine benediƈtione in thuribulo, quod

genu-

Digitized by Google

genuflexus ſuſtinet primus thuriferarius, qui mox paululum recedit ex parte Epiſtolæ, cedens locum ſecundo thuriferario, in cujus thuribulo thus imponit ſimiliter Celebrans ex priori navicula; quo facto, genuflexione prævia, ſecundus Thuriferarius cum thuribulo recedit ad cornu Evangelii, ibique manet genuflexus, & primus thuriferarius cum debita genuflexione accedit ad Diaconum, a quo recipit naviculam, & eidem tradit thuribulum, cum quo Celebrans ter incenſat Sacramentum, ante, & poſt facta profunda inclinatione, & ſacris Miniſtris interim elevantibus partem poſteriorem planetæ circa brachia. Tum per Diaconum reſtituitur thuribulum thuriferario, qui genuflexione facta recedit, & genuflectit in plano Sacelli e regione alterius thuriferarii, quorum uterque agitat thuribulum, ne ignis extinguatur.

Mox inchoatur Proceſſio, reverſura ad Altare, in quo præcedens functio Crucis habita eſt, ut ibi Hoſtia ſacra, quæ in hac Proceſſione reportatur, a Celebrante abſumatur. Inchoatur igitur Proceſſio, ſe vertentibus erga Eccleſiam Cruciferario, & Ceroferariis, nulla genuflexione, vel inclinatione præmiſſa, quos bini ſequuntur alii de Clero cum candelis accenſis, flectentes unicum genu, ut citius ſurgant, dum tranſeunt ante SS. Sacramentum; ſuo autem tempore portantes fanalia hinc, & illinc. Interim per ſacros Miniſtros imponitur Celebrantis humeris Velum oblongum coloris albi ſecundum dicta §. 1. quod firmatur aciculis, vel vittis ſericis, & ſuper ejuſdem brachia, & manus extenditur. Quando autem Proceſſio ita progreſſa eſt, ut eamdem Sacerdos quaſi ingredi debeat; Celebrans, & Miniſtri ſacri ſe erigunt, & Altare aſcendentes, idem Celebrans, & Subdiaconus genuflectunt in ſuppedaneo, Diaconus vero pergit uſque ad Altare ipſum, in cujus medio genuflexione præmiſſa unico genu, ſine capitis inclinatione, extrahit de capſula Calicem SS. Sacramenti ſuo Velo coopertum, (capſula autem cum per extractionem Calicis ſupponatur Sacramento remanere vacua, non obſerabitur, ſed relinquetur aperta:) quem dextera tenens per nodum, ſiniſtra per pedem, vertens ſe per eam partem, quæ reſpicit cornu Evangelii, convertit ſe ad Celebrantem, & ſtans, Calicem tradit eidem Celebranti, ut ſupra genuflexo, qui ſiniſtra eum recipit per nodum, & ſuper eumdem Calicem ponit dexteram, quam Diaconus cooperit cum extremitatibus Veli humeralis. Mox idem Diaconus genuflectit unico genu in eodem loco, in quo eſt, Sacramentum adorans, remanente interim ut ſupra genuflexo Celebrante, qui ſtatim cum Subdiacono (porro Diaconus poteſt remanere in loco, in quo invenitur, nimirum ſuper ſuppedaneo: quia cum hodie Celebrans ſit in planeta, non debet Diaconus pluvialis fimbriam, quæ Celebranti aſcendenti eſſe poſſet impedimento, elevare; non eſt itaque neceſſe, quod deſcendat ad dexteram Celebrantis, ut heri; ſi tamen deſcendere velit, illico aſcendet cum Celebrante, qui eodem tempore, quo Diaconus ſe conſtituit ad ejus dexteram, ſimul ſe erigit cum Subdiacono:) aſcendit in ſuppedaneum, ubi medius inter Diaconum a dexteris, & Subdiaconum a ſiniſtris, ex parte Epiſtolæ cum Sacra-

mento vertit ſe ad populum, & cum eo itidem ita ſe vertunt ſacri Miniſtri, ut numquam reſpective relinquant dexteram, vel ſiniſtram Celebrantis. Caval. *in d.* 8. *n.* 7. *&* 9.

248 Statim ac Sacerdos cum SS. Sacramento converſus eſt ad Populum, Cantores adhuc genuflexi incipiunt hymnum: *Vexilla Regis prodeunt:* & Sacerdos, præcedentibus duobus Acolythis cum thuribulis effumantibus, (recole dicta feria præced. n. 160.) comitatus a Sacris Miniſtris, qui planetam non elevant, ſed ſuſtinent ejus brachia, ſi opus eſt: diſcedit ab Altare, & ſupponit ſe baldachino coloris albi. Deſcendit autem ab Altari ſub umbella coloris albi, vel ſaltem Baldachinum mediis haſtis exporrigitur uſque ad Altare, ne Sacramentum abſque honorifico tegmine per tale ſpatium deferatur. Quando autem Celebrans in Altari cum Sacramento vertit ſe ad populum, Clerus per proceſſionem genuflexus manet verſa facie ad Altare, & ubi per Cantores intonatur, ut ſupra, hymnus, ſtatim ſurgit, & præmiſſa genuflexione unico genu, graviter progrediens, proſequitur prædictum hymnum; quem cum ſacris Miniſtris Celebrans ſubmiſſa voce recitat: qui quatenus non ſufficiat, uſque dum Celebrans pervenerit ad Altare, in quo Hoſtia Sacra abſumenda eſt, repeti poterit tum ab ipſo Celebrante, tum a Clero, ſic tamen ut ultima ſtropha dicatur ſemel tantum in fine. Caval. n. 8. & videantur dicta heri Subſ. 5. pro ſimili proceſſione; ubi etiam nu. 160. habes, an pulſanda ſit tabula, ſeu Croatlum, ſeu inſtrumentum ligneum in Paraſceve: & num. 161. hanc proceſſionem non poſſe fieri extra Eccleſiam, ex Decr. S. C. Epiſcop. & Regul. Laudati hymni *Vexilla:* in ſimul & ſupradicti hymni *Pange lingua glorioſi lauream* &c. Auctor fuit Venantius Fortunatus ex Baron. ad Ann. Chriſti 566. n. 35. quibuſdam tamen mutatis: ut videre eſt apud eumdem.

§. XIII.

Cum venerit Sacerdos ad Altare, poſito ſuper illud calice, genuflexus rurſum incenſat, & accedens deponit Hoſtiam ex Calice ſupra Patenam, quam Diaconus tenet: & accipiens Patenam de manu Diaconi, Hoſtiam ſacram ponit ſuper Corporale, nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vaſe. Interim Diaconus imponit vinum in Calicem, & Subdiaconus aquam, quam Sacerdos non benedicit, nec dicit ſuper eam Orationem conſuetam: ſed accipiens Calicem a Diacono, ponit ſuper Altare, nihil dicens: & Diaconus illum cooperit palla: deinde imponit incenſum in thuribulo abſque benedictione, & incenſat oblata, & Altare more ſolito, genuflectens ante, & poſt, & quandocumque tranſit ante Sacramentum. Rubr. Miſſ. hic. 249

Ubi proceſſio ad Altare devenit ſtatim Crucifer, & Ceroferarii presbyterium ingreſſi, nulla Cruci Altaris inclinatione facta, deponit ille Crucem proceſſionalem in loco congruo ex parte Epiſtolæ, ubi pariter manet genuflexus uſque in finem; Ceroferarii vero deponunt Candelabra ſuper Credentiam, & poſtea genuflectunt in plano, ut ad Miſſam. Clerus presbyterium item ingreditur, & non genuflectens Cruci Altaris, procumbit in genua hinc inde, vel quaſi

Digitized by Google

in gyrum, & quatenus Chorus ſit prope, & ante Altare, genuflećtit in ſuis locis, ſeu ſtallis. Præcedentibus thuriferariis Celebrans medius inter ſacros Miniſtros intrat denique presbyterium, ad cujus cancellos cum ſe ſiſtant deferentes baldachinum, prompta erit Umbella elevanda ſuper caput Celebrantis uſque ad gradus Altaris; Clerus vero hinc, & illinc ut ſupra genuflexus cum candelis accenſis, quæ non extinguuntur, niſi Communione completa, ſeu Hoſtia per Celebrantem abſumpta; tranſeunti Sacramento caput profunde inclinat.

Celebrans juxta Inſtructionem Clementinam pro expoſit. SS. Sacramenti §. 31. ſe ſiſtet in plano ante infimum Altaris gradum, habens Subdiaconum a ſiniſtris in hoc gradu genuflexum, & ibi ſtans Calicem conſignabit Diacono genuflexo utroque genu in ſuppedaneo, renibus aliquantiſper verſis ad cornu Epiſtolæ. Diaconus e Calice primum removet extremitates veli humeralis, poſtea ita eum accipit, ut per nodum dextera illum teneat, & ſiniſtra regat ejuſdem pedem, & poſtea ibi genuflexus tantillum expectat, donec Celebrans genuflexus ſuper eumdem infimum Altaris gradum cum profunda inclinatione Sacramentum adoret. Mox per Subdiaconum, vel alium Miniſtrum aufertur e Celebrantis humeris velum oblongum, & Diaconus ſurgens collocat Calicem in medio Altaris, ſuo adhuc coopertum velo albo, quod a vitta ſolutum, non amovet a Calice, ſed illud extendit, ut ſit initio Miſſæ, cavens, ne Patena e Calice decidat. Tum idem Diaconus præmiſſa genuflexione unico genu, deſcendit ad dexteram Celebrantis, ubi non genuflectit, ſed ſurgenti illico Sacerdoti cum Subdiacono miniſtrat incenſum ex navicula primi thuriferarii ſine oſculis, & Celebrans ter imponit incenſum ſine benedictione in thuribulo. Incenſo impoſito, genuflectunt omnes, & Celebrans accepto a Diacono thuribulo ter incenſat Sacramentum more ſolito, factis debitis inclinationibus ante, & poſt, & ſacris Miniſtris elevantibus hinc inde partem poſteriorem planetæ circa brachia. Poſt hanc incenſationem recedit ſecundus thuriferarius in Sacriſtiam, vel congruum locum proximum, ſi ea prope non ſit, ubi depoſitis navicula, & thuribulo redit in presbyterium, ſeu ad locum præſentis functionis ſacræ, ubi accepta navicula primi thuriferarii gerit perſonam navicularii; in receſſu autem, & acceſſu Sacramentum ſalutat unico genu, ut expeditius ſurgat, muneri ſatisfacturus.

Incenſato, ut ſupra, Sacramento, 250
Celebrans cum ſacris Miniſtris ſurgit, & aſcendit ad Altare, ubi ab omnibus genuflexione facta unico genu, Diaconus removet velum e Calice, iterum cavens ne patena decidat; velum hujuſmodi a Cæremoniario datur alicui Acolytho, a quo plicatur, & portatur ad Credentiam. Removet ipſe Diaconus quoque, genuflexione præmiſſa, Patenam, quam invertens collocat ſuper Corporale a parte Epiſtolæ, & inſuper amota e Calice Palla, iterum flectit unicum genu, ſtatimque ſurgens, Patenam accipit, eamque ſuſtinens utraque manu, aliquantulum elevat ante Celebrantem, ita ut is ſuper eam verſare poſſit ſacram Hoſtiam. Celebrans itaque habens ante ſe Patenam, accepto Calice, ſuper

Digitized by Google

eam verſat ſacram Hoſtiam, hanc, ſi fieri poteſt, non tangendo manibus, & quatenus eam tetigerit, ſtatim digitos abluit in aliquo vaſe, ad id præparato, ut ſupra §. 1. Tum Sacerdos, depoſito Calice ſuper corporale verſus cornu Epiſtolæ, accipit patenam a Diacono, & nihil dicens, nec ullum faciens Crucis ſignum, Hoſtiam ex ea ſuper corporale in medio deponit; patenam vero non collocat ſubtus, ſed ſuper Corporale ob reſpectum ſacrarum ſpecierum, quarum fragmentum aliquod poteſt in ea eſſe reliquum; collocat itaque ſuper corporale verſus cornu Epiſtolæ. Interim Subdiaconus tranſit (genuflexione unico genu præmiſſa, non item in medio, dum tranſit. Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 9. *n.* 54.) ad dexteram Diaconi, (iterum genuflectens,) qui Calice non exterſo ſive ante, ſive poſt, ob ſacras, ut ſupra, ſpecies: imponit vinum in Calice, ac ſubinde Subdiaconus parum aquæ, non petens benedictionem a Celebrante, qui proinde nec eam benedicit, nec dicit ſuper eam orationem: *Deus qui humanæ ſubſtantiæ*.

Diaconus ſtatim, ſine oſculis, tradit Calicem Celebranti, qui nihil dicens, neque ullo cum eo facto Crucis ſigno, illum deponit ſuper corporale poſt Hoſtiam, ut fieri ſolet in Miſſa, & Diaconus nulla facta genuflexione, (quia in eo non eſt Sacramentum) eumdem ſua palla cooperit. Subdiaconus, qui hodie patenam non ſuſtinet, poſt infuſionem aquæ tranſit cum debitis genuflexionibus ad ſiniſtram Celebrantis, qui, miniſtrante Diacono ſine oſculis, imponit incenſum in thuribulo ſine benedictione, & nihil dicendo: deinde accepto thuribulo, genuflectit ſimul cum ſacris Miniſtris unico genu, tum ſurgens *incenſat oblata, & Altare more ſolito:* & conſequenter dicens: *Incenſum iſtud* &c. Vid. Merat. *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 9. *n.* 56. & poſt incenſationem oblatorum incenſatur Crux, non item SS. Sacramentum peculiari alia incenſatione; non omiſſis autem debitis genuflexionibus tranſeundo ante SS. Sacramentum, ut ſequentia decreta monent: *In feria VI. Paraſceves thurificanda ſunt Oblata, ſed poſt thurificationem Oblatorum non eſt iterum thurificandum Sacramentum, ob cujus tamen præſentiam non eſt omittenda thurificatio Crucis, ſed Crux, & Altare thurificanda ſunt eodem prorſus modo, quo fit in aliis Miſſis, non omiſſis debitis genuflexionibus tranſeundo ante SS. Sacramentum*. S. R. C. 5. Julii 1696. (1698. apud Merat. *in decret. Miſſ. num.* 535.) in Panormitana. *Non eſt tolerandus uſus, qui in aliquibus Eccleſiis ſervatur feria VI. in Paraſceve, incenſandi iterum SS. Sacramentum poſt incenſationem Oblatorum, omittendo conſuetam Crucis incenſationem, cum ſit contra Rubricam illius diei*. S. R. C. 3. Auguſti 1697. in *Panormitana* apud Caval. *to.* 4. *c.* 16. *d.* 9. & 10. Et quamvis expoſito ſolemniter Sacramento, ſi in eodem Altari celebretur Miſſa ſolemnis, omittatur incenſatio Crucis, ſi ea adſit, & incenſetur Sacramentum, ut docebimus in Appendice ad calcem Diarii c. 3. art. 2. fine; At vero hic in Altari SS. Sacramentum non eſt ſolemniter expoſitum, & rurſus conſideratur ut aliquod ex Oblatis, quemadmodum ſcite animadvertit Caval. in cit. d. 9. fine, & videri poſſunt ex eodem ſtatim dicenda n. ſequenti.

In-

Incenſatione Altaris peracta ut ſupra, Celebrans in cornu Epiſtolæ Diacono reddit thuribulum dicens: *Accendat in nobis* &c., qui illud recipit ſine oſculis, nec Celebrantem incenſat, *Rubr. Miſſ. hic*; neque aliquem alium, ſed illico thuribulum conſignat Acolytho, qui illud deponit.

251 Benedictio incenſi omitti videtur in ſignum mœroris, & luctus ob Chriſti mortem: quia benedictio hilaritatem quamdam importat. Ita Quarti de Benedict. tit. 2. Sect. 5. dub. 2. fine.

Incenſatis oblatis, incenſatur hodie Crux, etſi ea non incenſetur præſente in Altari Sacramento ſolemniter expoſito; id autem ideo fieri in hac feria, quod Eccleſia ſpeciali cultu Crucem Chriſti hodie veneretur, ſentit Meratus *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 9. *n.* 56. conſentit Caval. *to.* 4. *c.* 8. Comment. in §. 30. Inſt. Clement. quadraginta horarum n. 5. ſed deinde *cap.* 16. *comm. in cit. d.* 10. *n.* 2. hanc rationem quaſi non ſatis approbans, aliam addit, nimirum: diſparem rationem videri de caſu præſentis feriæ, & expoſiti Sacramenti: quia in primo Sacramentum non aſſequitur particularem, ſolemnemque incenſationem, ſed ſolum thurificatur inter oblata, unde relinquit locum thurificationi ſpeciali Crucis; non ſic in ſecundo, in quo diſtincta particulari, ſolemnique incenſatione honoratur Sacramentum expoſitum, qua habita, ſuperfluere videtur Incenſatio Crucis, ſeu figuræ ejuſdem. Hæc Caval.

§. XIV.

POSTEA *aliquantulum extra Altare, in cornu Epiſtolæ lavat manus, nihil dicens; deinde in medio Altaris inclinatus, junctis manibus dicit ſubmiſſa, ſed intelligibili voce:* In Spiritu humilitatis. *Rubr. Miſſ. hic.* 252

Abſoluta incenſatione præfata, mox Celebrans per gradus laterales cornu Epiſtolæ deſcendit in planum, ubi verſa facie ad populum, (cavens, ne terga vertat Sacramento:) lavat manus nihil dicens; aquam, & pelvim miniſtrante Acolytho; interim ſtet a ſiniſtris Subdiaconus, verſa facie ad Celebrantem, & renibus ad populum, Diaconus autem a dexteris ſimiliter converſus, qui ſubminiſtrat manutergium, quia hodie in aliis miniſteriis non eſt impeditus. Caval. *tom.* 4. *c.* 16. *in d.* 10. *n.* 3. Lotis manibus, Celebrans per eoſdem gradus aſcendit ad medium Altaris, & Diaconus una cum eo vadit ad librum, factis ab utroque debitis genuflexionibus; Subdiaconus vero pergit per planum in medium Altaris, ubi præmiſſa genuflexione ſe ſiſtit ante infimum ejuſdem gradum. Sacerdos mediocriter inclinatus, & junctis manibus ſuper Altare poſitis, dicit ſubmiſſa, ſed intelligibili voce: *In ſpiritu humilitatis* &c.

§. XV.

DEINDE *verſus ad populum in cornu Evangelii, dicit more ſolito:* Orate Fratres *&c. & per eamdem viam revertitur, non perficiens Circulum, & conſequenter omiſſis aliis, dicit:* Oremus. Præceptis ſalutaribus &c. *Rubr. Miſſ. hic.* 253

Celebrans poſtquam dixit: *In ſpiritu*

ritu humilitatis &c. oſculatur Altare, flectit unicum genu, ſurgit, & converſus ad populum, renibus verſis ad cornu Evangelii, dicit: *Orate Fratres*: idque *more ſolito*, ait Rubrica, adeoque duo prima verba dumtaxat clara voce, cætera vero ſubmiſſa proſequitur; & interim non perficiens circulum, per eamdem viam revertitur ad medium Altaris, ſicuti eadem Rubrica aperte demandat, ne Sacerdos perficiendo circulum, terga vertat Sacramento; qui etiam ubi Altaris medio ſe reſtituit, Sacramentum adorans, unicum genu iterum flectit.

Ad *Orate Fratres*: non reſpondetur: *Suſcipiat Dominus Sacrificium* &c. ſed Celebrans abſoluto: *Orate Fratres* &c. omiſſis aliis, ſtatim dicit: *Oremus. Præceptis ſalutaribus* &c. cantans junctis manibus, & alta voce & mox ſubdit: *Pater noſter*: alta item voce, ſed extenſis de more manibus: in cujus fine Chorus reſpondet: *ſed libera nos a malo*: & Sacerdos ſecreto ſubdit *Amen*: ſed non ſumit patenam. Caval. in d. 11. n. 1. Merat. n. 64. Quando autem incipit dicere: *Oremus. Præceptis ſalutaribus*: Diaconus relinquit ejuſdem ſiniſtram, & deſcendit ad ſecundum gradum poſt Celebrantem, & ante Subdiaconum ſtantem in plano, & ibi ſtat uſque ad elevationem Hoſtiæ excluſive, & ad librum accedit Cæremoniarius, in cujus defectu permanebit ipſe Diaconus ad aſſiſtentiam libri, ſi, & quouſque opus erit pro foliis ejuſdem vertendis. Caval. cit. n. 1. Merat. n. 62.

254 Nota hic cum Gavanto in *Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 9. num. 13. litt. g.* quod hac die proprie non eſt Sacrificium, ut infra §. 20. nu. 3. probabimus. Quando ergo in officio ad Altare hujus feriæ, Sacrificium nominatur, vel late ſumitur pro quodam miniſterio ſacro, vel ſignificatur ipſa Hoſtia conſecrata: eo modo, quo Victima Sacrificii ſolet interdum Sacrificium appellari. Ita Suar. *to. 3. in 3. par. diſp. 75. Sect. 4. fine*. Confer dicenda cit. quæſt. 3. num. 266.

§. XVI.

SACERDOS *ſub ſilentio dicto* Amen: *eadem voce, qua dixit:* Pater noſter: *abſolute ſine* Oremus, *in tono orationis Miſſæ ferialis dicit:* Libera nos &c. *Rubr. Miſſ. hic.* 255

Poſtquam Chorus dixit: *Sed libera nos a malo*: Sacerdos ſecreto ſubdit: *Amen*: quo dicto, alta adhuc voce, eadem videlicet, qua dixit: *Pater noſter*: abſolute ſine *Oremus*, & in tono orationis Miſſæ ferialis dicit: *Libera nos* &c. manibus item extenſis; & in fine Chorus alta voce reſpondet *Amen*. Sacerdos hic non ſignat ſe patena ut in Miſſa, nec eam oſculatur. Caval. in cit. d. 11. n. 1. Merat. nu. 64. Tria hæc *Præceptis*: *Pater noſter*: *libera nos*: triduum ſepulturæ Chriſti ſignificare, ait Amalar. *de Eccl. offic. lib. 3. cap. 29. fine*. Honor. *in Gemm. lib. 3. c. 96.* Durand. *in Ration. lib. 6. cap. 77. n. 26.* Alta voce dicitur: *Libera nos*: ut pateat hodie deſcenſus Chriſti in Limbum, ad liberandos Patres. Durand. l. 4. c. 49. n. 3.

§. XVII.

TUM *Celebrans facta reverentia uſque ad terram, ſupponit Patenam Sacramento, quod in dextera accipiens,* 256

ele-

elevat, ut videri poſſit a populo: & ſtatim ſupra Calicem dividit in tres partes, quarum ultimam mittit in Calicem more ſolito, nihil dicens. Pax Domini, *non dicitur*, *nec* Agnus Dei, *neque pacis oſculum datur*. *Poſtmodum prætermiſſis duabus primis orationibus, dicit tantum ſequentem:* Perceptio &c. *Rubr. Miſſ. hic*.

Reſponſo a Choro, ut ſupra *Amen:* genufleſſit Celebrans unico genu uſque ad terram, deinde erectus accipit patenam, & eam ſubmittit Hoſtiæ, & ſtatim ſola dextera inter pollicem, & indicem accipiens Hoſtiam, eam elevat altius ſolito; juxta Cæremon. Epiſcop. lib. 2. c. 26. ita ut ab omnibus videri commode queat, figens ſemper in eam oculos, & cavens ne corporalis limites tunc excedat. Patenam vero non elevat, ſed eam ſuper corporale poſitam, manu ſiniſtra tenet, itaut pollex, & index dictæ manus nitantur patenæ, reliqui digiti ponantur ſuper corporale.

Diaconus, & Subdiaconus ante elevationem hinc, & illinc genufleſtunt in ſuppedaneo, non tamen elevant planetam Celebrantis, nec Hoſtia ab aliquo incenſatur, ſed ſolum cum tabula, ſeu Crotalo, ſeu ligneo inſtrumento, ut infra dicetur, dari poteſt unum, vel alterum ſignum ad admonendum populum. Cæremoniarius vero, quatenus adſit ut ſupra aſſiſtens libro, genufleſtet ſuper ultimum gradum lateralem cornu Evangelii.

Quando Celebrans incipit declinare Hoſtiam; Diaconus, & Subdiaconus ſurgunt, & debitis genuflexionibus præſtitis, unus accedit ad dexteram, alter ad ſiniſtram Celebrantis ad aſſiſtendum libro. Uter autem debeat ſe collocare ad dexteram Celebrantis? Diaconum debere, volunt communiter Auctores, teſte Merato *to. 1. par. 4. tit. 9. 66.* quibus tamen apud eumdem contradicit Nicolaus de Brailon, qui vult, Subdiaconum accedere debere ad dexteram Celebrantis, ad ſiniſtram vero, ſeu ad librum Diaconum, vel alium; nam, inquit, cum Rubricæ hujus diei propriæ nihil novi præſcribant circa hunc ritum, certiſſimum eſt, nihil etiam eſſe innovandum. Addit Cavalerius *tom. 4. c. 16. in decr. 11. num. 4. fine*; quod ſic etiam evitetur eorumdem Miniſtrorum tranſitus ad latus aliud Celebrantis, dum hic, antequam communicet, dicit ut infra Orationem: *Perceptio Corporis tui:* Quapropter Cavalerius inclinat in ſententiam Brailonis; Meratus ipſe licet dicat, ſe non audere a priori aliorum ſententia communi recedere: fatetur tamen, quod Brailonis ſententia ſibi magis arrideat. Nos autem, Auctores alii, qui oppoſitum ſuſtinent, qua moveantur ratione, dum latet, inclinamus omnino in ſententiam Brailonis ſua ipſius ratione firmatam, nec non altera Cavalerii confirmatam.

Celebrans Hoſtiam declinat immediate ſuper Calicem, non autem ſuper Patenam; Vid. Caval. *Comm. in cit. decr. 11. num. 3.* Miniſter ſacer, qui ſtat ad dexteram Celebrantis, diſcooperit Calicem, non genufleſtens, quia in eo adhuc non eſt Sacramentum. Super Calicem Celebrans Hoſtiam ſtatim dividit in tres partes more ſolito, nihil dicens: quarum duas majores collocat ſuper Patenam, tertiam vero partem immittit in Calicem, more quidem ſolito ut in Miſſa, non tamen facit ſignum Crucis, ſed *Celebrans in Paraſceve*

mit-

Digitized by Google

mittat particulam in Calicem ſine aliquo Crucis ſigno. S. R. C. 28. Auguſti 1627. in una Urbis apud Caval. *to.* 4. *c.* 16. *d.* 11. Atque adeo *Pax Domini* non dicitur.

Immiſſa particula Hoſtiæ in Calicem, eum ſtatim cooperit ſacer Miniſter, qui ſtat ad dexteram Celebrantis. Mox Celebrans cum Miniſtris flectit unicum genu, & illico ſurgens, inclinatus, & manibus junctis ſuper Altare poſitis, ſecreto dicit tertiam ex tribus Orationibus ante communionem recitari conſuetis, ſcilicet: *Perceptio Corporis tui;* & interim quatenus Diaconus aſſiſtat a dexteris, & Subdiaconus a ſiniſtris (juxta aliorum ſententiam ſupra dictam:) ſua loca invicem mutant, cum debitis genuflexionibus; ſecus remanent in loco ſuo, ut prius. Omittit autem Celebrans: *Agnus Dei:* pacis oſculum, & duas primas orationes ante Communionem dici conſuetas, ſed tantum, ut ſupra, recitat tertiam; qua recitata, Celebrans devotius ſolito, & reverentius cum ſacris Miniſtris flectit unicum genu, & ſe erigens dicit ſecreto: *Panem cœleſtem:* & accipit Hoſtiam cum patena, ut moris eſt: atque dicit ter more ſolito: *Domine non ſum dignus:* mediocriter inclinatus, & ter ſibi percutiens pectus: ſacris Miniſtris interim ſimiliter inclinatis, & percutientibus ſibi pectus. Quo tertia vice dicto, Celebrans erectus ſignat ſe dextera cum Sacramento dicens more ſolito: *Corpus Domini noſtri* &c. Deinde maxima cum reverentia mediocriter inclinatus cubitis ſuper Altare poſitis, more ſolito Sacramentum ſumit; Miniſtris ſacris interim ſtantibus profunde inclinatis, & manibus junctis. Sumpta Hoſtia, ſe Sacerdos erigit, (& ſimul cum eo ſe quoque erigunt ſacri Miniſtri,) & manibus ante pectus junctis, aliquantulum verſatur in meditatione Sanctiſſimi Sacramenti.

Hodie Hoſtia elevatur altera tantum manu; ita autem fieri, aſſerit Gavant. hic n. 18. litt. m. ad differentiam elevationis, quæ fit in Miſſa; ne hac die de novo conſecrata putetur. Hujuſmodi elevatio Hoſtiæ addita fuit Officio huic a S. Pio V. Ad prædictam elevationem pulſandum non eſſe Crotalum, ſeu inſtrumentum ligneum, contra Clericatum tenent Hipolytus Tonellius *in Enchir. de Cærem. Miſſ. lib.* 3. *c.* 2. §. 1. aliique apud Merat. *tom.* 1. *part.* 4. *tit.* 8. *n.* 4. quibus, ipſe decernit, eſſe potius adhærendum, eo quod etiam ante elevationem jam Sacramentum adſit, in hoc enim officio non conſecratur, & ideo opus non eſſe, ajunt, excitare populum commorantem in actuali adoratione. Sed praxis habet oppoſitum ipſarum etiam Baſilicarum Romanæ Urbis, eodem teſte Merato ſequenti tit. 9. nu. 65. Quæ praxis non videtur reprehendenda, eique conſentit ipſe Meratus eodem cit. tit. 9. nu. 4. fine, ubi diſponit, in hac feria ſexta inter cætera in Presbyterio præparanda præparari *inſtrumentum ligneum, ſeu Crotalum tam pro elevatione Hoſtiæ, ubi ſolet adhiberi: quam* &c. Profecto valet prædicta pulſatio ad excitandos eos, qui forte mente vagentur, ut attendant hujuſmodi ſingulari Cæremoniæ ſacræ, & ad renovandam actualem adorationem Sacramenti, qui ab ea forte remiſerint. Idque conſentit Cavalerius *to.* 4. *c.* 1. *in d.* 1. *n.* 4. & iterum eodem *to.* 4. *cap.* 8. *Comment. in Inſtit. Clementin.* 257

Quan-

Digitized by Google

Quando particula Hoſtiæ in Calicem mittitur, non dicuntur verba illa: *Hæc commixtio, & conſecratio*: quia, ut notat Durand. *in Ration. lib. 6. c. 77. n. 26.* ibi de ſanguine mentio fit, ſed in Calice ſanguis non eſt. *Pax Domini* non dicitur, nec *Agnus Dei*, qui ordinatur ad pacem dandam, ut in tertio patet: *Dona nobis pacem;* neque pacis oſculum datur in ſignum mœſtitiæ. Bened. XIV. *de Miſſ. Sect. 1. cap. 19. §. 3. verſus finem*. Item in odium oſculi Judæ proditoris. Berno Augienſis *lib. de rebus ad Miſſam ſpectantibus* c. 7. prope finem. Amalarius *lib. 1. de officiis Eccleſ. cap. 13.* prope finem. Hugo Victor. *lib. 3. de Special. Miſſ. obſervat. c. 18.*

Ante communionem Celebrans omiſſis prioribus duabus orationibus dici conſuetis, recitat tantummodo tertiam; & primam quidem omittit, quia eſt de pace, ſed pax hodie non datur. Secundam vero, quia mentionem facit de ſanguine, ſed ſanguinem hodie Celebrans non ſumit, ſub ſpeciebus videlicet vini, ut in Miſſa: hinc ſolam tertiam recitat, in qua ſolum de Corpore Chriſti agitur. Cur autem communicet ſub ſpeciebus tantummodo panis? explicabitur infra §. ſequenti.

§. XVIII.

258 DEINDE *omiſſis omnibus, quæ dici ſolent ante ſumptionem ſanguinis, immediate particulam Hoſtiæ cum vino reverenter ſumit de Calice. Et more ſolito facta ablutione digitorum, & ſumpta purificatione, in medio Altaris, inclinatus, manibus junctis dicit:* Quod ore &c. *Non dicitur:* Corpus tuum Domine: *nec* Poſtcommunio, *nec* Placeat tibi: *nec datur benedictio: ſed facta reverentia Altari, Sacerdos cum Miniſtris diſcedit, & dicuntur Veſperæ*. Rubr. Miſſ. hic.

Poſtquam autem Celebrans communicavit, quievitque aliquantiſper in meditatione SS. Sacramenti: mox Subdiaconus, qui ſtat ad dexteram Celebrantis, Calicem detegit. Merat. n. 69., & facta ab eodem, nec non Celebrante, ac Diacono genuflexione ob particulam Hoſtiæ conſecratæ in Calice exiſtentem, Celebrans fragmenta de more colligit, extergit patenam ſuper Calicem, & deinde omiſſis omnibus, quæ dici ſolent ante ſumptionem ſanguinis, patenam ſupponens mento, ex calice ſumit reverenter cum vino, & aqua intus exiſtente particulam Hoſtiæ conſecratæ, nec ſe ſignat cum Calice, ut in ſequenti Decreto: *Celebrans in Paraſceve mittat particulam in Calicem ſine aliquo Crucis ſigno; neque ſe ſignet Calice*. S. R. C. 28. Auguſti 1627. in una *Urbis* apud Caval. to. 4. c. 16. d. 11. nec aliquid dicat; non enim hodie Celebrans ſumit ſanguinem, ut præcedenter ad ſumptionem debeat dicere: *Sanguis Domini noſtri:* ad quæ verba Sacerdos cum Calice ſe ſignare ſolet in Miſſa. Interim Diaconus, & Subdiaconus ſtant profunde inclinati. Merat. nu. 700. fine.

Acolythus defert ampullas aquæ, & vini, eaſque de more conſignat Subdiacono, qui in Calicem infundit vinum, & aquam ſuper Celebrantis digitos, qui depoſito Calice, & extersis de more digitis, ſumit ablutionem in medio Altaris. Deinde inclinatus, & manibus ante pectus junctis, non ſuper Altare poſitis, dicit: *Quod ore:* accommodante in-

terim Calicem Subdiacono cum velo nigro, qui, vel potius Cæremoniarius, præmiſſa genuflexione Cruci Altaris, eumdem defert ad Credentiam. Abſoluta oratione: *Quod ore:* Celebrans nihil aliud dicit, ſed Diaconus illico claudit librum; tunc extinguuntur Cerei proceſſionis: Altaris vero relinquuntur accenſi pro Veſperis, in eo numero, quem infra dicemus §. 19. Miſſale una cum cuſſino, vel diſco per aliquem Acolythum portatur ad Credentiam, ad quam vadit etiam ipſe Diaconus, ibique depoſita Stola latiori, reſumit planetam plicatam, & redit ad Altare ad dexteram Celebrantis, ad cujus ſiniſtram ſe transfert Subdiaconus. His expletis, Celebrans, & ſacri Miniſtri deſcendunt in planum, ubi facta genuflexione Cruci, birretum accipiunt, & redeunt in Sacriſtiam ordine, quo venerunt ad Altare. Clerus autem perget in Chorum ad dicendas Veſperas, de quibus §. ſequenti.

259 Quæres hic: quorſum hæc ſacra functio Eccleſiæ, quidve ipſa per eam intendat?

℟. Ideo Eccleſia prædictum celebrat Officium, quia vult hodie ſatis congruenter, & Spiritu Sancto ipſam dirigente, repræſentare Paſſionem Domini, tantum pro ut realiter geſta eſt: Chriſti videlicet Sacrificium cruentum. Hinc omittit Sacrificium Miſſæ, in quo celebratur myſtice Paſſio Domini; recole dicta ſubſ. 3. qu. 1. nu. 205. Profecto hodiernum Officium ad Altare Paſſionis Dominicæ myſteriis, per ſe patet, eſſe refertum.

Ratio cur in prædicto Officio ad Altare Hoſtia pridie conſecrata, a Sacerdote illud peragente, ſumatur, aſſignatur a Divo Thoma 3. *part. qu.* 83. *art.* 2. *ad* 2. ubi docet: in Paraſceve ſumi Corpus Chriſti pridie conſecratum a Sacerdote, ne careat Eccleſia tali die fructu Paſſionis Chriſti. Quomodo autem Eccleſia percipiat ex hujuſmodi ſacra actione fructum Dominicæ Paſſionis, varie explicant Doctores: ut videbimus inf. §. 20. qu. 3.

Celebrans hodie communicat ſub ſola ſpecie panis pridie conſecrati, non item ſub ſpecie vini; ratio eſt, quia Sacramentum ſub ſpecie vini non fuit reſervatum, ob eam rationem, quam heri aſſignavimus n. 141. fine. Nihilominus etiam hodie imponitur vinum in Calicem, & parum aquæ, ut in Miſſa; & item ut in Miſſa Celebrans mittit in Calicem particulam Hoſtiæ conſecratæ, illamque una cum vino prædicto ſumit. Hujuſmodi cæremoniam hodiernam, & ritum eſſe ſingularem, atque admodum gravem, ſignificatum eſt ex Doctoribus feria præcedenti, ſubſ. 6. n. 170. verſu *quarta denique ſententia:* eſſe autem antiquiſſimum, notabimus §. 20. qu. 3. num. 266. Ejuſdem vero rationem myſticam aſſignat Georgius Caſſander in ſua *Liturgia* cap. 31. ubi inquit: id fieri, ad repræſentandam etiam hodie, eo meliori modo, quo poteſt, divinam Communionem a Chriſto inſtitutam per modum convivii: *Nimirum quia Communio ſacri convivii rationem habet, ex cibo, & potu debet conſtare. At quoniam altera Euchariſtiæ ſpecies in craſtinum reſervanda haud videbatur; nec iſto biduo Sacramenta celebrari, mos ſinebat; inde factum eſt, ut ex puro vino aqua mixto, ſed tamen particula Euchariſtiæ ſanctificato, altera convivii pars, videlicet*

licet potus ſuppleretur. Ita laudatus Scriptor.

Non dicitur : *Corpus tuum Domine* &c. quia ſanguis commemorandus eſſet, quem non potavit Sacerdos. Porro licet veriſſimum ſit, ſanctificari vinum ex contactu particulæ hoſtiæ conſecratæ in ipſum immerſæ : turpiter tamen errarunt, qui putarunt, etiam ideo, vel per Orationem Dominicam : *Pater noſter* : vere conſecrari, & tranſubſtantiari in Sanguinem Chriſti. Vid. Bened. XIV. *de feſtis lib. 1. c. a num.* 143. Jo: Beleth *de Div. Offic. cap. 99. &* Durand. *in Ration. lib. 6. c. 75. nu. 11. & 12.*

Non legitur *Poſtcommunio*, quia præter Celebrantem nemo alius communicat, ut videbimus loco ſuo. Non dicitur : *Placeat tibi* : ut expreſſe diſponit Rubrica Miſſalis Romani : etſi forte olim ita non habuerit : nam apud Henriqu. cap. 8. §. 5. ponitur, in fine hujus Officii recitari : *Placeat tibi hoc Sacrificium*. Minime itaque dicitur : *Placeat tibi* : non quidem ſimpliciter ex eo, quia *Sacrificium* in ea prece nominetur, quod non factum eſt ; nam etiam in *Orate fratres* : mentio fit Sacrificii ſicut & in illa prece : *In ſpiritu humilitatis :* & nihilominus ſunt in hoc Officio recitata : ut conſtat ex dictis. Tacetur itaque præfata oratio : *Placeat :* fortaſſe quia, ut nonnulli putant, in ea expreſſe diceret Sacerdos ſe *obtuliſſe* Sacrificium : quo ſignificari videretur verum Sacrificium proprie dictum : quod tamen non eſt oblatum : ut videbimus §. 20. qu. 3. nu. 266. Et ideo fortaſſe etiam ad *Orate fratres :* non reſpondetur : *Suſcipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis* &c. ut ſupra monuimus. Eſt autem verum in Sacramento Corporis Chriſti eſſe Sacrificium Sacerdotis, & Populi, ſeu Victima Sacrificii : unde recte ſimpliciter Sacrificii mentio facta eſt in *Orate fratres* : & prece : *In Spiritu humilitatis :* ut ſuperius notavimus cum Suarez, & aliis nu. 254. & confer item dicenda num. 266.

Benedictio in fine hodierni Officii ad Altare non datur ; ſed poſt Communionem Celebrantis, dicto : *quod ore :* & facta genuflexione Cruci Altaris, Sacerdos cum Miniſtris diſcedit. Luctum quidem hæc præſeferunt. Porro benedictio non datur, quia Auctor benedictionis abſceſſit. Item videtur neſcio quid lugubre præſeferre, quod non publica denuntietur dimiſſio, ſed unuſquiſque per ſe diſcedat : ut in ſimili diximus ex Cardinali Bellarmino hoc lib. 4. par. 1. c. 4. nu. 6. ſicut ob eamdem rationem in Miſſis Defunctorum omitti, docent Gavantus in *Rubr. Miſſ. part. 2. tit. 12. nu. 4. &* Quarti *de Benedict. tit. 2. Sect. 13. dub. 1.*

§. XIX.

DICUNTUR *Veſperæ ſine cantu*, *& denudatur Altare*. Rubr. Miſſ. hic.

Abſoluto Officio Paraſceves ad Altare, Clerus ſurgens ut ſupra, pergit in Chorum, ad dicendas Veſperas, quæ dum dicuntur, duæ tantum candelæ ardent in Altari, juxta Victorium Novellarienſem ; ſex vero ſecundum Meratum *to. 1. par. 4. tit. 9. num. 72.* Veſperæ dicuntur ſine cantu ut heri ; & quatenus exiguus ſit Clericorum numerus, intervenire eiſdem etiam poterit Celebrans ipſe cum Miniſtris, depoſitis 260

Paramentis. Caval. *tom.* 4. *cap.* 16. *comment. in decr.* 11. *n.* 8. *fine*. Completis Veſperis, dandum eſt ſignum cum tabula, ſeu Crotalo pro Salutatione Angelica, ad quam genuflectunt omnes; & perſoluta conſueta oratione, ſurgunt, & unico genu facta Cruci Altaris genuflexione, recedunt. Caval. *in cit. d.* 11. *fine*. Merat. n. 75.

261 Dum in Choro dicuntur Veſperæ, per Acolythos denudatur Altare, & Credentia: & omnia aſportantur in Sacriſtiam, & poſt Veſperas extinguuntur Candelæ.

Eodem item tempore per aliquem Sacerdotem ad priorem locum adorationis Crucis, vel alium reportabitur Crux, ad ſatisfaciendum votis populi, qui ad ejuſdem adorationem prius accedere non valuit ob inſtantem Proceſſionem; ut ſupra monuimus n. 238. Supponetur prædictæ etiam Cruci cuſſinus, cum reliquis aliis ut in prima adoratione; cum Gavanto Caval. l. cit. n. 9. Habet autem & ritus iſte myſterium, ait Durandus, quia in fine Mundi Hebræa Gens ſalutem conſequetur, & Crucem adorabit.

§. XX.

Solvuntur variæ Quæſtiones ad Paraſceves Officium pertinentes.

262 Qu. I. Utrum Sacerdos hodie peragens Officium Paraſceves ad Altare poſſit dici communicare jejunus, cum ſumat particulam Hoſtiæ conſecratæ immixtam vino non conſecrato?

℞. Affirmative; quia aliud eſt ſumere prius; aliud ſumere ſimul: quamvis poſt ſumptionem non reputetur amplius jejunus. Videatur Cardinalis de-Lugo *de Euchar. lib. 6. part.* 1. *quæſt.* 108. §. 14. *num.* 573.

Sed etiam in hoc caſu ſi prædicta particula conſecrata, ſumpto vino, adhæreret Calici; poſſet Celebrans, vel digito eam admovendo ad labium Calicis, vel certe melius, infuſo denuo vino, eam ſumere; ita Cardinalis De-Lugo l. cit. num. 85. Primo propter reverentiam debitam: non poſſet enim illa particula, jam madefacta, ibi conſervari decenter uſque ad diem ſequentem, ut ſumatur in Miſſa. Secundo, & maxime, quia debet conſumare prædictum Officium Paraſceves: in quo proculdubio non ſine magno myſterio fit hujuſcemodi cæremonia infuſionis particulæ conſecratæ in vinum non conſecratum, & ſumptionis utriuſque; immo juxta plurium Doctorum ſententiam, hæc videtur primaria cæremonia officii in Paraſceve, atque adeo eſſentialis; vide dicta præcedenti feria V. in Cœna Domini Subſect. 6. n. 170. verſu: *Quarta denique ſententia*: & dicta hic §. 18. nu. 259. verſu: *Nihilominus etiam hodie*.

Qu. II. An habens duas Parochias poſſit peragere officium Paraſceves ad Altare in utraque Parochia, ſi ipſe unus ſit Sacerdos? 263

℞. Huic quæſtioni ſatisfecimus præcedenti feria V. n. 170.

Qu. III. An Officium Paraſceves ad Altare ſit Sacrificium? 264

℞. Aliqui apud Henriquez *c.* 8. §. 5. & apud Franciſcum de Lugo *lib.* 5. *de Miſſ. cap.* 2. *qu.* 1. *n.* 22. putant, ſolam ſumptionem rei (quam præceſſit conſecratio, & oblatio etiam per alium facta) eſſe totam eſſentiam Sacrificii, dum fit a Sacerdote ex officio: & per eam tantum, di-

dicunt, aliis conferri fructum Sacrificii ex opere operato, pro quibus Sacerdos ſpecialiter obtulit. Argumenta, quæ poſſent facere pro hujuſmodi opinione, exponit & ſolvit laudatus de-Lugo loc. cit. Quod ad nos attinet, eſt, notare: Opinionis prædictæ fautores aſſerere in confirmationem illius; in feria ſexta majoris hebdomadæ Sacrificium celebrari per ſolam conſumptionem Hoſtiæ factam a Sacerdote; antiqua, dicunt, diſpenſante Eccleſiæ conſuetudine: abſque nova conſecratione materiæ, & oblatione, & cum altera tantum ſpecie.

265 Hujuſmodi autem officium ad Altare eſſe verum Sacrificium, probant I. quia in hoc officio ſæpe fit mentio Sacrificii, ſeu Sacrificium appellatur a Sacerdote illud peragente; dicit enim Deo: *Sic fiat Sacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie* &c. & ſtatim ad populum: *Orate Fratres, ut meum, ac veſtrum Sacrificium* &c. itemque ſicut in fine ſolitæ Miſſæ dicit hodie Celebrans: *Placeat tibi Sancta Trinitas obſequium ſervitutis meæ, & præſta, ut Sacrificium, quod oculis tuæ majeſtatis indignus obtuli* &c.

Probant 2. quia, ſi in fer. VI. hebdomadæ ſanctæ incidat feſtum Annunciationis, impletur quidem præceptum audiendi Miſſam per aſſiſtentiam præſtatam Officio hujuſmodi. Ergo &c.

Probant 3. Atque deducunt ex Divo Thoma, *qui 3. par. qu.* 83. *art.* 2. *ad* 2. *dicit*, in Paraſceve ſumi Corpus Chriſti pridie conſecratum a Sacerdote, ne careat Eccleſia tali die fructu Paſſionis Chriſti. Sed certe nonniſi per Sacrificium dicitur Eccleſia participare fructum Dominicæ Paſſionis.

Sed contra eſt, & omnino dicendum: hujuſmodi officium Paraſceves, Sacrificium, Miſſamque non eſſe. Ita communiſſime Doctores; unde merito Cardinalis de-Lugo *de Euchar. diſp.* 19. *Sect.* 3. *nu.* 54. *fine*, allegata auctoritate antiquiſſimorum etiam Auctorum, nec non Concilii Toletani XVI. can. 8. ubi dicitur: *Feria ſexta in Paraſceve nullum omnino Sacerdotem poſſe Miſſam celebrare:* merito, inquam, ait, ſe non videre, quo fundamento dixerit Magiſter Norius: ſenſum omnium fidelium eſſe, hac die celebrari Miſſam; neque ullum de hoc dubitare. Omiſſis autem pluribus rationibus, quæ videri poſſunt apud Franciſcum de-Lugo *lib.* 5. *de Miſſa*, *c.* 2. *q.* 1. *a n.* 12. *ad* 20. *& qu.* 2. *nu.* 37. *& qu.* 3. quibus evincitur: ſolam conſumptionem Hoſtiæ conſecratæ etiam factam a Sacerdote ex officio, non eſſe veram Miſſam, & Sacrificium: hic patet, officium Paraſceves ad Altare non eſſe veram Miſſam, ex Innocentio I. qui, ut vidimus cit. nu. 205. declaravit: iſto biduo, ſcilicet feria ſexta, & Sabbato majoris hebdomadæ traditionem Eccleſiæ habere, Sacramenta penitus non celebrari. Quod falſum eſſet, ſi prædictum officium vera Miſſa, & Sacrificium foret; ita Henriquez l. cit. in gloſ. marg. Et licet in Sabbato celebretur nunc mane Miſſa; illa tamen antiquitus celebrabatur in nocte, tranſacto die uſuali. At vero officium Paraſceves adhuc antiquitus habebatur mane; & illius meminit Innocentius I. qui vixit Auguſtini tempore, ut notat Platell. *part.* 5. *de Sacr. c.* 4. *§.* 5. *nu.* 448. *fine*, cœpit autem laudatus Pontifex ſedere anno quadringenteſimo 265

ſimo

ſimo ſecundo: ut habet Baronius ad An. Chriſti 402.

Ad argumenta vero, quæ adducuntur ab adverſariis, reſpondetur; & ad primum: nunc non verificari: in fine officii ad Altare in Paraſceve Sacerdotem recitare orationem: *Placeat tibi Sancta Trinitas*, ut nu. 259. notavimus ex ipſa expreſſa Miſſalis Romani Rubrica. Sed etiamſi præfata recitaretur oratio, Sacrificii mentio, quæ fit in ea, non obſtaret, quemadmodum nec obſtat in aliis productis, item orationibus, in quibus quidem mentio fit Sacrificii, & Sacrificium vocatur prædictum officium; at minus proprie dicitur Sacrificium, uti Gavantus obſervat in *Rubr. Miſſ. part.* 4. *tit.* 9. *num.* 13. *litt. g.* ſed vel late ſumitur pro quocumque miniſterio ſacro: vel ſignificatur ipſa Hoſtia conſecrata; eo modo, quo Victima Sacrificii ſolet interdum Sacrificium appellari: ut ex Suarez, & aliis notavimus §. 15. n. 254. Et hic confirmo ex vulgato Alcuino, *de divin. Offic. tit.* 12. *de Cœna Domini*, & ex Amalario *lib.* 1. *de Eccl. Offic. cap.* 12. quibus locis veteres hi Scriptores de rebus Eccleſiaſticis ſic loquuntur: ..... *In Paraſceve non conficitur Corpus Domini, neceſſe eſt, ut hi, quibus eſt voluntas communicandi, habeant Sacrificium ex priori die* &c. De hoc laudatorum Scriptorum teſtimonio redibit firmo ſubſ. ſequ. ubi de Communione laica in Paraſceve; interim notamus hic: in allegato teſtimonio Sacrificii nomine venire utique particulas, ſeu Hoſtias conſecratas reſervatas ex Miſſa præcedentis diei Cœnæ Domini. Sæpius etiam Sacrificii nomen ſumitur pro quocumque miniſterio ſacro, vel re grata Deo, & quæ in ejus laudem dirigatur: Sacerdos in Veſperis ſolemnibus, dum thurificatur Altare, adhuc appellat illam ſacram functionem Sacrificium, dicitque: *Elevatio manuum mearum Sacrificium Veſpertinum*. Similiter in Laudibus Dominicæ primæ in Quadrageſima, Antiphona quarta ſic habet: *In ſpiritu humilitatis, & in animo contrito, ſuſcipiamur Domine a te; & ſic fiat Sacrificium noſtrum, ut a te ſuſcipiatur hodie, & placeat tibi Deus*. Ergo non quotieſcumque aliqua ſacra functio, etiam ad Altare peracta a Sacerdote, vocetur Sacrificium, verum Sacrificium erit; ſed aliquando hujuſmodi voce minus proprie utitur Eccleſia pro quocumque miniſterio ſacro.

Ad ſecundum reſpondeo 1. Illud negant omnino communiter Doctores, uti notavimus tr. 1. 25. Martii n. 42. & adeſt Decretum S. C. R. ibidem relatum, quo declaratum eſt, nullam eſſe obligationem audiendi officium Paraſceves ad Altare, etiamſi hæc feria occurrat die 25. Martii, cui per ſe aſſignata eſt feſtivitas Annunciationis B. M. V. Reſpondeo 2. Illud idem argumentum ſecundum nunc eſſe etiam de falſo ſuppoſito. Enimvero occurrente Annunciationis feſto in Paraſceve, illud transfertur in feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis una cum præcepto audiendi Miſſam, & abſtinendi a ſervilibus: quemadmodum notavimus 25. Martii n. 36.

Ad tertium argumentum deductum ex auctoritate Divi Thomæ, reſpondebimus qu. ſeq. Denique ad illud, quod initio docebatur ab Auctoribus contrariæ opinionis, hoc eſt in feria VI. in Paraſceve celebrari Sacrificium per ſo-

ſolam conſumptionem hoſtiæ: idque ex conſuetudine Eccleſiæ, ſeu ſpeciali diſpenſatione Chriſti; reſpondetur ex eodem Lugo, & aliis: talem diſpenſationem non apparere, nec eſſe neceſſariam; immo valde congruenter in Paraſceve Eccleſia non celebrat Miſſam ullam proprie dictam, ut notavimus ſubſ. 3. n. 205. ex variis Auctoribus. Turpius autem erraſſe eos, qui putarunt in hodierno officio, Vinum in Calice conſecrari, ſeu in Chriſti ſanguinem tranſubſtantiari per immixtionem, & contactum hoſtiæ conſecratæ: vel per orationem Dominicam *Pater noſter*: animadvertimus hic §. 18. n. 259. Concludendum igitur; Officium hujus feriæ ad in tantum non eſſe vere Sacrificium, & Miſſam, ut veteres proprio illam nomine diſtinxerint vocando *Miſſam Præſanctificatorum*. Confer dicta hoc l. 4. par. 1. c. 4. n. 21. & hic n. 205.

267 Qu. IV. An prædictum officium ſit ſaltem pars, & complementum Sacrificii præcedentis.

℞. Affirmant Cardinalis de-Lugo *de Euchar. diſp.* 15. *ſect.* 4. *n.* 85. *&* 86. *& diſp.* 19. *ſect.* 5. *a n.* 68. aliique nonnulli apud Franciſcum de-Lugo *lib.* 5. *de Miſſa c.* 2. *qu.* 5. *n.* 62. Colligunt ex D. Thoma 3. *par. qu.* 83. *art.* 2. *ad* 2. docente: hac die, ſeu feria VI. in Paraſceve non conſecrari quidem Sacramentum: ne tamen Eccleſia maneat ſine fructu Dominicæ Paſſionis, ſumi Corpus Chriſti præcedenti die conſecratum: idcirco hodie compleri dicunt Sacrificium inchoatum die præcedenti, & participari fructum ipſius.

Hanc ſententiam ſequutus quidem fuerat Franciſcus de-Lugo *lib.* 4. *de Miſſa c.* 11. *qu.* 5. *n.* 42. Deinde tamen ſui, ut videtur, oblitus, *lib.* 5. loco ſupra cit. cenſet: Sacrificium diei præcedentis omnino fuiſſe completum per ſumptionem utriuſque ſpeciei tunc adhibitam, nec amplius compleri poſſe; nam, inquit, una conſecratio nonniſi per unam ſumptionem compleri debet in ratione Sacrificii. Et probabilius reputat, Sacrificium una die inchoatum non poſſe compleri die ſequenti, quia non continuatur moraliter. Quapropter concludit, officium Paraſceves nec eſſe Sacrificium, nec complementum Sacrificii. Nihilominus habet, ait, majorem quamdam vim ad impetrandam, qualem Eccleſia conferre poteſt precibus ſuo nomine factis: præſertim quando recolitur memoria Dominicæ Paſſionis; & de hoc fructu intelligendum eſt Sanctus Thomas; ita laudatus de Lugo. Accedit La-Croix *lib.* 6. *par.* 2. *q.* 2. *§.* 2. *n.* 13. in reſponſ. *ad obj.* 2. *fine*. Et pro hac ſententia facit etiam quod habet idem La-Croix eodem *lib.* 6. *par.* 2. *qu.* 79. *nu.* 549. ubi refert Paſqualigum docentem: ad hoc ut, deficiente Celebrante poſt conſecrationem ante ſumptionem, Miſſa compleri poſſit per alium Sacerdotem, non longum tempus interceſſiſſe debere, ſed requiri unum tempus morale; alioquin unum Sacrificium non eſſe cenſendum. Unde eodem referente La-Croix, quia Sa V. *Miſſa* n. 38. docuerat: etiam ſequenti die eſſe ab alio peragendum, ubi prior deſierat, & ſic complendum Sacrificium; hoc correxit Magiſter Sacri Palatii, recte volens, ſequenti die ſumi in alia Miſſa, quod ſupereſſet: quia peracta eſt actio tota heſternæ Miſſæ, nec cenſeretur eſſe idem Sacrificium; ita laudatus Auctor. Poſterio-

riorem hanc ſententiam negativam judico veriorem, eique ſubſcribo, quod multo magis dicendum, ait La Croix, ſi *ſit alius qui hodie ſumat*: quamobrem

268 Qu. V. An Officium ad Altare in Paraſceve peragere omnino debeat ille idem, qui hæri celebravit Miſſam ſolemnem?

℞. Quoniam ex dictis qu. præc. Actio hodierna in probabiliori ſententia dici nequit complementum Sacrificii heſterna die peracti; ideo nulla ratio exigit eam hodie fieri per illummet, qui heri celebravit. Unde per ſe loquendo officium ad Altare in Paraſceve peragi poteſt per Sacerdotem diverſum ab eo, qui heri ſolemniter celebravit; cum aliunde nullum adſit jus in contrarium.

269 Dixi: *per ſe loquendo*: quia in praxi fieri id facile non debet: ſed ex gravi cauſa, & in caſu non mediocris, & vere urgentis neceſſitatis: qui certe reſpectus debetur, ſi non intrinſecæ rationi alicui, ſaltem praxi univerſali & conſtanti; ex qua idem eſt celebrans in heſterno Sacrificio, & agens in hodierno officio. Non tamen notare omittam, quod ipſemet vidi: in Eccleſia Parochiali, & Collegiata Sanctorum Fauſtini, & Jovitæ M. M. quæ eſt Viterbii in Pontificia Ditione, hodiernum Officium fere quotannis peragere conſuevit Sacerdos alter ab illo, qui Miſſam ſolemnem in præcedenti feria celebravit.

270 Qu. VI. Cum Tridentinum *ſeſſ.* 13. *c.* 7. *de præparat. ad commun.* ſub gravi præcipiat, quamprimum confiteri Sacerdotem, qui neceſſitate urgente celebravit cum conſcientia peccati mortalis, quantumvis contritus ſibi viſus fuerit: quæres: an hujuſmodi præcepto teneatur, qui feria VI. in Paraſceve celebrans Officium hodiernum ad Altare, communicavit ſine confeſſione peccati lethalis, ſola contritione præmiſſa?

Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia ex una parte tamquam probabilius tenent communiter Doctores, hujuſmodi præceptum Tridentini non afficere laice communicantes; (Vid. Suar. *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 66. *ſect.* 7. Azor. *Inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 10. *c.* 31. *qu.* 9. Card. De Lugo *de Euchar. diſp.* 14. *ſect.* 7. *nu.* 138. La-Croix *lib.* 6. *part.* 1. *qu.* 106. §. 2. *num.* 534.) unde nec Sacerdos, qui hodie non ſacrificat, ſed ſimpliciter communicat, videtur tali præcepto comprehendi. Ex alia parte Actio Sacerdotis ipſius hodierna videtur habere aliquid peculiare, ut non poſſit appellari ſimpliciter communio laica: quæritur ergo merito: utrum teneatur præcepto illo, nec ne?

℞. Teneri docent Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 66. *ſect.* 7. circa medium. Filliuc. *to.* 1. *tr.* 4. *c.* 8. *num.* 223. Diana *edit. coord. to.* 1. *tr.* 3. *R.* 175. §. 2. Franciſcus de Lugo *de Sacr. lib.* 4. *de Euchar. c.* 6. *qu.* 8. *n.* 67. & *c.* 11. *qu.* 5. *n.* 42. aliique multi, quia, dicunt, licet in prædicto hodierno officio ad Altare Sacerdos proprie non celebret Miſſam, ſecundum dicta qu. 3. attamen tamquam Miniſter publicus Eccleſiæ ſolemni ritu peragit ſacram illam actionem, & quidem propriam ſolius Sacerdotis, qui tanquam Miniſter publicus Eccleſiæ conſumit in prædicta actione Sacramentum, adeoque non communicat communione laica, ſed Sacerdotali, ſimpliciterque celebrare dicitur in rubricis Miſſalis. Huic ſententiæ non quidem tamquam

omni-

omnino certæ, attamen ut veriori adhæret Cardinalis de Lugo *de Euchar. diſp.* 14. *ſect.* 7. *n.* 139. Dicaſtillus etiam eidem doctrinæ ſolum ut probabili, aut ad ſummum probabiliori aſſentitur *to.* 1. *de Sacram. tr.* 5. *diſp.* 9. *dub.* 9. *n.* 157. Dicaſtillo adhæret La-Croix *lib.* 6. *part.* 1. *de Euchar. qu.* 106. §. 7. *n.* 539.

271 Qu. VII. An Pontificia Sede vacante, Eminentiſſimi Cardinales in feria ſexta Paraſceves poſſint devenire ad ſcrutinium, non audito Officio fieri ſolito in hac die: non obſtante §. Conſt. 13. Gregorii XV. *de elect. Sum. Pontif.* incip. *Æterni Patris* an. Dom. 1621. in qua §. 17. ſic habetur: *Similiter, ne electio protrahatur, ſtatuimus, & ordinamus, ut ſub ſimili excommunicationis pœna eo ipſo incurrenda, ſcrutinium bis ſingulis diebus peragatur, ita ut etiam perficiatur mane, ſcilicet poſt ſolitam Miſſam &c.*

℞. Hanc quæſtionem proponit Diana *edit. coord. tom.* 9. *tr.* 7. *R.* 111. eique reſpondet §. 5. dicens: Dominos Cardinales in rigore, ac ſecluſo ſcandalo, & contemptu, poſſe ad ſcrutinium devenire in Feria Paraſceves, non audiendo officium in ea fieri ſolitum, quia prædicta verba §. *Similiter* non poſſunt verificari pro hac die, cum non dicatur ſolita Miſſa. Miſſa enim non celebratur, & officium ad Altare non eſt Miſſa. Subdit tamen Diana, ſe de hac quæſtione interrogatum, etſi reſponderit ut ſupra, nihilominus conſilium dediſſe Dominis Cardinalibus, eos debere, prius officium hujus diei audire, & poſtea ſcrutinium incipere, eo quod contraria ſententia Auctorum nonnullorum, qui putarunt, officium Paraſceves eſſe veram Miſſam, & Sacrificium, ſuam habeat, inquit, probabilitatem.

Verum cum conſtet officium Paraſceves non eſſe veram Miſſam, & Sacrificium; & declaraverit S. C. nullam eſſe obligationem adſiſtendi officio Paraſceves in caſu quo occurreret feſtum Annunciationis, idque antequam fieret aliud decretum mandans prædictum feſtum transferri in Choro & foro ad fer. 2. poſt Dom. in Albis: idem eſt dicendum de qualibet alia obligatione ſimiliter occurrente hac die. V. in Martio die 25. nu. 42. Adde quod ſcopus Conſtitutionis Gregorianæ eſt, *ne protrahatur Electio*, & quod additur de Miſſa audienda, eſt ad deſignandam horam conſuetam ſcrutiniorum, & non ad imponendam obligationem.

SUBSECTIO VI.

De Communione Laica. An liceat Communicare Laice Feria VI. Paraſceves? & quædam notanda pro Commun. ad Viaticum.

QUIDQUID in jure Canonico veteri venerit nomine Communionis laicæ: quod inquirit Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 73. *art.* 4. §. *Eſt autem hoc loco;* qui videri poteſt, nec non Meratus *to.* 1. *par.* 2. *tit.* 10. *n.* 35. Nos Communionem laicam hic intelligimus Communionem, quæ fit a non Celebrante Miſſam, vel a non conſumente tamquam publico Eccleſiæ Miniſtro Sacramentum Euchariſtiæ, ut in officio ad Altare in Paraſceve: recole dicta ſubſ. præced. §. 20. qu. 6. In hoc ſenſu ergo quæritur: an feria ſexta in Paraſceve liceat laice communicare? 272

Dubium autem eſt primo de noſtra ætate, quia, etſi vulgatus Al-

cuinus loco ſtatim allegando tradiderit : Romanos minime conſueviſſe Paraſceve communicare ; & Albaſp. apud Gavant. *in rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 9. *nu.* 25. negaverit, in jejunio rigoroſo, & in mœrore maximo ut certe eſt fer. VI. Paraſceves ; priſcis Euchariſtiam diſtributam fuiſſe temporibus ; nihilominus apparet, olim fideles communicaſſe in hac feria, ipſomet teſte Scriptore libri de divin. Offic. ſub nomine Alcuini *tit. de Cœna Domini*, ubi hæc tradit : *De eodem vero die* (Cœnæ Domini) *legitur in Ordinibus, quod reſervandum ſit de Corpore Domini ad communicandum in craſtinum*. Auguſtinus ad Januarium : *ſunt qui quotidie Euchariſtiam volunt ſumere ; & quia in Paraſceve non conficitur Corpus Domini, neceſſe eſt, ut hi, quibus eſt voluntas communicandi habeant Sacrificium* (ideſt hoſtias conſecratas ; vide dicta ſubſ. præced. §. 20. qu. 3. nu. 266.) *ex priori die ; quod tamen Romani non faciunt*. Hæc Auctor laudati libri de divin. offic. qui etſi Alcuini non ſit ex communi ſententiam Eruditorum : nihilominus ab iiſdem aſſeritur ſcriptus ſæculo undecimo ; teſte Bened. XIV. de feſtis Domini c. 4. §. 4. Eadem habet Amalarius, qui florebat anno ab Incarnatione Domini octongenteſimo trigeſimo primo, ut conſtat ex ejus libro de ordine Antiphonarii cap. 58. Profecto laudatus Scriptor *lib.* 1. *de eccl. offic. cap.* 12. hæc ſcribit : *Panis cœleſtis, ideſt Corpus Domini reſervatur a feria quinta uſque in Paraſcevem. Secundum Auguſtinum ad Januarium : ſunt qui quotidie volunt Euchariſtiam ſumere . . . In Paraſceve non conficitur Corpus Domini. Neceſſe eſt, ut hi, quibus eſt voluntas communicandi, habeant Sacrificium ex priori die*. Hæc tradit Amalarius, quæ ſcripſit poſt annum Domini 820.

Item Durandus in *Ration. div. offic. lib.* 6. *c.* 75. *nu.* 9. tradit Innocentium I. qui ſedit anno quadringenteſimo ſecundo ſtatuiſſe, in die Cœnæ Domini Sacramentum ſervari adhuc pro Religioſis, ut ſcilicet communicare poſſent in feria ſexta Paraſceves, in qua non conſecratur Hoſtia, quia non fit Sacrificium. Idem teſtatur Joannes Beleth *de div. offic. c.* 99. Religioſorum nomine, prædicto loco putat Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 80. *ſect.* 2. *prope fin.* §. *ſecundus dies :* venire non ſolum Religioſos ſtatu, ſed etiam ſolo actu, ſeu virtutibus chriſtianis, & pietate ; ita ut quibuſcumque Chriſtifidelibus rite diſpoſitis diſtributa olim fuerit in Paraſceve Communio ſacra.

Rurſus in Ordine Romano antiquiſſimo, in Cœna Domini præſcribitur, ut particulæ conſecratæ ſerventur pro ſequenti feria ſexta, ut populus communicet. Et deinde in ipſo officio Paraſceves, in fine illius dicitur : *Et communicent omnes cum ſilentio*. Quæ tamen Communio non fiebat in ea Eccleſia, in qua Pontifex peragebat functionem adorationis ſolemnis ſanctæ Crucis : teſte laudato Amalario *de Eccl. Offic. lib.* 1. *c.* 15. ubi etiam approbat, communionem in Paraſceve non miniſtrari ob rationem, quam explicabimus §. 5. qu. 4. Denique Gregorius Magnus, qui ſedit anno quingenteſimo nonageſimo, libro Sacramentorum, ubi agitur de fer. ſexta Paraſceves, dicit : *Communicet Sacerdos, & omnis plebs*, ut Pamelius refert in Liturgiis latinis, & ex eo Suar. l. cit. Alia quoque exempla videri poſſunt

apud

Digitized by Google

apud Mendo in *ſtatera opin. benign. differt.* 11. *quæſt.* 5. *n.* 55. Videri etiam poteſt Bened. XIV. *Notific.* 18. *tom.* 2. & dicenda §§. 1. & 2. Ergo olim fuit conſuetudo communicandi feria ſexta in Paraſceve. Dubium eſt itaque primo de noſtra ætate.

273 Dubium eſt ſecundo de iis, qui non communicent per modum Viatici. Enimvero periculoſe infirmis, certum eſt poſſe, immo & debere miniſtrari Viaticum etiam in feria ſexta Paraſceves, ſi opus fuerit. S. R. C. 19. Feb. 1622. in Decreto, quod dabimus infra §. 3. n. 276. & expreſſe pro illis reſervari particulas conſecratas præcipit Rubrica feriæ v. Cœnæ Domini. Monet autem Cavalerius to. 4. c. 5. in decr. 12. n. 7. id non eſſe intelligendum de Viatico, quod in eadem infirmitate fortaſſe replicari vellet ex devotione. Notandum quoque ſeſe offert hic Decretum ſequens: *In feria* VI. *Paraſceves, Parochus dum defert SS. Sacramentum ad domum Infirmi, pro miniſtrando ei Viatico, per vias publicas recitat conſuetos Pſalmos, & in fine illorum omittit ℣. Gloria Patri: & ingreſſus Eccleſiam, ſtatim deponit ſacram pyxidem, & dimittit populum abſque benedictione; quæritur: an ſit laudandus?* Reſp. *Non eſt reprobandus Parochus, qui defert SS. Viaticum Infirmis feria* VI. *in Paraſceve, dummodo privatè, & ſubmiſſe, quinimmo ſubmiſſima voce recitet pſalmos conſuetos per vias publicas, etiam ſi dicat ℣.* Gloria Patri: *quia in tali circumſtantia actio talis nihil habet eſſe cum functionibus Eccleſiæ hujus diei, & conſiderandum eſt, quod defertur cum ſtola, atque pluviali albi coloris, quando in feria ſupradicta color paramentorum eſt niger pro Eccleſiæ functionibus; ideoque ſi defert privatim pro aliqua neceſſitate, non eſt reprobandus, ſi populum abſque benedictione dimittat, quia in publica Eccleſia non debet recondi.* S. R. C. 15. Maii 1745. in *Lucana.* apud Caval. cit. decr. 12. Hæc autem procedunt pro toto triduo, in quo recolitur Paſſio Chriſti, a tempore videlicet poſt Miſſam feriæ v. Cœnæ Domini uſque ad Miſſam Sabbati Sancti. Caval. l. cit. n. 7. Color albus in hac Communione pro Viatico adhibetur, etiam in Paraſceve; rationem dedimus tr. 1. 2. Novembr. art. 1. ſect. 3. ſubſ. 3. n. 69. Cur autem Sacramentum non recondatur in hoc triduo in publica Eccleſia? vide dicta in præced. fer. v. ſubſ. 6. n. 166. Itaque dubium non eſt, an morti proximis liceat communicare ex Viatico feria VI. in Paraſceve? ſemper enim licuit, & licet. An autem cæteris liceat nunc communicare in Paraſceve? dubium præſens eſt.

Communionem abſolute etiam pro 274 hac fer. VI. Paraſceves licitam eſſe putavit Pinto *diſc.* 4. *cap. ult.* & Auctor *Apologiæ Cœnobii S. Antonii Reſol* 23. teſte Cardenas 1. Criſ. *par.* 3. *tr.* 2. *diſp.* 66. *c.* 1. *n.* 5. qui aſſeruerunt non ſolum generatim, & indifferenter omnibus fidelibus conſulendam eſſe Communionem quotidianam, dummodo careant conſcientia peccati mortalis; ſed etiam ita generaliter deducendam eſſe ad praxim Communionem quotidianam, ut ſumenda quoque ſit feria ſexta in Paraſceve: de quo ſpeciatim V. inf. n. 281. Item Raynaud. *to.* 6. *tr. de communione pro mortuis* n. 50. aſſerit, quod illud ex C. *Sabbato* 13. diſt. 3. *de conſecr.* ubi dicitur: traditionem Eccleſiæ habere, ut feria ſexta in

Paraſceve , & Sabbato ſequenti Sacramenta penitus non celebrentur; falſo ab aliquibus extendatur ad communionem laicam : hoc enim , inquit , eſt falſum , & contra uſum multorum piorum , & peritorum . Unde videtur etiam Raynaudus abſolute licitam agnoſcere Communionem in Paraſceve . Etiam in Paraſceve communicare licere abſolute admittit Sa . V. *Euch. n.* 19. Neſcio , an ſit aliquis alius , ita aperte & abſolute communionem in Paraſceve concedens: communiter enim Doctores ex iis, qui illam conceſſere , ex hypotheſi conſuetudinis , aut alicujus conditionis proceſſere.

275 Si ſit in uſu , concedit Quintanadvennas *to. ſingul. tract.* 4. *de Euchar. Sacr. ſingul.* 6. *num.* 3. ubi hæc habet : *In Eccleſiis Regularium , in quibus adhuc viget ex aliquo privilegio conſuetudo Euchariſtiam percipiendi in Paraſceve , & in Sabbato Sancto , licet Sæcularibus , vel Regularibus , Clericis , vel Laicis eam accipere . Probatur , quia hoc ex ſe opus bonum eſt , & aliunde ibi non eſt prohibitum , cum ex privilegio hoc fiat , vel ſaltem cum ſcientia , & tolerantia Prælatorum , ut ſatis manifeſtat prædicta conſuetudo . Ergo ibi licet . Sic in aliquibus D. Benedicti Eccleſiis hac die Laicis Euchariſtiam miniſtrari audivi , ex privilegio , quod utique non vidi . Quod ſi illis ſine exceptione ſuppetit , idem omnibus etiam privilegiorum communicatione gaudentibus ſuppetit . Idem dicendum , ſi in Eccleſiis Sæcularibus Cathedralibus , Collegiatis , Parochialibus , vel Eremitoriis , aut in Cappellis id inveterata conſuetudine , vel legitimo privilegio introductum ſit .* Hæc Quintanadvennas .

Cum eadem conditione videtur concedere Tambur. *Meth. Commun. c.* 6. §. 1. *n.* 4. etſi enim dicat: die Paraſceves , Euchariſtiam miniſtrari extra periculum mortis, non eſſe in uſu ; putat vero hujuſmodi non uſum nequaquam induxiſſe obligationem peccati , die Paraſceves communicanti, ſed decentiæ dumtaxat , propter mœrorem Paſſionis Domini.

Supra laudatus Quintanadvennas non ſolum concedit communionem in prædicta die, ubi eſt in uſu; ſed etiam illam permittit, ubi non eſt in uſu , dummodo abſit ſcandalum ; puta , ſi fiat private , & occulte . Hæc enim poſt ſupra recitata verba ſubdit a n. 4. *Secunda concluſio . In quacumque Regulari , vel Sæculari Eccleſia , Cappella , aut Oratorio , ſi omnino ſcandalum abſit, poteſt quilibet in die Paraſceves Euchariſtiam accipere .*

Cum eadem conditione excluſionis 276 ſcandali conceſſere plures Doctores citati a Diana *to.* 2. *edit. coord. tr.* 2. *Reſol.* 46. §. 2. ubi ſic teſtatur : *Non deſunt Doctores aſſerentes : in die Paraſceves licitam eſſe adminiſtrationem Sacramenti Euchariſtiæ , per ſe , & ſecluſo ſcandalo . Et ita præter Suarez , & Vaſquez , quos citat , & ſequitur Quintanadvennas &c.* Verba autem laudati eximii Doctoris *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 8. *ſect.* 2. prope finem §. *Secundus dies:* in medio, ita ſe habent : *Exiſtimo probabilius , licitum eſſe , per ſe loquendo , eo die* (paraſceves) *communicare : nam cum hoc ſit per ſe bonum , & prohibitio non probetur , non eſt cur tamquam malum damnetur .*

Denique Salmanticenſes *to.* 1. *tr.* 5. *de Miſſ. Sacrif. c.* 4. *pu.* 1. *n.* 5. in Paraſceve communicare , licitum eſſe , cenſent , *ubi uſu id receptum eſt , per ſe loquendo , ſecluſo omni ſcandalo ,*

dalo, & *interveniente aliqua rationabili cauſa*. Pro uſu autem alicubi recepto referunt teſtimonium Dicaſtilli dicentis: Viennæ Auſtriæ, ſe vidiſſe, uſu receptum; aliiſque in locis Germaniæ idem, audiſſe, eſſe in uſu; nec non allegant teſtimonium Machadi, quod etiam refert Diana to. 2. l. cit. ex quo ita Matriti in Parochia S. Martini obſervatur in praxi; & Benedictus XIV. *to.* 1. *Notific.* 38. *nu.* 2. refert teſtimonium Amati Pouget, ex quo in Eccleſiis quibuſdam Clerici omnes etiam in hac feria ſexta communicant.

277 Sed vera, & in praxi nunc habenda ſententia eſt: Non licere in hac feria laice communicare; præter caſum Viatici pro infirmis.

Sunt qui id probent ex C. *Sabbato* 13. *diſt.* 3. *de Conſecr.* ubi Pontifex Innocentius I. ait. *Traditio Eccleſiæ habet iſto biduo* (nimirum feria VI. in Paraſceve & Sabbato Sancto) *Sacramenta penitus non celebrari*. Iſto Canone utitur ad probandam prædictam aſſertionem Marcellus Francolinus 1. *par. c.* 30. *n.* 19. *de temp. Hor. Can.*

278 Sed vereor ne id minus apte faciat: Vetat enim ſynchrona praxis contraria, ne illius Canonis ſenſum a celebratione Sacrificii Euchariſtici, ad ſimplicem ejus Communionem, ſeu participationem laicam extendamus. Et quamvis dare velimus Cavalerio, Celebrationis vocabulum correlativum olim fuiſſe cum adminiſtratione, ut ipſe docet *to.* 4. *c.* 4. *in dec.* 3. *n.* 2. fortaſſe quia in Veteri Eccleſia non adminiſtrabatur laicis Communio, niſi tempore celebrationis Sacrificii, quando populus cum ipſo Celebrante communicabat; ipſa tamen veteris diſciplinæ monumenta exceptionem probant hujuſce ritus pro hac feria: ut videre eſt ex auctoritatibus allatis ſup. nu. 272. ex quibus conficitur in ipſa Romana Eccleſia fuiſſe olim conſuetudinem communicandi laice in hac feria: quin etiam non fuiſſe id omnino prohibitum ab Innocentio I. optime probatur ex alio ejuſdem Pontificis decreto, quod ſupra innuimus ex teſtimonio Durandi: refert igitur Durandus *in Ration. div. offic. lib.* 6. *cap.* 9. in hunc modum: *Innocentius Papa ſtatuit hac die* (ſcilicet feria V. Cœnæ Domini) *Corpus Chriſti ſub ſpecie panis reſervari: ut Infirmi, & Religioſi quibus eſt neceſſitas communicandi, habeant ipſum*. Ubi habemus non Infirmis dumtaxat ad Viaticum, ſed etiam Religioſis, ideſt piis etiam & ferventioribus fidelibus factam fuiſſe, quamvis non ſine aliqua peculiari cauſa, copiam communicandi. Omiſſo igitur, ut minus apto ad excludendam veterem atque etiam novam aliquam conſuetudinem, Innocentiano Canone *Sabbato*: pro noſtræ ætatis, de qua unice quærimus, praxi facit Rubrica Miſſalis.

Melius itaque probatur negativa aſſertio ex Rubrica Miſſalis in feria V. Cœnæ Domini: ubi dicitur: *Hodie Sacerdos conſecrat duas Hoſtias quarum unam ſumit, alteram reſervat pro ſequenti die, in quo non conficitur Sacramentum. Reſervat etiam aliquas particulas conſecratas, ſi opus fuerit, pro Infirmis*. Si pro Infirmis monet Rubrica reſervandas eſſe particulas conſecratas; non utique pro aliis; Si enim pro aliis reſervare liceret; inutile eſſet monere pro Infirmis. Atque ita omnino colligendum eſſe volunt ex prædicta Rubrica Gavantus *in Rubr. Miſſ. part.* 4. *tit.* 9. 279

tit. 9. n. 25. Meratus *in decr. Miſſ.* num. 187. Benedictus XIV. *de Miſſ. ſect. 2. c. 6.* §. 3. Caval. *to. 4. c. 4. in decr. 3. n. 2.* &c.

280 Affine huic Rubricæ allegat Barboſa *de offic. Paroch. par. 2. cap. 20. num. 16.* Decretum Sac. Cong. Rit. ſub 19. Februar. 1622. tenoris ſequentis : *In feria VI. Paraſceves non eſt miniſtranda Euchariſtia niſi Infirmis :* quod etiam referunt Gavantus, & poſt eum omnes Rubriciſtæ, ut teſtatur Caval. *tom. 4. c. 4. decr. 4.* Et quamvis, teſte Merato in ſupra cit. loc. Gavanti n. 78., non reperiatur illud in Regeſtis Sac. Congr. certum eſt nihilominus, ſubdit loc. cit. Benedict. XIV. nulli, præterquam Infirmo ad Viaticum, miniſtrandam eſſe in hac feria Communionem. Quod ſi Decretum illud non invenitur in Regeſtis, extat utique Decretum Sacr. Congr. Concil. Trident. ſatis expreſſum de hac re tum ad ſenſum Rubricæ, tum maxime relate ad praxim Romanæ Eccleſiæ vigentem, juxta quam nemini datur, niſi Infirmo pro Viatico, laice communicare in hac die.

281 Eſt itaque adhuc validius argumentum ad negandam omnibus, excepto caſu Viatici, Communionem laicam in Paraſceve; Decretum Innocentii Papæ XI., ſeu mavis ex ipſius Oraculo, & confirmatione, Decretum Sac. Congr. Concil. Trident. die 12. Febr. 1679. ubi Summus Pontifex inter multa abſurda, multaſque alias reprobandas conſuetudines, illam damnat, quam aliqui ferebantur induxiſſe, obtentu Communionis quotidianæ, communicandi etiam in feria VI. Paraſceves; quem abuſum omnino corrigendum mandat juxta Rubricam Miſſalis, & uſum Eccleſiæ Romanæ, in qua nulli niſi ad Viaticum, miniſtratur hac die Sacra Communio; Verba, quæ ex citato Decreto faciunt ad rem noſtram, ſunt ejuſmodi : *Cum ad aures SS. D. N. Fide dignorum teſtimonio pervenerit, in quibuſdam Diœceſibus vigere uſum quotidianæ Communionis etiam in feria VI. Paraſceves ..... Curent* (Epiſcopi) *ut circa communionem in feria VI. Paraſceves Miſſalis Rubricæ; & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur ..... Si Parochi, aut Confeſſarii etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant Deo optimo maximo rationem reddituros eſſe; nec defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, & rigoroſam animadverſionem in contrafacientes etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa. Et factâ de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præſens decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum &c. Datum Romæ* 12. *Februarii* 1679. Integrum hoc Decretum, ſi libet, lege in Noſtro Diario tract. 1. tom. 1. cap. 3. *de Communione Quotidiana* fine.

Jamvero ait Cardenas in 1. *Criſt* 282
3. par. tr. 2. qu. 66. cap. 6. loquens de hoc Innocentiano Decreto : *Ante hoc Decretum nulla erat expreſſa prohibitio, quæ graviter obligaret ad abſtinendum a Communione, in prædicta feria VI. Ex ea tamen Rubrica, & ex uſu Eccleſiæ Romanæ, multo melius & perfectius eſt ea die abſtinere : at poſt Decretum ea abſtinentia manet obligatoria.* Nimirum putat Auctor iſte; nullam ante hunc Pontificem graviter obligantem fuiſſe legem abſti-

ſtinendi a communione in Paraſceve, & dumtaxat ex Rubrica Miſſalis, & uſu Eccleſiæ Romanæ potuiſſe inferri, tanquam conſilium; at nunc omnino ut præceptum obligare ex præfato Decreto.

283 Eamdem graviter obligandi vim agnoſcunt in hoc Decreto La Croix *lib. 6. par. 1. q. 93. §. 5. & Ligorius* *lib. 6. tr. 3. c. 3. dub. 3.* Nec ſecus patiuntur interpretari verba ipſa comminantis Pontificis in fine Decreti: *Si ſecus egerint, ſciant Deo Opt. Max. rationem reddituros:* quæ nemo eſt qui neſciat, haberi inter graviora, quæ adhiberi ſoleant a Pontifice, fideles ſubditos ad aliquid præſtandum obligare volente.

284 Quare ſicuti anteriores Scriptores, quos ſupra recenſuimus, excuſandos eſſe volumus, quod nondum lata lege certa, propriam opinionem, aut vigentem alicubi conſuetudinem probaverint; ſic illos laudamus, qui veterem, quam amplexi fuerant, ſimul ac de hoc Decreto reſcierunt, abjecere; quod utique ſumma cum laude fecit Diana *edit. coord. tom. 2. tr. 2. Reſol. 37. §. 2.* ubi antiquam opinionem ſuam corrigens, ſcribit: *Sed nunc exiſtimo contrariam ſententiam tenendam eſſe ſtante declaratione Congregationis Sac. Rit. & prohibitione S. Pii V. in Rubrica Miſſalis.* Nec ſecus facturos fuiſſe putandum, & Raynaudum, & alios quoſcumque, ſi poſt confirmatum Rubricæ Miſſalis ſenſum vel Sacr. Cong. Rituum Decreto, vel Innocentii XI. ſcribere potuiſſent.

285 Nullus proinde remanet locus quæſtioni: Utrum qui Voto ſe obſtrinxit communicandi die feſto aliquo quotannis, ſi iſtud forte occurret in feria VI. Paraſceves, teneatur eo ipſo die communicare? Votum enim cum ſit de re licita, & meliori; nunquam ſtare poterit adverſus Eccleſiæ legem: quamquam cum hujuſmodi feſta poſt Paſcha transferri ſoleant, (quod de Annunciatione in ſpecie ſtatutum eſt, ut ſimul cum feſtivitate in foro de præcepto transferatur in feriam II. poſt Dominicam in Albis) pro eo die utique urgebit obligatio ſolvendi Votum ejuſmodi.

Poſtremo notandum; uſque adeo obligare allatum Decretum S. Congreg. Concil. ut ex facultate peculiariter facta ibidem a Sum. Pontifice, Epiſcopi, & alii locorum Ordinarii procedere poſſint contra quoslibet tranſgreſſores, quomodocumque exemptos & privilegiatos. 286

Sed quæres hic; undenam oriatur prohibitio communicandi pro hac die? 287

℞. Procul dubio id eſſe, quia dum ſumus in mœrore Paſſionis Chriſti, & Apoſtolorum triſtitiam imitamur, congruum eſt abſtineamus a convivii lætitia. Rationem aliam congruentem, & myſticam aſſignat vulgatus Alcuinus *lib. de divin. offic. tit. de Cœna Domini*, ubi poſtquam dixiſſet, ut ſubſectionis hujus initio vidimus, Romanos hoc die Paraſceves non conſueviſſe communicare, atque adeo non conſueviſſe particulas conſecratas reſervare in die Cœnæ Domini, niſi pro infirmis; ſubdit: *In iſto enim die* (Cœna Domini) *conſumitur Agnus typicus, conſummaturque modus communicationis, & illud vetus Sacramentum per Calicem, quem porrexit Diſcipulis ſuis, Deo gratias agendo, quod vetera tranſitura, & ventura nova, quæ debemus expectare uſque in Reſurrectionem Domini.*

mini. *Dixit enim Dominus : Non bibam de hoc genimine vitis uſque in diem illum*. Similia habet Amalarius *de Eccleſ. offic. l.* 1. *c.* 15. ubi ait: *Paſtores , qui videntur eſſe in Eccleſia , declinatione ſui officii demonſtrant ſtatum illius temporis* (Dominicæ Paſſionis,) *qui tunc agebatur apud Diſcipulos Chriſti. Dominus enim dixit , pridie* (quam pateretur:) *Non bibam de hoc genimine vitis , donec bibam il. illud vobiſcum novum .... Ratus ordo eſt , ut expectemus uſque dum Dominus noſter conſecret Sacramenta Corporis , & Sanguinis ſui in Cruce , & nova ea faciat per reſurrectionem ſuam , & ſic tandem manducemus , & bibamus ſaluberrimum illud Sacramentum* &c.

SUBSECTIO VII.

De Supplicationibus , ſeu Proceſſionibus.

288 PROCESSIO *ſolemnis aliquo certo die facienda , ſi cadat in feriam VI. Paraſceves , eo anno transferenda eſt in aliam diem*. Congr. Epiſcop. 25. Febr. 1598. apud Caval. to. 4. c. 20. d. 41. Transferenda eſt , ſeu poteſt transferri , ſi non placeat omittere eo anno : dummodo in Paraſceve non fiat, cui non convenit ſolemnitas , & feſtivitas , ſed triſtitia , & luctus; & ideo quia hæc æque conveniunt toto triduo mortis Chriſti , nec celebrandæ ſunt Proceſſiones a Veſperis fer. IV. majoris hebdomadæ uſque ad Sabbatum Sanctum : imo tr. 1. 19. Martii n. 7. dedimus decretum S. C. R. in quo prohibetur fieri Proceſſio in honorem S. Joſephi , occurrente ejuſdem feſto in Fer. II. III. IV. majoris hebdomadæ, & quamvis videatur in Sabbato Sancto poſt meridiem , juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam , incœpto Reſurrectionis gaudio , celebrari poſſe hujuſmodi ſolemnes Proceſſiones, nihilominus non eſt laudabile. Vid. Caval. l. cit.

Proceſſiones autem , quæ referuntur ad myſteria Paſſionis, & mortis Chriſti, permittuntur in hac feria , ſeu dicto triduo celebrari; puta Proceſſiones cum Statua B. M. Virginis repræſentante ejuſdem dolorem ob mortem Filii; vel cum Statua Chriſti e Cruce depoſiti; & ſimiles Proceſſiones ; unde *Permitti poteſt , ut Statua B. M. V. Velo nigro circumdata in nocte feriæ V. in Cœna Domini cum Jeſu Domino Filio mortuo in gremium depoſito , in Eccleſia exponatur ; & ſequenti feria ſexta in mane proceſſionaliter cum pluvialibus nigris deferatur*. S. R. C. 21. Martii 1744. in Bergomen. apud Caval. *tom.* 4. *c.* 18. *d.* 10. Vid. dicta in fer. præc. ſubſ. 6. n. 169. *Ubi adeſt conſuetudo immemorabilis , licitum eſt , Spinam Coronæ D. N. J. C. præſertim in Paraſceve , capite aperto , ſub Baldachino proceſſionaliter deferre*. S. R. C. 12. Julii 1704. in una Urbis, & Orbis apud Caval. *to.* 4. *c.* 17. *d.* 10. & confirmatum fuit 26. Auguſti 1752. in Decreto allegato tr. 1. 3. Maii art. 4. n. 11. Vide Caval. *cit. c.* 17. *comment. in decr.* 9. *n.* 1. & ſequentibus. Porro *Spinæ de Corona Domini Jeſu Chriſti inter Reliquias inſignes computantur , & ſpeciali nota , & cultu dignæ ſunt*. S. R. C. 21. Junii 1632. in *Conchen.* apud Caval. *to.* 1. *c.* 4. *d.* 7. videri poteſt idem Caval. *tom.* 4. *cap.* 17. *Comment. in decr.* 1. *num.* 2. Quænam adoratio debeatur ſpinis Coronæ Domini , aliiſque Paſſionis

ſionis ejus Inſtrumentis, quæ divinum corpus ejuſdem tetigerunt? Vid. D. Thomam 3. *par. qu.* 25. *art.* 4. Azor. *Inſtit. Moral. par.* 1. *lib.* 9. *c.* 6. *qu.* 2. Tambur. *in Decalog. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 4.

Hujuſmodi Proceſſiones fieri poſſe feria VI. majoris hebdomadæ, etiam de nocte, arbitrio Epiſcopi, conceditur a S. R. C. in cauſa Indiarum 20. Julii 1600. ex Barboſa apud Luc. Ferrar. in ſua Biblioth. edit. 3. Bonon. V. *Proceſſion.* n. 64. Proceſſiones autem, quæ fiunt de nocte, non debent inferri in Eccleſias Monialium, ex Decr. Congreg. Epiſcop. & Regul. 6. Septembr. 1709. apud Ferrar. loc. cit. num. 65. Vid. dicta tr. 1. l. 1. c. 1. art. 1. n. 1.

290 At vero *In feria VI. Paraſceves non poteſt fieri nocte proceſſio cum SS. Sacramento, & hunc abuſum abrogat Congregatio Epiſcop. & Regul.* 22. Martii 1596. Apud Caval. *to.* 4. *c.* 10. d. 42. *Proceſſiones facere de nocte cum SS. Sacramento feria quinta, & ſexta majoris hebdomadæ, non convenit, & repugnat myſteriis Eccleſiæ, & eſt abuſus omnino tollendus.* S. R. C. 18. Auguſti 1606. in *Mantuana*. Apud Caval. *loc. cit. d.* 43. Abuſus ejuſmodi, ait etiam Gavantus *in Rubr. Miſſ. part.* 4. *tit.* 9. *num.* 26. ut conſentit Cavalerius, alienus eſt a ritu, & legitimo ſenſu S. R. E. quæ occultat his diebus Euchariſtiam, & in aliud tempus ideo diſtulit proceſſionem, & feſtum Corporis Chriſti. Ex eo autem quia dicatur *: de nocte* prædictas proceſſiones prohiberi: eaſdem permitti de die, non eſt judicandum; ut enim obſervat Caval. mentio fit tantum *noctis* ratione petitionum, quæ proceſſere ſuper proceſſiones *de nocte* fieri ſolitas; ſed eaſdem non minus de die manere inhibitas, indubium teſtimonium reddunt proceſſiones, quæ licet de mandato Rubricarum in mane feriæ V. & VI. cum Sacramento velato peragantur ab Altari ad Sepulchrum, & a Sepulchro ad Altare, adhuc extra Eccleſiam per vias elongari prohibentur; ut ſuis locis notavimus. Et vero quemadmodum de nocte, æque & de die prædictæ Proceſſiones cum Sacramento a Decretis allegatis inhibitæ, repugnant myſteriis Eccleſiæ. Ratione ſimiliter petitionis mentio fit tantum feriæ V. & VI. ſed prohibitio intelligenda eſt procedere de toto Triduo mortis Chriſti.

Cæterum eadem Congreg. Epiſcop. 3. Januar. 1582. declaraverat, & deinde confirmavit 29. Martii 1596. quod *Si conſuetudo, deferendi proceſſionaliter SS. Sacramentum feria VI. Paraſceves in feretro nigris velleribus contecto, non poteſt abſque graviore incommodo extirpari, eſt toleranda.* Apud Caval. *cit. c.* 20. *d.* 44. Pittono teſte *de Sacr. Rit. n.* 84. prædicta conſuetudo viget Venetiis; & quatenus, ut ipſe ait, privilegio reperiatur innixa, (quemadmodum aſſeritur eſſe ibi, ut tradit Meratus *to.* 1. *part.* 4. *tit.* 9. *n.* 79.) abſque dubio retineri poteſt, ſicut & ubi abſque graviori incommodo non poteſt tolli, uti eamdem tolerat laudatum decretum. Verum ait Caval. dubitandum non eſſe, quod omnino conandum ſit, præfatam conſuetudinem deferendi Sacramentum in feretro nigris velleribus contecto, quaſi ad Sepulturam, ſaltem corrigere in eo, ut omiſſis velleribus nigris feretrum cum albis contegatur; vel quatenus Sacerdos Sacramentum manibus deferat, ſuper pluviale nigrum, ſal-

ſaltem induat velum humerale album. Cæterum conandum non ſolum eſſet, ut prædicta conſuetudo prædicto modo emendetur, verum etiam ut extirpetur *tamquam abuſus omnino tollendus*: ut dicitur in ſupra allegato S. C. R. Decreto, etiam conſuetudo deferendi publice Sacramentum, maxime detectum; quo in caſu ſaltem in eo corrigendam fore, ut illud portaret velatum, quemadmodum in mano illud portat; & id quoties penitus tolli non valeat.

SUBSECTIO VIII.

De Benedictione Menſæ, Gratiarum actione, Lectione, & peculiari Abſtinentia.

291 AD benedictionem Menſæ, & Lectionem ad Menſam in Paraſceve eodem modo ſit, ſicut in Cœna Domini dictum eſt Sect. 5. Subſ. 14. num. 201. ſed ad ℣. *Chriſtus factus eſt* &c. additur: *Mortem autem Crucis. Rubr. Breviar.* Dicitur itaque ℣. *Chriſtus factus eſt obediens uſque ad mortem.* ℟. *mortem autem Crucis.*

292 Nota hic pro ſuperponentibus in Paraſceve, hoc eſt, hanc ſanctam feriam exigentibus abſque ullo prorſus cibo. Hujuſmodi laudabilis, etſi paucorum, conſuetudo commendari poſſet, tum ex eo, quod in Ordine Romano antiquiſſimo, ubi de offic. Cœnæ Domini dicitur: *Ab hac nocte uſque in Sabbatum Sanctum nonnulli Servi Dei imitantes Apoſtolos jejuni permanent.* Tum ex eo, quod ſcribit Teophilus Raynaudus *to. 16. ſect. 2. pu. 6. §. de uſu perpetuæ benedictionis eſcæ, ac potus:* ubi ſine hæc habet: *In Regula Magiſtri, ut refertur in concordia Regul. cap. 56. §. 4. collaudatis ſuperponentibus in Paraſceve, ideſt diem illum prorſus abſque cibo ullo exigentibus: ita ſit facultas veſcendi ea die nolentibus ſuperponere, ut pro magna pœna irrogetur illis comeſtio abſque benedictione, & ſignatione refectionis: ut ex eo brutio reficiendi modo erubeſcant, quod vel unum diem noluerint ſuperponere.* Plures etiam hebdomadæ Sanctæ dies a nonnullis ex veteribus Chriſtianis fuiſſe tranſactos abſque ullo prorſus cibo, conſtat ex Divo Dionyſio Alexandrino *epiſt. ad Baſilid.* & ex S. Epiphanio *expoſit. fid. c. 29.* Ratio autem facile poteſt intelligi ex dictis capitis hujus initio.

SUBSECTIO IX.

De circumſtantia temporis ſanctæ hujus Feriæ VI. & de nonnullis ſuperſtitionibus.

QU. I. An ex circumſtantia temporis contrahat ſpecialem malitiam peccatum commiſſum feria ſexta majoris hebdomadæ? 293

℟. Licet cum Auctoribus graviſſimis apud Dicaſtil. quos ſequitur La-Croix *lib. 6. par. 2. qu. 134. §. 10. n. 963.* & Diana *tom. 1. edit. coord. tom. 7. R. 54. §. 2.* dicendum ſit: circumſtantiam temporis raro mutare ſpeciem; aliqui tamen apud eumdem Dicaſtil. teſte eodem La-Croix loc. cit. putant, omne crimen enorme feria ſexta majoris hebdomadæ commiſſum, hoc ipſo eſſe diverſæ ſpeciei. At ipſe Dicaſtil. Lugo, Averſa, Stoz, aliique communiter contradicunt, teſte eodem La-Croix, quorum ſententiam vocat probabiliorem.

Dicit etiam Gobat apud La-Croix loc. cit. grave ſcandalum eſſe poſ-

poſſe, ſi quis feria ſexta majoris hebdomadæ ſe inebriaret.

294. Qu. II. An ex circumſtantia temporis aliqua actio, per ſe non mala, evadat mala, ſi fiat feria ſexta majoris hebdomadæ?

℞. Tambur. *in Decal. lib.* 2. *c.* 6. §. 3. *num.* 12. La-Croix *loc. cit. &* *lib.* 3. *part.* 1. *qu.* 12. §. 6. *nu.* 54. aliique Auctores, qui ſupra negarunt, omne enorme crimen feria ſexta hebdomadæ Sanctæ commiſſum hoc ipſo eſſe diverſæ ſpeciei, ob circumſtantiam temporis; excipiunt tamen, ſi quis feria ſexta hebdomadæ Sanctæ publice haberet ludicram comœdiam; id enim præter ſcandalum populi, cederet in gravem irreverentiam contra Paſſionem Chriſti, adeoque committeret culpam irreligioſitatis.

295. Qu. III. In Flandria quotquot ſunt nati in die Paraſceves, putantur habere a Deo poteſtatem, ut ſuo contactu ſanent a febribus; quæritur: an id ſit ſuperſtitio?

℞. Nullam eſſe, putant nonnulli, quos ſequitur Tancredi *de Relig. tr.* 2. *lib.* 2. *diſp.* 8. *quæſt.* 6. *n.* 23. nec improbat Diana *tom.* 5. *edit. coord. tr.* 10. *R.* 109. §. 17. & favet Tambur. *in Decal. lib.* 2. *c.* 6. §. 1. *n.* 31. & Azor. *Inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 9. *c.* 25. *qu.* 2. Volunt itaque, id ex virtute naturali fieri poſſe, hujuſmodi hominibus conceſſa in honorem præſentis diei, & propter ſanctitatem myſterii, quod in Paraſceve recolitur. Hujuſmodi autem vis, & poteſtas non dicitur naturalis in eo ſenſu, quod ſit hominis naturæ, & conditioni debita; ea enim tantum gratuito Dei munere, & beneficio datur: ut ſignificavimus; ſed naturalis dici poteſt, ad innuendum, quod non ſit vis aliqua ſupernaturalis, hoc eſt, habitus menti infuſus; ſed ſit vis quædam præter ſolitum morem hominibus data, quæ ſuos præſtet effectus, aut cauſarum naturalium miniſterio, & opera: aut operante Deo, talium hominum interveniente contactu; ut animadvertit Azor. loc. cit. qui hoc ſecundum, putat, eſſe veriſimilius; notatque, inde fieri, ut id etiam virtutis, & efficacitatis, Dei munere, poſſit ineſſe in hominibus etiam improbis, perditis. Verum quoad hujuſmodi gratias curationum quid ſentiendum, atque tenendum ſit? docuimus tr. 1. 25. Januar. n. 9. videantur omnino ib. dicta.

Qu. IV. An ſit ſuperſtitio, ſervare Ova excluſa die Paraſceves, ad extinguendum incendium? 296

℞. Affirmative, quia eſt vana obſervantia, quæ eſt ſpecies ſuperſtitionis; ita Tambur. *in Decal. lib.* 2. *c.* 6. §. 1. *n.* 27. cum Sanchez item La-Croix *lib.* 3. *par.* 1. *qu.* 5. §. 2. *n.* 29. Patet autem ex regulis dignoſcendi vanam obſervantiam. Vid. Tambur. l. cit. a n. 23. An autem ſit mortalis, vel venialis, vide eumdem Tambur. cit. n. 27.

Qu. V. An ſit ſuperſtitio, ad pellendos morbos, puta adverſus membrorum contractionem, uti annulo confecto ex pecuniis oblatis Crucifixo in feria VI. Paraſceves ad ſolemnem adorationem Crucis, ut ſuo loco diximus? 297

℞. Affirmative. La-Croix *lib.* 3. *par.* 1. *qu.* 5. §. 2. *n.* 29. Tancredi *de Relig. tr.* 2. *lib.* 2. *diſp.* 8. *qu.* 6. *num.* 17. Licet in hoc, & ſimilibus excuſare aliquando poſſit ſimplicitas; ut cum aliis fatetur Tancredi; nec, niſi ex hujuſmodi tantum ſimplicita-

Digitized by Google

te, videtur, id excuſare etiam Cajetanus *in 2. 2. qu. 96. art. 4.*

SECTIO VII.

Not. in Sabbato Sancto.

298 SABBATUM præcedens Dominicam Paſchæ Reſurrectionis antonomaſtice appellatur *Sanctum* propter ſanctitatem myſteriorum Divinorum, quæ celebrantur in eo: tum quia in eo Chriſtus requievit ab opere Reparationis humanæ: tum quia in eo Sanctus Sanctorum quievit in Sepulchro. Porro Sabbatum dicitur a *Sabbat*, hebraicum verbum, quod latine interpretatum dicitur quieſcere, & ab operando ceſſare: ut docuimus tr. 1. lib. 2. in Sabbato art. 1. qu. 1. initio. Denique hoc Sabbatum vocatur *Sanctum* propter Sanctum Baptiſmum, qui celebratur in die iſta, in qua nova Eccleſiæ proles ſanctificatur. Rupert. *lib. 6. cap.* 15. Joan. Beleth *de divin. offi. c.* 105. Durand. *in Ration. lib. 6. c.* 78. *n.* 1. vulgatus Alcuinus *cap. de Sab. Sancto Paſchæ*. Honor. *in Gemma lib.* 3. *c.* 99. Gavant. *in Rubr. Miſſ. part.* 4. *tit.* 10. *num.* 1.

Nullum habet officium de die, nam officium noctis erat ſequentis, ejuſdem tamen Sabbati, vid. dicta art. 3. Sect. 2. Subſ. 2. Cur autem officium ſit de nocte? congruentias adducit Durandus *loc. cit. nu.* 2. & videri poſſunt infra dicenda Subſ. 3. §. 4. fine. Porro quæ in hoc Sabbato notanda ſunt explicabimus Subſectionibus XII.

Subſ. I. *De Hor. Canon. Offic. Defunct. in die obitus, & Suſpenſ. Interd. a n.* 299.

Subſ. II. *Not. pro caſu, quo feſt. Anunc. vel aliud feſt. de præcepto in foro incidat in Sab. Sanct. n.* 303.

Subſ. III. *De officiis, ſeu Functionibus Sab. S. a n.* 304.

Subſ. IV. *De Miſſa a n.* 346.

Subſ. V. *De Communione a n.* 365.

Subſ. VI. *De Jejunio n.* 367.

Subſ. VII. *De benedictione Menſæ, & gratiarum actione. n.* 368.

Subſ. VIII. *De Reſidentia Epiſcoporum n.* 369.

Subſ. IX. *De Collatione Ordinum a n.* 370.

Subſ. X. *Not. pro Agnus Dei cereis n.* 372.

Subſ. XI. *De Benedictione domorum in Sab. S. a n.* 373.

Subſ. XII. *Not. pro Salut. B.V. ad pulſum Campanæ n.* 376.

SUBSECTIO I.

De Hor. Canon. Offic. Defunct. in die obitus: & Suſpenſ. Interd.

SABBATUM Sanctum dupl. 1. cl. *Rubr. gen. Brev. tit.* 1. *n.* 1. & *tit.* 9. *nu.* 5. & in duab. tabell. excerpt. ex Rubr. gen. Officium ut in proprio. In Choro hora competenti dicuntur Horæ candelis Altaris extinctis uſque ad principium Miſſæ. *Rubr. Miſſ. hic*: & notavimus n. 15. & iterum infra dicetur Subſ. 3. §. 1. ubi etiam explicabimus, quænam in Sabbato Sancto ſit hora competens recitandi in Choro Horas hujuſmodi. 299

In Veſperis extra Chorum, dictis *Pater*, & *Ave*, incipitur abſolute ab Antiphona *Alleluja*, ſub ritu duplici, ut in proprio. Poſt Orationem dicto *Dominus vobiſcum*: ſubditur: *Benedicamus Domino*: cum duplici *Allelu-*

leluja, & omiſſo verſu *Fidelium Animæ:* dicitur *Pater noſter*: & nihil aliud. *Rubr. Brev.* Caval. *to.* 4. *c.* 21. *Comment. in decr.* 18. *nu.* 4. De Veſperis hodie perſolutis in Choro agemus ſubſ. 4. §. 1. n. 351. & eadem ſub. 4. §. 2. num. 359. rationes aſſignabimus brevitatis earum extraordinariæ. Ad Completorium vero ſive in Choro, ſive extra Chorum dicitur: *Jube*: cum reliquis precibus, & quatuor pſalmis de more; ſed vice *Laus tibi Domine*, *Rex* &c. dicitur *Alleluja*. Prædictis autem Pſalmis nulla præmittitur Antiphona, ſed finitis pſalmis ſtatim inchoatur tantum Antiphona *Veſpere autem Sabbati:* qua per prædicta tria verba inchoata, ſubditur Canticum: *Nunc dimittis*: quo expleto, repetitur tota præfata Antiphona, & deinde dicitur Oratio: *Viſita: Dominus vobiſcum: Benedicamus Domino*: cui non additur hic Alleluja. *Benedicat*: & tamdem Antiphona finalis: *Regina Cæli:* & ℣. & Or. propr. *Rubr. Brev. hic*. Quæ Antiph. fin. cum prædicto Verſu, & Oratione dicitur uſque ad Nonam Sabbati poſt Pentecoſtem incluſive, & recitatur ſtando, ſeu erecto corpore, toto tempore paſchali, atque adeo uſque ad Nonam Sabbati poſt Pentecoſten incluſive. *Rubric. gen. Brev. tit.* 36. *n.* 3. *& Rubr. partic. ubi de Antiph. final.* Cur genua non flectantur ad prædictam Antiphonam, ſed ſtando recitemus? & an ſit culpa aliqua, contrafacere? Vid. tr. 1. to. 1. lib. 5. par. 1. c. 3. de ſalut. B. M. qu. 2. Cur in Paſchate reſumatur *Allelluja*, & ab hoc Sabbato? exponemus hic Subſ. 4. §. 2. num. 356.

300 Veſperæ, quæ in hac die Sabbati Sancti recitantur cum uno tantum breviſſimo pſalmo, habent ritum extraordinarium affixum huic diei, adeo ut nemo dixerit: poſſe citra mortale, ſingulis diebus ſatisfieri præcepto recitandi Veſperas per recitationem harum Veſperarum. Ita Viva *in prop.* 34. *Alexand. VII. n.* 7. Hodiernæ itaque Veſperæ habent ritum extraordinarium, & notabiliter diverſum a communi, & ordinario ritu, ut per ſe patet. Ergo variatio harum Veſperarum cum aliis per annum eſt ſubſtantialiter diverſa, ut proinde citra mortale nequeant hæ Veſperæ aliis diebus recitari. Profecto cum Pius V. in ſua Bulla, quæ in Breviario Romano habetur, præceperit in virtute S. Obedientiæ, quod non aliter horæ Canonicæ recitentur ab iis, qui ad illas obligantur, quam juxta ritum in eo Breviario præſcriptum, addens: *Neminem ex his, quibus hoc dicendi munus neceſſario impoſitum eſt, niſi hac ſola formula ſatisfacere*: ſequitur aperte, mortaliter peccari ab iis, qui notabiliter ab ea formula diſcedant. Sic etiam laudatus Viva l. cit. n. 1.

Sed quæres: an ſit mortale, omittere haſce hodiernas Veſperas? 301

℞. Ad negandum, eſſe mortale, inclinat Jacobus Marchantius *Reſol. paſtoral. par.* 2. *tr.* 7. *c.* 2. *quæſt.* 1. dicit enim: has Veſperas omittere, videri, eſſe quid leve. Item Tambur. *in Decal. lib.* 2. *c.* 5. §. 2. *n.* 11. *fine*, dicit: ſe non audere affirmare, mortaliter eum peccare, qui hodiernas Veſperas omitteret; etenim, licet dicendum ſit, unam integram horam etiam parvam omittere, eſſe mortale; nihilominus ſecus dicendum eſſe, putat, de Veſperis Sabbati Sancti, ex peculiari ratione: ex eo nimirum quia hæ Veſperæ extraordina-

nariam habeant parvitatem; & ex alio capite pro hac die tantæ lætitiæ, atque indulgentiæ, & in qua præceſſerunt in Eccleſia ſatis prolixæ orationes, vult, non eſſe putandum, notabiliter lædi finem, & præceptum orandi. Item Pellizarius *Man. Regul. tr. 5. c. 8. Sect. 2. n. 93. fine* docet, quod, cum omiſſio talium Veſperarum non æquivaleat omiſſioni unius ex quatuor horis parvis, imo vix dimidiæ, quæ proinde cenſetur levitas materiæ excuſans a mortali; inde bene inferri poſſe, inquit, omittentem prædictas Veſperas hodiernas non peccare mortaliter.

Sed hæc ſententia non placet Dianæ *edit. coord. tom. 3. tr. 6. R. 90.* §. 11. ubi inclinat, ad dicendum: eſſe mortale, hodiernas Veſperas omittere, quia, inquit, eſt notabilis deformitas, quoad Officii integritatem. Idem dicit Tancredi *de Relig. tr. 3. lib. 4. diſp. 12. qu. 6. nu. 19. fine*. La Croix *lib. 4. de hor. Canon. qu. 188. §. 3. nu. 1204.* etſi dicat: ſupradictam ſententiam negativam eſſe probabilem: teſtatur tamen: hodiernas Veſperas omittere, cenſeri communiter, eſſe mortale, non ob quantitatem, ſed qualitatem; quia nempe ſunt integra hora, & continent magnum myſterium. Vide dicenda ſubſ. 4. §. 2. fine. Cui affirmativæ ſententiæ ego adhæreo propter rationem ſignificatam deformitatis notabilis.

302 Diana *edit. coord. to. 2. tr. 1. R. 75. §. 6.* ait: quod hodiernæ Veſperæ convenienter dicantur, etiam ſummo mane, una cum Miſſa tunc temporis fortaſſe celebrata, quia illius ſunt pars; (videri etiam poteſt Caval. *to. 4. c. 21. comment. in decr. 18. nu. 8.*) ſi tamen dicerentur prædicto tempore, hoc eſt ſummo mane, extra Miſſam, indecens appareret.

Si debeat recitari officium pro Defuncto: qua ratione debeat fieri? diximus art. 3. Sect. 3. nu. 56. Cum in ſolemnitate Paſchali ſuſpendatur Interdictum quoad divina officia tempore interdicti localis generalis: utrum hujuſmodi ſuſpenſio incipiat ab hoc Sabbato: & a qua parte divinorum officiorum? Vide in Dom. Reſurr. art. 7. q. 2.

SUBSECTIO II.

Not. pro caſu, quo Feſtum Annunciationis, vel aliud feſtum de præcepto in foro incidat in Sabbatum Sanctum.

In Caſu, quo feſtum Annunciationis B. V. vel aliud feſtum de præcepto in foro incidat in Sabbatum Sanctum, quid notandum? expoſuimus tr. 1. 25. Martii, art. 2. Sect. 2. Subſ. 4. & hoc capite art. 3. Sect. 2. Subſ. 2. §. 5. n. 50. 303

SUBSECTIO III.

De Officiis, ſeu Functionibus Sabbati Sancti Agemus §§. XII.

§. I. *De Benedictione novi ignis, & incenſi a n.* 304.

§. II. *Myſtica Expoſit. Ritus bened. novi ignis, & incenſi a n.* 310.

§. III. *De Benedictione Cerei Paſchalis a n.* 311.

§. IV. *Myſtica Expoſit. prædictæ bened. Cerei Paſchalis a n.* 317.

§. V. *De Prophetiis, & Catecheſi Baptizandorum a n.* 323.

§. VI.

§. VI. *Myſtica Expoſitio prædictorum a n. 326.*
§. VII. *De Benedict. Fontis Baptiſmalis, & celebratione Baptiſmi a n. 330.*
§. VIII. *Myſtica Expoſit. Cæremoniarum ad Fontis Baptiſm. benedictionem a n. 341.*
§. IX. *De Litaniis a n. 343.*

§. I.

De Benedictione novi ignis, & incenſi.

304 HORA *competenti cooperiuntur Altaria, & dicuntur Horæ, candelis Altaris extinctis uſque ad principium Miſſæ; interim excutitur ignis de lapide foris Eccleſiam, & ex eo accenduntur carbones.* Rubr. Miſ. hic.

Summo mane mundatur Eccleſia, & parantur omnia ejus Altaria ornamentis albis, & cum candelis ex cera alba de more, attamen ſuper pallium album conveniret aliud poni violaceum; id certe ſaltem ſervari debet in Altari majori, cujus item Tabernaculum duplici Conopæo veſtiatur, uno albo ſubtus pro Miſſa, altero violaceo ad Officium uſque ad Litaniarum finem, ad quem item uſque decentius eſt, nudi permaneant Altaris gradus, & non operiantur tapetibus feſtivis. Secus eſt de umbraculo, quod cum nonniſi plurimo incommodo mutari queat, ab initio appendetur album ſuper Altare majus. Imagines omnes adhuc remanebunt tectæ uſque ad finem Litaniarum. Caval. *to.* 4. *ca.* 21. *comment. in decr.* 3. *n.*7. Cereus benedicendus collocabitur cum ſuo candelabro in latere Evangelii, ex Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *c.* 27. Ante Cereum collocetur pluteus, qui adhiberi ſolet ad ſuſtentandum librum Lectoris, opertus velo albo, & ſuper illum Miſſale non apertum. Gavant. hic n. 2.

Deinde hora competenti dicuntur ſine cantu Horæ minores, candelis Altaris extinctis uſque ad principium Miſſæ, ut initio ſubſ. 1. notavimus ex Rubr. Miſſ. hic. In Sabbato Sancto anticipatur tempus recitandi Horas, ut fiat commodum ſpatium abſolvendi ſequentes longiores functiones ante meridiem; hoc quidem deſignat Rubrica verbis illis: *Hora competenti cooperiuntur Altaria, & dicuntur horæ &c.* Vide Caval. *to.* 4. *cap.* 22. *comment. in decr.* 6. *n.* 7. Quapropter in Eccleſiis, ubi celebratur Baptiſmus, ſi adſint baptizandi, quo plures hi fuerint, eo magis anticipandum foret tempus recitandi horas; quemadmodum animadvertit idem Caval. l. cit.

Dum dicuntur Horæ in Choro, extra Eccleſiam, ubi benedicendus eſt novus ignis, ſi commode fieri poteſt, vel in ipſo aditu Eccleſiæ, conſpergitur pavimentum herbis, & floſculis odoriferis, quibus aſpergitur via, qua illinc procedendum eſt ad Altare. In prædicto loco paratur menſa cooperta ſola mappa ſine Cruce, & ſine candelabris, & ſuper eam, quaſi in cornu Evangelii, ponitur Dalmatica, ſtola, & manipulus albi coloris pro Diacono; & quaſi ex parte Epiſtolæ alius manipulus violaceus pro Subdiacono, quatenus ut infra uti debeat; & in medio ejuſdem menſæ ponitur Miſſale. In eodem loco benedictionis ignis peragendæ, in parte apta collocabitur Arundo cum tribus candelis in ſummitate illius triangulo diſtinctis. Candelæ in calce unum quid eſſe deberent,

rent, & deinde diſtingui in tres ob rationem explicandam §. 4. Solet Arundo prædicta ornari floribus: laudabile quidem, congruit enim; ſed tamen ita ornetur, ut appareat ex parte arundo, & non baculus, aut quid aliud: ut monet Gavantus hic n. 5. Merat. *to.* 1. *part.* 4. *tit.* 10. *de Sabbato Sanct. num.* 1. Biſſus. V. *Arundo;* qui inſuper §. 2. putat, quoad hujuſmodi arundinis longitudinem, praxim ſervandam eſſe communem, approbat autem opinionem Bauldr. volentis, ut ſit circiter decem palmorum: quam menſuram approbat Meratus l. cit. Paratur itidem ibidem ſcamnum ſeu parva menſa, ad ſuſtinendum vas novi ignis benedicendi, ubi quoque paratur forceps, ad accipiendum de eodem igne benedicto, & ponendum in thuribulo; adſint duæ candelulæ ſimul nexæ, ut difficilius extingui poſſint; laterna includens candelam pro accendendis candelis Arundinis. Extra Eccleſiam erit vas cum carbonibus accendendis, cum lignis ſulfuratis, ut citius carbones accendant, cum ſilice, & inſtrumentis aliis neceſſariis ad excutiendum, & habendum novum ignem. Quæ cum omnia parata fuerint extra Eccleſiam, per aliquem, e ſilice ita opportune excutitur ignis, & accenduntur carbones, ut dicta Nona adveniente Celebrante, jam novus ignis inveniatur accenſus pro ejuſdem benedictione, ac paratus in vaſe apto ſuper ſcamnum, ſeu menſam ſupradictum.

305 *Dicta Nona Sacerdos indutus amictu, Alba, cingulo, ſtola, & pluviali violaceo, vel ſine caſula, aſtantibus ſibi Miniſtris cum Cruce, aqua benedicta, & incenſo, ante portam Eccleſiæ, ſi commode poteſt, vel in ipſo aditu Eccleſiæ benedicit novum ignem &c.* Rubr. Miſſ. hic.

Ad benedictionem novi ignis Celebrans ſuper Albam induit ſtolam, & pluviale violaceum, Diaconus ſtolam diaconalem, & planetam plicatam, & Subdiaconus ſolam planetam plicatam ſimiliter violaceam, ſed omnes ſine manipulis. Recitata Nona, hoc ordine inſtituitur proceſſio ad benedicendum ignem. Præcedunt tres Acolythi in cottis, quorum medius incedit deferens vas aquæ benedictæ, a dexteris thuriferarius cum navicula, & thuribulo, ſed ſine igne; & a ſiniſtris alter portans pelviculam, cum quinque granis incenſi novi pulchre elaboratis in modum nucis pineæ, & in extremitate inauratis, vel deargentatis, dummodo tamen plus thuris appareat, quam alterius rei: quemadmodum dicebamus ſupra de arundine trium candelarum: ferreis inſuper eadem ſint ſuffulta clavis, ad hoc, ut deinde infigi paſchali Cereo poſſint, ut infra dicetur. Sequitur Subdiaconus Crucem deferens, deinde bini omnes de Clero, & ultimo Celebrans tecto capite, & manibus junctis, habens Diaconum a ſiniſtris nudo capite, & manibus junctis; non enim per Diaconum in hac proceſſione elevanda eſt pluvialis fimbria Celebrantis. Caval. *to.* 4. *c.* 21. *Comment. in decr.* 3. *n.* 9.

Notandum hic opportune, quod Celebrans paratus, Dignitates, & Canonici, qui a feria VI. præcedenti tranſeuntes ante Crucem Altaris genuflexerunt, Hora Nona hodie perſoluta, non amplius genuflectunt eidem, ſed inclinationem faciunt profundam. Merat. *tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 10. *de Sab. S.* nu. 3. fine; ſecus tamen

men cæteri, qui adhuc genuflectent uſque ad Miſſam excluſive. Recole dicta hoc c. 8. art. 3. n. 10.

Quando ad locum venerunt, Subdiaconus ſiſtit ſe ad portam Eccleſiæ, huic renes vertens, ac faciem ſuam, & Crucifixi imaginem Celebranti, qui verſa facie ad portam Eccleſiæ, ſtat ante menſam paratam cum novo igne, uti ſupra, Diaconus a dexteris ejus, aliquantulum poſt eum, & ibidem etiam tres Acolythi prædicti, Clero hinc inde diſtributo. Tum Sacerdos nudato capite, & aliquo Acolytho ſuper caput tenente librum ante eum, incipit benedictionem ignis dicens junctis manibus, & ſine cantu, in tono orationis Miſſæ ferialis: *Dominus vobiſcum:* & tres ſequentes orationes, ut in Miſſali; Diacono elevante fimbriam dexteram pluvialis, dum idem Sacerdos format ſignum Crucis, & Clero reſpective reſpondente ſine cantu: *Et cum ſpiritu tuo*, vel *Amen*. Caval. l. cit. n. 10.

306 *Deinde benedicit quinque grana incenſi ponenda in Cereo, dicens abſolute hanc orationem:* Veniat &c. *Rubr. Miſſ. hic*.

Igne benedicto, accedit ante Celebrantem Acolythus tenens elevatam pelviculam quinque granorum incenſi, quæ idem Celebrans non præmiſſo *Dominus vobiſcum*: neque *Oremus:* ſed quaſi conjungens horum benedictionem cum præcedenti ignis: benedicit, ut ſupra dicens. Orationem *Veniat quæſumus*. Quidam addunt aliam incenſi quantitatem una cum quinque præſcriptis granis benedicendam; quos tamen merito reprehendit Gavantus: ad quid enim? ait, an ut ea deinde in naviculam immittantur, denuo mox benedicenda a Celebrante, ut adoleat ignem, & grana? ſuperfluit hæc duplex incenſi benedictio, & eſt præter Rubricam.

Dum benedicit grana incenſi, Acolythus aſſumens de carbonibus benedictis ponit in thuribulo; & finita oratione ſupradicta, Sacerdos de navicula imponit incenſum in thuribulo; benedicens illud more ſolito: deinde prædicta grana incenſi, & ignem ter aſpergit aqua benedicta, dicens: Aſperges me Domine: *ſine cantu, & ſine Pſalmo, & ter adolet incenſo. Interim omnia luminaria Eccleſiæ extinguuntur, ut de igne benedicto poſtmodum accendantur. Tum Diaconus indutus Dalmatica albi coloris &c.* Rubr. Miſſ. hic. 307

Dum Sacerdos benedicit grana incenſi, thuriferarius forcipe immittit de carbonibus ignis benedicti in thuribulum, & accedit prope Celebrantem, qui finita oratione, miniſtrante cum oſculis Diacono naviculam, & parum inclinato dicente: *Benedicite Pater Reverende:* ter de more ponit incenſum in thuribulo dicens: *Ab illo benedicaris &c.* & ſuper illud producens Crucis ſignum. *Modus benedicendi alios, vel rem aliquam, debet eſſe cum manu recta, & digitis ſimul junctis, & extenſis*. S. R. C. 24. Julii 1683. in *Albiganen.* apud Merar. *ind. decr. Miſſal. n.* 732. Tum a Diacono accepta Navicula recedit thuriferarius, & accedit Acolythus aquæ benedictæ, a quo Diaconus accipit aſperſorium aqua luſtrali intinctum, illudque cum ſolitis oſculis porrigit Celebranti, qui cum eo ter aſpergit prædicta grana incenſi, & ignem, qui in vaſe poſitus eſt, non autem qui in thuribulo: aſpergit itaque prædicta grana incenſi aſperſione trina in medio a dexteris, & a ſi-

Digitized by Google

a ſiniſtris eorumdem ; & trina altera ſimili aſperſione ignem prædictum. Aſpergens autem ſubmiſſa voce dicit : *Aſperges me &c.* ſine pſalmo, & poſtea tradit Diacono aſperſorium, qui illud recipit cum oſculis ſolitis aſperſorii, & manus Celebrantis, illudque ſine oſculis tradit Acolytho. Deinde Diaconus accipit a thuriferario thuribulum, illudque cum oſculis offert Celebranti, qui ter grana incenſi, & ter novum ignem incenſat eodem modo, quo aſperſit : nihil tamen dicens. Quo facto Diaconus cum oſculis a Celebrante recipit thuribulum, & illud ſine oſculis reſtituit thuriferario, & poſtea tranſit ad Celebrantis ſiniſtram, ubi depoſitis paramentis violaceis, aſſumit manipulum, ſtolam, & Dalmaticam albi coloris paratam in eodem loco ſuper menſa, ut ſupra. Num Subdiaconus aſſumere debeat manipulum violaceum? Affirmant communiter Auctores, allegando Cærem. Epiſcop. *l.* 2. *c.* 28. §. 1. Ait autem Meratus *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *n.* 11. ex eodem Cæremon. præcedenti *cap.* 27. §. 12. colligi manifeſte, Subdiaconum aſſumere debere manipulum, poſtquam, cantato a Diacono Præconio, acceperit Celebrans planetam, & manipulum ; atque adeo ex Cæremon. allegato : niſi in alterutro capite error irrepſerit : utrumque fieri poſſe. At vero Caval. *in cit. decr.* 3. *n.* 13. animadvertit : caſum, de quo agit Cæremoniale in cap. 27. eſſe diverſum ab eo, de quo agit in cap. 28. In hoc enim agit de officiis Sabbati Sancti, Epiſcopo non celebrante ; contra vero in præcedenti cap. 27. de eodem officio, Epiſcopo celebrante ; atque adeo ſtare Cæremonialis legem utramque poſſe abſque correctione ulla ; dicendo, quod Epiſcopo non celebrante, Subdiaconus debeat nunc, ſicut ſuus ſocius Diaconus, accipere manipulum, uti præſcribitur in allegato cap. 28. ubi, ut diximus agitur de officio S b. S. Epiſcopo non celebrante ; ſecus vero Epiſcopo celebrante, de quo alio caſu ſermo eſt in præcedenti cap. 27. Nec congrua deeſt ratio, inquit Cavalerius, ut videlicet ob maximam Epiſcopi dignitatem huic ſe conformet Subdiaconus ; Diacono autem ejus ſocio, quoties alter celebrat inferioris dignitatis.

Interim per Acolythum accenduntur de novo igne candelulæ ſimul nexæ, & intortæ, vel unica ſola, quæ, quatenus opus ſit, includitur in laterna, ne a vento forte flante extinguatur. Lampades accenſæ non adſint in Eccleſia, quæ ſupponuntur extinctæ in feria v. Cœnæ, ad denudationem Altarium ; ac ſi quæ ardebant ad Altare Sepulchri Domini, & eæ creduntur extinctæ, Sacramento ſublato, abſoluta cæremonia illa. Si tamen aliqua ſuperſit accenſa in Eccleſia, extinguatur eodem prædicto tempore per Sacriſtam ; excepta ea, quæ ardeat ante SS. Sacramentum, ſi forte hoc reſtitutum fuerit ſuo conſueto Altari, ſeu Tabernaculo ante Miſſam ; ut reſtitui poſſe paulo antequam recitetur hora Nona, exiſtimat Caval. in *cit. d.* 3. *n.* 12. *& in decr.* 18. *n.* 3.

Sacra Rituum Congregatio interrogata ab Archiepiſcopo Lucano : *An Parochi in alienas Eccleſias convenientes, aut non convenientes, poſſint, attenta conſuetudine immemorabili, aut ſaltem antiqua, ſacrum facere in die Sabbati Sancti cum cantu, aut ſine cantu in propria Eccleſia, prætermiſſis* 308

bere-

benedictionibus ignis, cerei, Prophetiis, aliiſque ritibus ipſa die præſcriptis; aut non obſtante eadem conſuetudine, idem ſacrum omittere teneantur; & quatenus, negative quoad ſecundam partem, ſub qua pœna ſtatuenda contra Parochos, alioſque Sacerdotes? Reſp. Congruit, ut Miſſæ in Sabbato Sancto celebrandæ ignis, ac Cerei benedictio præcedat: ante quam Miſſam, Prophetiæ omitti non debent; & Archiepiſcopus Parochos ad ignis, & Cerei benedictionem faciendam aliqua pœna pecuniaria adigere poterit. S. R. C. 12. April. 1755. in *Lucana* ad 4. dub. apud Cavaler. *to.* 5. *in collect. recentior. decret.*

309 Qu. hic: Utrum carbones benedicti, ſeu novus ignis hodie benedictus, & thus ſimiliter benedictum ritu prædicto debeant religioſe tractari: ex quo debeatur illis poſitiva quædam religioſa reverentia, ratione benedictionis prædictæ; atque adeo adhiberi debeant ad uſus tantummodo eccleſiaſticos; ſeu pios, & religioſos?

R. Negat Tambur. *Meth. celebr. Miſſ. lib.* 1. *c.* 2. §. 3. *nu.* 6. quia, inquit, non cum tanto rigore in his, & ſimilibus modicis benedictionibus agitur, vel agi intenditur ab Eccleſia: & nemo eſt, qui hæc ligna, carboneſque, ſi ſuperſint, communi uſui non aſſignet; Ita ille, cujus ſententiam approbat Gobat *to.* 2. *tr.* 5. *lib.* 23. *ſect.* 5. *qu.* 6. *n.* 259.

Verum quo ad thus attinet, id mihi eſt valde dubium: quia thus videtur benedici ad ſolum uſum Eccleſiaſticum; & ſic benedicitur benedictione media inter ſimpliciter invocativam, & ſimpliciter conſecrativam: cui benedictioni competit religioſus reſpectus, ex quo res hujuſmodi benedictione donatæ non poſſunt adhiberi ad uſus communes, & profanos, quantumvis decentes; quemadmodum docuimus tract. 1. 2. Febr. art. 3. §. 8. qu. 3. a nu. 48. ubi de Cereis benedictis; & etiam hic in Dom. Palm. ſubſ. 2. §. 13. qu. 3. nu. 87. De igne autem benedicto inclino equidem ad dicendum, quod poſſit communi uſui applicari; quia licet Eccleſia ex conſtanti, & perpetua diſciplina, re nulla publice ſoleat uti, quin prius benedixerit eam: ut cum Thomaſſino obſervat Benedictus XIV. *de feſtis l. cit. c.* 8. *n.* 50. unde dici poſſit, ignis benedici, quia uti eo debet Eccleſia, ut quidem ſignificat laudatus Benedictus; immo non ſolum quia eo uti debet, ſed item ad aliquod myſterium inſinuandum: quemadmodum §. ſequenti explicabimus; unde juxta præſentem diſciplinam, non benedicit ignem, niſi in hoc Sabbato, quamvis aliis quoque diebus in Eccleſiaſticis functionibus utatur igni; nihilominus exiſtimo; ignem in hodierna benedictione non benedici *ad ſolum* uſum Eccleſiaſticum, ſed etiam benedici, ut eſt quoddam elementum maxime utile ad uſus hominum communes: quemadmodum indicari videtur in prima oratione, quæ ad benedictionem hodiernam recitatur. Favet omnino Ordo Romanus apud Hyttorpium *tit. de benedict. Cerei:* ubi ſic legitur: *De ipſo novo & benedicto igne accendunt in omni domo, quia omnis ignis anterior, qui tunc ardebat, extingui debet.* Ex quibus colligitur: olim ignem benedictum in Sabbato Sancto adhibitum fuiſſe ad uſus communes, & profanos, ex ipſomet Eccleſiæ præſcripto. Sed hoc ipſum aperte tradit Amalarius *in lib. de Or-*

dine Antiphonarii c. 44. ubi mentionem faciens de veteri ritu Romanæ Eccleſiæ, in qua ignis reſervabatur in Cœna Domini pro Sabbato Sancto: ut videre eſt in Ordine Romano *tit. de offic. divin. a Cœna Dom.* & apud Vulgatum Alcuinum *C. de Cœna Dom.* ac Benedict. XIV. *de feſtis Dom. c.* 8. §. 5. attamen illum ignem extinctum fuiſſe, tradit Amalarius, in Paraſceve hora ſexta: deinde vero eodem die renovatum fuiſſe ignem benedictum hora nona. Id autem factum fuiſſe, dicit Amalarius, ad ſignificandum, quod in morte Chriſti ab hora ſexta uſque ad horam nonam ſol abſcuratus fuerit, *& propter neceſſitatem communem* (ait,) *reaccenditur in Sancta Romana Eccleſia eodem die, ut ex illo cibi coquantur, & reſervetur ad uſum noctis neceſſarium.* Hæc Amalarius. Quapropter benedictio ignis videtur ſimpliciter invocativa: cui quidem nullus competit religioſus reſpectus; ſed res hujuſmodi benedictione benedictæ poſſunt adhiberi ad eoſdem uſus, ad quos poterant, priuſquam benedicerentur. Videantur dicta tr. 1. lib. 1. c. 7. de benedictione menſæ qu. 5. a num. 17. & videri rurſus poterunt dicta locis modo citatis.

§. II.

Myſtica expoſitio Ritus benedictionis novi Ignis, & Incenſi.

310 ECCLESIA comparat ſe, ad ſuſcipiendum Chriſtum reſurgentem: unde magna pars Officii Sabbati Sancti ad Reſurrectionem pertinet: ut obſervat Durandus *in Ration. Offic. lib. 6. c.* 85. *n.* 1. Quod quidem Officium licet nunc de die celebretur, & mane, attamen olim noctis fuiſſe ſequentis, (ejuſdem attamen Sabbati,) atque adeo proximæ Reſurrectioni Domini, indicavimus ſectionis hujus initio, & explicavimus hoc cap. artic. 3. ſect. 2. ſubſect. 2. Cooperiuntur itaque, & ornantur Altaria, quia Chriſtus in Reſurrectione ſua indutus eſt Stola Corporis glorioſi. Durand. l. cit.

Solemni Proceſſione, & cum Cruce exitur ad portam Eccleſiæ, ut ſignificetur, exeundum nobis eſſe ad eum, quem Judæi extra Caſtra ejecerunt, ſcilicet Chriſtum Dominum, qui extra portam Crucifixus eſt, improperium ejus portantes: ut Apoſtolus monet *ad hebr.* 13. 13. ita interpretatur Rupertus *de Divin. Offic. l.* 5. *c.* 28. & Dur. *l.* 6. *c.* 80. *n.* 1. Aliam rationem indicabimus infra.

Novus ignis accenditur, & benedicitur, ad accendendum Candelas, & lampades; monumentum eſt ritus antiqui, ex quo quotidie novus ignis eliciebatur, & de eo accendebantur lampades, & candelæ; etſi id in Sabbato Sancto fieret ritu præ cæteris ſolemniori diebus; ſub finem vero ſeculi XI. Sabbato Sancto dumtaxat hujuſce veteris moris ſuperfuere reliquiæ, in memoriam inſignis miraculi olim evenire ſoliti in Sancta Civitate Jeruſalem, ubi in hoc Sabbato Sancto deſcendebat ignis de Cœlo, & ex eodem lampades jam extinctæ, incipiente Reſurrectionis Officio, miraculoſe accendebantur; vide Merat. *to.* 1. *par.* 1. *tit.* 10. *n.* 12. Cavaler. *tom.* 4. *cap.* 21. *comment. in decr.* 3. *num.* 4.

Novus ignis benedicitur, ut ſicut ille, qui eſt lumen indeficiens, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, igne illuminavit Mo-

Digitized by Google

Moſen: ita illuminet ſenſus, & corda noſtra, ut ex his tenebris ad lumen, & vitam pervenire mereamur æternam; ſic Durand. loc. cit.

Ignem benedicimus Cruce præſente, & aquæ benedictæ aſperſione: ut nos in Paſſione ejus, per quem Spiritum Sanctum, accepimus, lotos eſſe ſignificemus. Dur. loc. cit.

Ignis vetus extinctus, & novus de lapide elicitus ſignificat: 1. Legem veterem extinctam, & novam a Chriſto Domino traditam. 2. Chriſtum Dominum, lege veteri extincta, ignem Spiritus Sancti nobis adduxiſſe: ut ipſe teſtatur Luc. 12. 49. *Ignem veni mittere in terram*. Et item juxta illud Joannis Baptiſtæ de Chriſto teſtimonium: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*: Luc. 3. 16. Adduxit autem Spiritus Sancti ignem per mortem, & paſſionem ſuam. Unde lapis, de quo ignis excutitur, Chriſtum ſignificat, qui eſt lapis, quem reprobaverunt ædificantes Judæi; qui autem factus eſt in caput Anguli. *Pſalm.* 117. 22. *Act.* 4. 11. *& Petra autem erat Chriſtus*: 1. ad Cor. 10. 4. Rurſus ignis e ſilice excuſſus videtur recens Chriſti e mortuis ſuſcitati, & e Sepulchro lapideo exeuntis typum ferre: ideo etiam excutitur extra portam Eccleſiæ, quia extra portam Civitatis contigit Reſurrectio. Caval. *to.* 4. *c.* 21. *Comm. in decr.* 3. *n.* 6. Percuſſio autem lapidis Paſſionem indicat Chriſti. Rupert. *cit. c.* 28. *n.* 1. Honor. *in Gemma lib.* 3. *c.* 100. Beleth *c.* 107.

De quinque granis incenſi meminit Rupert. *lib.* 6. *c.* 31. & ſignificare, docet, aromata a Mulieribus empta, ut ungerent Corpus Jeſu. Idem dicit Durandus n. 9. addens, Eccleſiam oſtendere, ſe illam devotionem habere in aromatibus virtutum. Eadem tamen quinque grana incenſi, ubi fuerint Cereo magno benedicendo affixa, ſignificare quinque plagas a Chriſto in Cruce receptas, ex eodem Durando dicemus §. 4.

§. III.

De Benedictione Cerei Paſchalis.

TUM *Diaconus indutus Dalmatica* 311
albi coloris accipit arundinem cum tribus candelis in ſummitate illius triangulo diſtinctis. Præcedit thuriferarius cum Acolytho deferente in vaſe quinque grana incenſi: ſequitur Subdiaconus cum Cruce, & Clerus per ordinem: deinde Diaconus cum arundine, poſt eum Celebrans. Rubr. Miſſ. hic.

Quando Diaconus ut ſupra indutus eſt, accedit ad dexteram Celebrantis, qui illo miniſtrante cum ſolitis oſculis, iterum imponit incenſum in thuribulo, illudque de more benedicit; incenſum autem in ea quantitate poni debet, quæ ſufficere valeat etiam pro incenſando libro, antequam poſt proceſſionem Diaconus cantet præconium. Hoc facto Diaconus accipit arundinem cum tribus candelis in ea exiſtentibus extinctis, & ordinatur proceſſio. Præcedit thuriferarius, ad cujus dexteram incedit Acolythus deferens grana incenſi; ſequitur Subdiaconus Crucem deferens ſine Ceroferariis, deinde Clerus per ordinem, poſt Clerum Diaconus ambabus manibus deferens arundinem, habens ad ſiniſtram Acolythum cum candelula ut ſupra accenſa, & ultimus omnium incedit Celebrans manibus junctis, & detecto capite. Dum autem proceſſio incipit, per aliquos Miniſtros e loco benedi-

Digitized by Google

nedictionis ignis ad Sacriſtiam aſportantur vas aquæ benedictæ, & alia, quæ ſuperſunt, cum menſa ipſa; præter paramenta violacea Diaconi, quæ deferuntur ad Credentiam, ut ſuo tempore ea reſumere valeat. Caualer. *to.* 4. *cap.* 21. *Comm. in decr.* 3. *num.* 14.

312 *Cum Diaconus ingreſſus eſt Eccleſiam, inclinat arundinem, & Acolythus deferens candelam accenſam de novo igne, accendit unam ex illis tribus candelis deſuper poſitis: & Diaconus elevans arundinem, genuflectit, ſimiliter, & omnes alii cum eo, præter Subdiaconum Crucem ferentem, & cantat ſolus:* Lumen Chriſti. ℟. Deo gratias. *Et procedens ad medium Eccleſiæ, ibi accenditur alia candela: & iterum genuflexus, ut ſupra, altius cantat:* Lumen Chriſti. ℟. Deo gratias. *Tertio procedit ante Altare, ubi accenditur tertia candela, & rurſus genuflexus, ut prius, adhuc altius dicit:* Lumen Chriſti. ℟. Deo gratias. *Rubr. Miſſ. hic.*

Cum Diaconus ingreſſus fuerit Eccleſiam, (ſiquidem benedictio ignis habita fuerit extra Eccleſiam; ſi vero intra Eccleſiam in ipſo ejuſdem aditu: cum Diaconus paululum progreſſus fuerit ab aditu Eccleſiæ:) & poſt eum Celebrans, (ut hic etiam poſſit genuflectere intra Eccleſiam, quando genuflectendum eſt, ut ſtatim dicetur:) ſe ſiſtunt omnes, & Diaconus inclinat arundinem, & Acolythus accendit unam candelam ex tribus trianguli, media candelula ex novo igne ut ſupra accenſa. Mox Diaconus, & omnes alii, etiam Celebrans præter Cruciferarium, genuflexus, elevans aliquantulum arundinem, mediocri voce (ut citra indecentiam ſecundo, & tertio altius cantare valeat) cantat: *Lumen Chriſti:* cui Chorus genuflexus reſpondet: *Deo gratias*: in ſimili tono, voce nimirum mediocri, ut citra indecentiam ſecundo, & tertio altius cantando, reſpondere valeat. Tum ſurgant omnes, & ulterius procedant, & cum Diaconus ad medium Eccleſiæ devenerit, iterum omnes ſiſtunt ſe, & Diaconus inclinata rurſus arundine, aliam ex tribus candelis accendit per Acolythum ut ſupra, & ſtatim genuflexus elevans altius arundinem, & vocem; cantet ſecundo: *Lumen Chriſti*: Cui, ut ſupra reſpondet Clerus: *Deo gratias*: Statim ſurgentes omnes, ultra procedant verſus Altare, ante cujus gradum infimum in plano ſe ſiſtunt thuriferarius, & Acolythus granorum incenſi, poſt eos Subdiaconus cum Cruce, vel ſaltem medius inter illos; ſi Presbyterium fuerit capax, in hac Statione poterit Clerus Presbyterium ingredi, hinc inde ſe diſtribuens in ſemicirculum; ſi tamen fuerit anguſtum, Clerus ſe ſiſtet hinc inde ad ingreſſum Presbyterii, per cujus medium tranſit Diaconus cum Acolytho a ſiniſtris, & poſt eum Celebrans, cui tranſeunti idem Clerus ſe inclinat. Diaconus vero ſtabit poſt tergum Subdiaconi, Celebrans autem poſt Diaconum, qui tertio inclinans arundinem, tertiam candelam accendit per Acolythum ut ſupra, & genuflexus elevat adhuc altius arundinem & vocem, dum tertio cantat: *Lumen Chriſti*. Cui omnes ut ſupra genuflexi reſpondebunt: *Deo gratias*. Caval. num. 9. Merat. *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *n.* 20.

Deinde Celebrans aſcendit ad Altare in cornu Epiſtolæ, & Diaconus dat arundinem uni Acolytho, & accipiens 313 *librum,*

librum, petit a Celebrante benedictionem, ut ſit ad Evangelium, Sacerdote dicente: Dominus ſit &c. *Rubric. Miſſ. hic.*

Tertia vice reſponſo: *Deo gratias:* ad *Lumen Chriſti:* Clerus factis debitis reverentiis accedit ad locum ſuum in Choro, & Celebrans aſcendit ad Altare, illudque in medio oſculatus, accedit ad cornu Epiſtolæ, ibique ſtat converſus ad Altare. Interim Diaconus tradita alicui ex Acolythis arundine, & ſumpto Miſſali, genuflectit ante Altaris medium, aſcendit ad ſupremum gradum Altaris, ubi fere in medio ſuper oram ſuppedanei genuflexus, & non miniſtrans incenſum de novo, neque præmittens: *Munda cor meum:* abſolute petit benedictionem a Celebrante, facie ad eum verſa, dicendo: *Jube Domne benedicere:* & Celebrans vertens ſe ad ipſum, dicit: *Dominus ſit in corde tuo* &c. ut in benedictione ad Evangelium, ſed loco: *Evangelium ſuum:* dicit: *ſuum paſchale præconium*, & dum dicit: *In nomine Patris* &c., format ſignum Crucis ſuper Diaconum modo ſuperius explicato nu. 307. ex quadam declarat. S. C. R. non tamen manum poſtea ponit ſuper librum, nec Diaconus eam oſculatur. Caval. *tom.* 4. Merat. *n.* 20. *Comm. in decr.* 4. *n.* 6. *cap.* 21.

314 *Poſtea vadit ad Pulpitum, & ponit ſuper eo librum, & incenſat. A dextris Diaconi ſtent Subdiaconus cum Cruce, & thuriferarius: a ſiniſtris duo Acolythi, ille, qui tenet arundinem, & alius tenens in vaſe quinque grana incenſi benedicti figenda in Cereo. Tunc ſurgentibus omnibus, & ſtantibus, ut ſit ad Evangelium, Diaconus cantat;* Exultet &c. *Rubr. Miſſ. hic.*

Mox Diaconus ſurgens deſcendit in planum, ubi in medio facta genuflexione una cum Miniſtris omnibus præter Cruciferarium, & Acolythum tenentem arundinem, pergunt omnes ad cornu Evangelii, & Diaconus ſuper legile deponit Miſſale, illud aperit, & ter incenſat, ut ad Evangelium; deinde abſque eo quod librum ſignet, neque ſeipſum, alta, & ſonora voce abſolute incipit Præconium: *Exultet:* illudque proſequitur, converſo Sacerdote ad ipſum, & manibus junctis ſtante in latere Epiſtolæ, ut ad Evangelium; ſtantibus itidem iis de Choro verſus Altare, detectis capitibus; Miniſtri vero ita Diacono aſſiſtent, ut Subdiaconus ſit ad Diaconi dexteram, Crucifixi facie verſa ad Celebrantem, thuriferarius ad dexteram Subdiaconi, & a ſiniſtris ipſius Diaconi erit Acolythus arundinis, & ad hujus Acolythi ſiniſtram Acolythus tenens grana incenſi. Caval. n. 7.

Cum Diaconus devenerit ad illa verba: *Curvat imperia:* intermittit cantum, (tempore, quo Diaconus minime cantat, ii de Choro ſedere poſſunt, ſi velint; Celebrans tamen, & Miniſtri, ſemper, ut ſupra, ſtabunt:) & comite Acolytho granorum incenſi accedit ad Cereum, quem aliquis Acolythus (idque præſtare poterit thuriferarius depoſito thuribulo:) amovet e loco ſuo, & idem Diaconus in prædicto Cereo infigit quinque grana incenſi in modum Crucis; (Cujus effigies depingi ſolet in Cereo; certe adſint, oportet, foramina quinque in modum Crucis diſpoſita ut incenſi grana facilius infigantur Cereo, & affixa firmius hæreant; porro, ut initio ſupra monuimus, grana incenſi hic adhibenda

da formam habeant nucis pineæ, ferreiſque ſint fulfulta clavis :) ita ut primum ponat in parte ſuperiori, ſecundum in media, tertium in infima, quartum a dextris Cerei, & quintum a ſiniſtris. Hoc facto Acolythus reſtituit loco ſuo Cereum, ita tamen ut Crux, quæ ſuper Cereum eſt efformata, reſpiciat Celebrantem; tunc Acolythus granorum incenſi vadit ad Credentiam, ubi deponit pelviculam, & ſtatim redit ad ſiniſtram Diaconi, qui, ut ad legile reverſus eſt, proſequitur Præconii cantum, & ubi dixerit verba illa : *Rutilans ignis accendit:* iterum a cantu ceſſat, & accendit Cereum cum una ex tribus candelis arundinis, eam inclinando; & quatenus Cereus ſuper candelabrum perſtans, commode accendi nequeat, aliquis Acolythus eum deponet, & deferet ad Diaconum, ut illum cum una ex tribus candelis arundinis, ut ſupra inflammet, & deinde idem Acolythus eumdem reponet in loco ſuo, ut prius, videlicet ita ut Crux ſuper Cereum efformata reſpiciat Celebrantem. Caval. num. 8.

Deinde Diaconus reaſſumit præconii cantum, & ſtatim ac pronunciaverit : *Apis mater eduxit* : ceſſat aliquantulum a cantu, donec Acolythus cum candelula e Cereo paſchali accenſa, vel ab una ex candelis arundinis, inflammaverit proximas lampades, quæ ut accenſæ ſunt, Diaconus proſequitur : *O vere beata nox* : Sacriſta interim accendente alias lampades per Eccleſiam. Cavalerius, qui concedit, ut ſuperius diximus, Sacramentum reſtitui poſſe ſuo Tabernaculo ante Nonam: monet in cit. d. 4. n. 9. lampadem, quæ ante illud etiam num ardet, hic extingui debere, ut ſtatim accendatur de novo igni.

Diaconus præconium cantans, ſuo loco exprimit nomen Papæ cum levi capitis inclinatione; Epiſcopi, etſi præſens ſit, ſine inclinatione ulla; & quatenus Sedes Apoſtolica vacet, vel Epiſcopalis, omittuntur reſpectiva verba : *una cum beatiſſimo Papa noſtro* : vel : *Antiſtite noſtro*: Epiſcopus autem nominandus debet eſſe verus Epiſcopus Diœceſanus, non autem quicumque alter, etſi deputatus adminiſtrator Eccleſiæ vacantis cum ampliſſimis facultatibus, aut Vicarius Apoſtolicus Roma miſſus. Suo item loco exprimit Imperatoris nomen, qui ſi non fuerit coronatus, additur : *electum* : non quidem ad ejuſdem nomen, ſed ante vocem : *Imperatorem* : unde dicitur : *Reſpice etiam ad devotiſſimum electum Imperatorem noſtrum*. Si vacet Sedes Imperialis ſubſtituitur : *Reſpice etiam ad Romanum Imperium, cujus tu Deus* &c. ſicut, teſte Macri verb. *Cereus paſchalis*: Statuit S. R. C. approbante Alexandro VII. ut refert Caval. *in cit. d.* 4. *nu.* 10. & Meratus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *de Sab. Sancto n.* 27. Ultra prædicta nomina, nullus alius in præconio nominari poteſt, additiones quaslibet vetante Bulla Pii V. quæ tamen limitationem accipit ab Apoſtolico Indulto, aut ab antiquiori recepta conſuetudine, qualis viget e. gr. in Galliis pro Rege; Venetiis, & Genuæ pro Principe; in noſtro item Regno utriuſque Siciliæ Regis nomen in hoc præconio recitatur; & in hoc caſu poſt nomen Imperatoris addendum eſt nomen Principis, & ſtatim ſubditur : *Quorum tu Deus deſiderii vota* &c. Caval. loc. cit.

Ri-

315 Ritus benedicendi Cereum Paſchalem eſt antiquiſſimus: ejus initium ignoratur, ſicut & Auctor Præconii: *Exultet:* videri poteſt Meratus *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *de Sab. Sancto n.* 23. Bened. XIV. *de feſtis Domini cap.* 8. §. 5. Cavaler. *in cit. d.* 4. *n.* 2. & 3. Quarti *de Benediction. tit.* 2. *ſect.* 6. *prælud.* 1.

316 Si Cereus anni præteriti ſolum reficiatur quoad minorem partem conſumptam, non poſſe licite iterum benedici anno ſequenti, & abſque peccato veniali, ſentit Quarti cit. ſect. 6. prælud. 3. dub. 2. fine, quia, inquit, cum ſic non amiſerit benedictionem priorem, fruſtraretur ſuo effectu ſecunda benedictio, contra reverentiam ei debitam. Et quamvis aliter fieri conſueverit, vult adhuc, praxim hujuſmodi eſſe potius corrigendam. Ejuſdem ſententiæ eſt Meratus *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *de Sabbato Sancto n.* 27. atque Pittonus apud Caval. *in cit. d.* 4. *n.* 11. qui tamen refert alios tacito nomine, ſentientes oppoſitum, tum quia id habet praxis, tum quia excuſat paupertas Eccleſiarum, tum denique quia, etſi Cereus in minori parte refectus, ita forſitan benedictus putari valeat, ut nova benedictione non egeat, nihil tamen vetat, iterum benedici benedictione directa ad partem de novo additam, quæ reipſa benedicta non eſt. Et huic poſteriori ſententiæ ſubſcribit Caval. qui etiam, etſi fateatur, hæc apta non eſſe eas excuſare Eccleſias, quæ, abſque ulla refectione Cerei, eum iterum benedicunt: quod quidem Meratus reprehendit tamquam peſſime factitatum: ſubdit tamen Cavalerius, earum praxim adhuc in ſolido ſtatu nihilominus permanere, ſi verum eſt, quod ſibi conſtanter ſcriptum fuerat: ſcilicet Romæ in Dominica IV. Quadrageſimæ perſæpe benedici enſem, & roſam auream, quæ jam benedicta fuerant in præcedenti anno.

§. IV.

Myſtica Expoſitio prædictæ Benedictionis Cerei Paſchalis.

A CONSECRATIONE Luminis auſpicatur Paſchalis ſolemnitas, quia æternæ lucis nobis contulit claritatem: ait Raban. *lib.* 2. *c.* 38. Idem innuit Concilium Tolet. IV. canon. 8. apud Gavant. n. 5. Benedicitur autem Cereus, quoniam ex ſimplici ſui natura, abſque benedictione, non poteſt tranſire ad ea ſignificanda myſteria, de quibus nunc dicetur. Amalar. *de eccleſiaſt. offic. lib.* 1. *c.* 18. *fine*, Durand. *in Ration. lib.* 6. *c.* 80. *nu.* 2. & præterea conſtans, & perpetua fuit Eccleſiæ diſciplina, ut nulla re publice utatur, quin eam prius benedixerit, ut ex Thomaſſino, & Benedicto XIV. ſignificavimus §. 1. 317

Benedicitur quidem, etiam præſente Sacerdote, vel Epiſcopo, a Diacono, licet ſit inferioris Ordinis, quia inferioris Miniſtri eſſe, videtur, annunciare Chriſti Reſurrectionem: ſicut inferior mulierum ſexus Apoſtolis ipſis annunciavit eamdem. Ruper. *lib.* 6. *c.* 30. Porro Chriſtus reſurgens a mortuis, primum Mariæ Magdalenæ (poſt SS. Genitricem ſuam; vide dicenda in Dom. Reſur. nu. 18.) ſe manifeſtans, voluit per debiliorem ſexum gloriam ſuæ Reſurrectionis Apoſtolis nunciari: ut, ſicut noſtræ mortis initium per mulierem in mundum intraverat, ita & reparationis initium per mulierem nun-

nunciaretur in mundo. Durand. n. 3. Beleth c. 109. Angelum item Diaconus iſte ſignificat, qui in deſerto movebat Hebræis columnam nubis, & ignis: quam indicat Cereus, ut mox dicemus. Honor. *in Gemma lib.* 3. *c.* 102. Adhuc Diaconus benedicens Cereum, ſignificat Evangelii prædicatorem, qui Chriſtum pro nobis, Paſſionis violentia, corporaliter extinctum, debet laudum benedictionibus prædicando, Reſurrectionis luminoſa gratia reddere illuſtratum. Durand. n. 3.

Dalmatica autem indutus ad benedicendum Cereum procedit, quoniam eſſe debet cœleſti converſatione adornatus, quam Dalmatica ipſa deſignat. Durand. n. 3. Quæ etiam feſtiva eſt. Vide Gavant. *in Rubric. Miſſ. par.* 1. *tit.* 19. *n.* 5. *litt. n.* & dicta hoc tr. 2. lib. 1. par. 1. c. 3. n. 15. unde & congruit benedictioni Cerei: *Exultet jam*: Durandus, Gavant. loc. cit. *n.* 6. litt. *z.* Coloris albi eſt, quia benedictio iſta, ſicut & Miſſa hodierna ad Reſurrectionem pertinet, ut notat Durandus *Rat. offic. lib.* 3. *c.* 18. *num.* 9. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 18. *n.* 5. *litt. n.* Cur autem ſolemnitati Reſurrectionis competat color albus? explicabimus ſubſ. 4. §. 2. initio.

Quod tamen ex laudatis Auctoribus dictum eſt, benedictionem Cerei Paſchalis pertinere ad Reſurrectionem, & a luminis benedictione ſolemnitatem auſpicari paſchalem: ita accipiendum eſt, ut ſolum ſignificetur: benedictionem hujuſmodi nonniſi præludium eſſe ſolemnitatis Paſchalis, & primum veluti nuncium Reſurrectionis, & prima crepuſcula aſcendentis Auroræ, proxime ſurgentis *Solis juſtitiæ*. Cæterum Paſchalis ſolemnitas incipit a Miſſa. Porro immediate poſt benedictionem Cerei Paſchalis, ſequuntur Prophetiæ, ſeu lectiones in paramentis violaceis, & ad orationes dicitur: *Flectamus genua*: quæ utique non congruunt gaudio ſolemnitatis Paſchalis, ſed temporis luctus, & mœroris; atque adeo nondum ſolemnitas paſchalis incœpit; vide dicenda inferius num. 329. & 356. & in Dom. Reſurrectionis n. 35., & in Sab. in alb. nu. 1. Fortaſſe vero per hæc gaudia mixta mœroribus indicatur Diſcipulorum Domini mixtum dolori gaudium in die Reſurrectionis ejus, cujus teſtimonia habentes gaudebant; ſed adhuc non plene credentes, luctum, & mœrorem, non pænitus excludebant; Confer Evangeliſtas, ubi de hiſtoria Reſurrectionis.

318 Candelæ Arundinis unumquid facientes in calce, & deinde diſtinctæ in tres, ſignificant myſterium Trinitatis, & unitatis Dei. *In Trinitatis honorem, Cereum in tres diviſum accendimus, rati nos Jeſu Chriſti lumine fuſos Trinitatis penitiora myſteria noſſe*: ait Thomaſſinus *de dier. feſt. Celebr. l.* 2. *c.* 14. *n.* 7. & Gavant. hic; Idque approbat Benedictus XIV. *de feſtis lib.* 1. *c.* 8. *n.* 53. Qui etiam confirmat ex eo, quod ad hujuſmodi triplicis cerei accenſionem ter repetatur: *Lumen Chriſti. Deo gratias.* Videri etiam poteſt Meratus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *n.* 15. *fine*. Biſſus V. *Arundo* §. 4. fatetur, ſe nihil inveniſſe de Auctore, ſeu origine uſus Arundinis hujus; eſſe autem antiquiſſimum, oſtendit Merat. cit. nu. 15. Claudius de Vert apud Merat. eodem n. 15. contendit, non aliunde ejus Cannæ originem extitiſſe, quam ex eo, quod principio candela

in

Digitized by Google

in angulis eſſet inflexa: quemadmodum etiamnum virgis, & cannis recurvis, in Eccleſiis, ad Altaris candelas accendendas, utimur. Sed Vertus Eccleſiaſticorum rituum originem ad ſolas naturales cauſas referendam eſſe, imaginatur, ut animadvertit Benedictus XIV. *loc. cit. nu. 56. Et lib. 2. de feſtis B. V. c. 2. nu. 9.* dicit, Vertum a Joſepho Languet Sueſſionenſi olim Epiſcopo, deinde Archiepiſcopo Senonenſi in tractatu *de vera Eccleſiæ mente in uſu ſacrarum cæremoniarum:* graviter increpari, quod cæremonias omnes Eccleſiaſticas vel ad naturales, vel ad commentitias, & ex ſuo cerebro depromptas cauſas referre, conatus ſit. Profecto Eccleſiaſticos ritus omnes gravidos eſſe myſteriis, obſervat S. Petrus Damiani lib. qui inſcribitur: *Dominus vobiſcum:* c. 17: ubi docet, quod in divinis officiis, quidquid agitur, totum pene per figuras myſticas, & Ænigmata fieri videatur, & modernos, ait, Sanctæ Eccleſiæ ritus exigere, ut virtus ſpiritualis intelligentiæ requiratur; imo in myſterio latere myſterium; & quamvis nonnulli Ritus forte frivoli videantur, attamen & ipſos, animadvertit, ſuo nequaquam carere myſterio: *Nonnulla*, (ait) *in Eccleſiaſticis obſervationibus fiunt, quæ in ſuperficie quidem frivola videntur, & levia: conſiderata vero ſubtilius, magnæ virtutis videntur veritate ſubnixa:* Hæc laudatus Sanctus Pater, quæ nonnullis confirmat exemplis. Conſonat Alcuinus celeberrimus Rituum Eccleſiaſticorum Interpres, qui in Epiſtola ad Carolum Magnum ſcribit: *Nihil ſine cauſa in Eccleſiaſticis conſuetudinibus a Doctoribus conſtitutum præcipuis.* Cur autem ab Eccleſia hujuſcemodi Symbola paſſim fideli Populo proponantur? innuit Sanctus Ivo Carnotenſis Epiſcopus Sermone in Purificatione Sanctæ Mariæ, ubi hæc habet: *Conſuetudo Eccleſiaſtica multas ex rebus geſtis retinet ſimilitudines, quibus & rerum geſtarum repræſentat veritatem, & ſimplicium corda excitat ad pietatem, ut per ea, quæ foris venerantur, ad internorum amorem rapiantur. Hinc eſt, quod ad recordationem Dominicæ Paſſionis in Eccleſia Cruces erigimus; quod tempore Aſcenſionis Vexilla, triumphum Chriſti ſignificantia, in eminentiori loco Eccleſiæ, tamquam in arcu triumphali, ſublimamus*, &c.

Dici itaque poteſt cum Gavanto *l. cit. n. 5. litt. m.* & Quarti *de benedict. tit. 2. ſect. 6. prælud. 2. prope fin.* prædictam Arundinem fortaſſe ſignificare humilitatem Paſſionis Chriſti, ex qua in fine patuit major gloria unitatis, & Trinitatis Dei. Patuit autem veluti lumen Chriſti, qui in Trinitate eſt Deus. Vel ex Athanaſio de Paſſione: ſicut Arundo ſerpentes dicitur occidere: ita Paſſio Chriſti vicit diabolum:

Diaconus annunciat *Lumen Chriſti* poſtquam intravit Eccleſiam, quia lumen veritatis fidei, & veritas doctrinæ Chriſti non eſt niſi in Eccleſia Catholica. Porro *Lumen Chriſti* videtur eſſe primo gloria Reſurrectionis ejus. Secundo veritas doctrinæ Chriſti. Tertio Myſterium Trinitatis a Chriſto Domino revelatum; ideoque tertio repetitur idem *Lumen Chriſti:* ut ſupra notavimus ex Benedict. XIV.

Clamante Diacono: *Lumen Chriſti:* reſpondetur; *Deo gratias:* Dignum enim, & juſtum eſt, Deo gratias agere, quia Filium ſuum iterum clarificavit; & quia abſcondit

 hæc

hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelavit ea parvulis.

Candelæ Arundinis non accenduntur ſimul ab initio, ſed una poſt alteram cum intervallo temporis, ac loci; & quanto magis Diaconus procedit, tanto magis elevat vocem, & clamat: *Lumen Chriſti:* quia Lumen Chriſti, jam explicatum, non ſtatim Mundo totum patuit, ſed paulatim nobis crevit, quaſi lux ſplendens proceſſit, & crevit uſque ad perfectam diem. Et primo quidem illuxit Judæis; deinde vero Gentibus; Iſaias enim dicit c. 60. *Surge illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient Terram, & caligo Populos, ſuper te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur.* Deinde vero de ipſis Gentibus ſubdit: *Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Poteſt etiam ſignificare timorem Apoſtolorum, quem ipſi primo habuerunt propter Judæos, in ordine ad annunciandum Mundo prædicta Myſteria, quæ ſignificat Lumen Chriſti; ſed tandem timore poſito: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis Terræ verba eorum.* Pſalm. 18. 5.

319 Cereus autem Paſchalis ſignificat primo Chriſtum Dominum. Secundo Columnam nubis, & ignis, quæ præcedebat Populum hæbræum in Deſerto. Alcuin. *Cap. de Sab. Sanct.* Amalar. *de Eccl. Offic. lib.* 2. *c.* 18. Rupert. *l.* 6. *c.* 29. Hugo Victor. *de ſpecial. Miſſar. obſervat. l.* 3. *cap.* 21. Beleth *cap.* 110. Durand. *in Ration. lib.* 6. *c.* 80. *n.* 4. *&* 6. Unde primitus efformabatur in figuram Columnæ: inde verba illa Præconii: *Sed jam Columnæ hujus præconia novimus:* ut notat Cavalerius *to.* 4. *c.* 21. *comment. in decr.* 4. *n.* 5. Confer Meratum *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *de Sab. Sanct. n.* 1. §. *Cereus Paſchalis.* Item tertio ex Scriptoribus Eccleſiaſticorum Rituum apud Theophilum Raynaudum *tom.* 10. *tr. de Agno cereo c.* 8. *n.* 19. *& c.* 9. *n.* 20. Cereus Paſchalis in univerſa Eccleſia inſtitutus primario fuit, ut eſſet imago Baptiſmi emblematica, & ſymbolica; quapropter Cerei magni vice, ſingulis, qui baptizabantur, unus modicus cereus dabatur; ejuſque merſio in aquam, ad clariorem hujus rei ſignificatæ demonſtrationem, præſcripta erat, inquit Raynaudus; quamvis aliter ex aliis merſionem illam interpretabimur §. 8. n. 342. Dabatur itaque parvus Cereus prædictus Neophytis, ut illum aſſervarent, ad refricandam ſuſcepti baptiſmi memoriam. Alterum quoque uſum ſecundarium, qui deinde acceſſit eidem Cereo paſchali, notabimus, & explicabimus in Sabbato in albis art. 4. num. 11.

Quod autem dictum eſt: Cereum Paſchalem ſignificare Columnam nubis, & ignis, quæ populum præcedebat hebræum in deſerto: hoc utique non ita eſt accipiendum, ut Eccleſia ſimpliciter recolat, quid Judæis acciderit; ſed potius quid in noſtri figura illis evenerit; ut ſcite animadvertit Raynaudus cit. cap. 9. nu. 21. Profecto ſcribit Apoſtolus 1. ad Cor. 10.: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes Mare tranſierunt; & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari ..... Hæc autem in figura facta ſunt noſtri.* Et iterum v. 11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Eccleſia ergo non eſt ſolicita de recolendis priſcis

ſcis ritibus hebræorum, & geſtis eorum; eodem Apoſtolo monente 2. ad Cor. 5. 17. *Vetera tranſierunt; ecce facta ſunt omnia nova*, juxta verbum Domini Apoc. 21. 5. *Ecce nova facio omnia*. Conſiderandum itaque eſt, quid per columnam illam fuerit figuratum? Nimirum quod, ſicut illa præceſſit populum ad aquas Maris rubri, in quo hoſtes illius ſubmerſi ſunt; ita iſte Cereus præcedit Neophytos ad fontes, hoc eſt ad baptiſmum (Porro, ut infra dicetur, Cereus Paſchalis præfertur ad benedictionem fontis baptiſmalis;) & Dominus nos præcedit, ut pater nobis viam uſque ad Patriam. Alcuin. *c. de Sab. Sanct.* Rupert. *lib. 6. cap. 29.* Honor. *in Gemma lib. 3. c.* 102. Durand. n. 4. Beleth c. 110. Raynaud. *cit. c. 9. n.* 22. Hugo Victor. & alii. Cereus antequam illuminetur, ſeu accendatur, ſignificat columnam nubis in die a Solis æſtu defendens populum hebræum in deſerto. Per quod poteſt indicari Chriſtus ab æſtu vitiorum nos refrigerans. Durand. n. 4. & 6. Beleth c. 110. Hugo Victor loc. cit. c. 21.

Cereus deinde illuminatus ſignificat columnam ignis, quæ præcedebat, & de nocte illuminabat populum Iſrael. Per quod poteſt indicari Chriſtus, qui nos in nocte hujus Sæculi illuminat a tenebris ignorantiæ, & peccatorum. Recte quidem Cereus Chriſtum ſignificat propter tria, quæ conſiderari poſſunt in Cereo; nimirum Cera, ellychnium, lumen. Jamvero Cera ſignificat Corpus Chriſti, ellychnium vero ejus ſanctiſſimam Animam, at lumen divinitatem ejuſdem. Durand. n. 4. & 6. S. Anſelm. a nobis laudatus tr. 1. 2. Febr. art. 3. §. 8. qu. 1. Raynaud. *to.* 1. *lib.* 3. *sect.* 3. *c.* 5. *n.* 345. & *to.* 10. *tr. de Agno cereo c.* 8. *n.* 19.

Cereus adhuc illuminatus igne novo ſignificat novam gratiam, & novam Chriſti doctrinam. Durand. n. 7. Alcuin. *c. de Sab. Sanct.* Amalar. *de Eccl. Offic. l.* 1. *c.* 20. Hugo Victor. *de ſpecial. Miſſar. obſervat. lib. 3. cap.* 23.

Cereus, qui prius extinctus apparuerat, & deinde illuminatus eſt, ſignificat Chriſtum a morte ad vitam immortalem glorioſe reſurgentem, ſeque ſuis diſcipulis oſtendentem. Rupert. *de div. offic. lib. 6. c.* 28. & cum Gavanto Benedictus XIV. *tom.* 1. *Notific.* 39. *n.* 8.

Cereus eſt magnus, (magnitudinis licet non determinatæ, ſed juxta conſuetudinem ſingularum Eccleſiarum. Videri poteſt Merat. *tom.* 1. *par.* 4. *tit. de Sabbato Sanct. n.* 1. §. *Cereus Paſchalis*:) & item lumen magnum habet, & non emortuum, ſed vivum, ut indicant verba præconii ſtatim commemoranda, & convenit, ut meliori modo, quo fieri poſſit, exprimat, quod ſignificat: Dur. nu. 8. hoc eſt Divinitatis plenitudinem in Chriſto fuiſſe. Beleth *de div. offic. c.* 107. Item *Claram reſurgentis magnitudinem præclari ſignificat magnitudo Cerei:* ait Rupert. *lib. 6. cap.* 29. Ideoque ubi Diaconus invitat Eccleſiam, ut ipſa lætetur tanti luminis adornata fulgoribus; & adſtantes rogat, velint una ſecum, Domini miſericordiam invocare ad tam miram hujus luminis claritatem; Paſchalis Cerei quidem indicat lumen: verum de ſignificato id intelligit, ſcilicet de Chriſto: ut notat Durandus nu. 8. Cur tamen hujuſmodi verba, quæ Cereum indicant jam accenſum, dicantur antequam accen-

cendatur? videri poteſt apud Merat. *tom. 1. par. 4. tit. 10. de Sab. Sancto num. 24.*

Nec caret myſterio, quod Diaconus accendat Cereum cum una ex tribus candelis in arundine poſitis; ſed quodnam illud? ex Ruperto *de div. offic. l. 6. c. 29.* per id *illud innuitur, quod extinctam in Sepulchro jacentem humanitatis Chriſti ſubſtantiam de ſupernis aſpirans ignea Divinitatis potentia rurſus animavit, & ſicut vere rutilans ignis, gloria beatæ reſurrectionis hac nocte in perpetuum nobis gaudium feliciter illuxit.* Dicit inſuper Gavantus *in Rubr. Miſſ. part. 4. tit. 10. num. 10.* quod, quemadmodum tres illæ candelæ inclinantur verſus Cereum, & cum una tantum ex iis accenditur; ita Reſurrectio Chriſti eſt effectus quidem totius Trinitatis, ſed potiſſimum Verbi, quod Animam carni rurſus univit, & immortalitatis glorioſa luce veſtivit; utique Chriſtus Dominus, ait Joann. 2. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ille autem* (ut explicat Joan. ibidem v. 21.) *dicebat de Templo Corporis ſui.* Et iterum Joan. c. 1. v. 17. & 18.... *Ego pono animam meam, & iterum ſumam eam. Nemo tollit eam a me: ſed ego pono eam a me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Vide D. Thom. 3. *par. qu.* 53. *art.* 4.

320 Antequam vero Cereus accendatur, quinque grana incenſi infiguntur in eo in formam Crucis. In hoc item uno ſunt myſteria plura. Porro grana incenſi ſignificant aromata, quæ Mulieres emerunt, ut ungerent Crucifixum Dominum. Ruper. *lib. 6. cap.* 31. Rurſus quinque grana incenſi ſignificant quinque vulnera Chriſti. Durand. *num.* 8. & 9. Belet *c.* 107. fine. Grana incenſi in formam Crucis infixa Cereo ſignificant Paſſionem Chriſti, quæ fuit Sacrificium veſpertinum: ideo dicitur in hac benedictione ad infixionem prædictorum granorum: *Suſcipe Sancte Pater incenſi hujus ſacrificium veſpertinum.* (ly: *incenſi:* non referri ad grana incenſi, ſed ad Cereum, contendit cum Verto Meratus *to. 1. par. 4. tit. 10. de Sab. S. c.* 24. probatque argumentis, quæ videri poſſunt apud eumdem.) Crucis figura in Cereo efformatur, vel etiam depingitur, ut Chriſtum demonſtret Crucifixum. Rupert. *lib. 6. cap.* 29. ſub *quo curvantur, qui portant Orbem.* Job. 9. 13. Ideo puto hic dicit: *Curvat imperia.*

Poſt prædicta fit Cerei illuminatio, quia poſt paſſionem ſecuta eſt paſſionis gloria. Durand. n. 9. Ideo etiam, ut obſervat Quarti l. cit. dum benedicitur Cereus, & canitur triumphus Reſurrectionis, tenetur ibi Arundo, & ſuper arundinem tres candelæ accenſæ refulgent, quia nimirum, ut ex eodem Quarti, & Gavanto diximus ſupra, arundo eſt ſymbolum humilitatis Chriſti, & opprobrii, quod iu ſua paſſione ſuſtinuit. Triangulo autem candelarum, ut etiam ſupra notavimus, Sanctiſſima Trinitas deſignatur, cujus virtute Chriſtus reſurrexit, indeque opprobrium in gloriam tranſit; etenim Dominus Chriſtus, ut ait Apoſtolus ad Philip. 2. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum &c.*

Accenduntur denique lampades ſumpto lumine a Cereo ipſo vel a candelis arundinis; ut, ſicut Cereus illumi- 321

Digitized by Google

minatus igne novo ſignificat novam gratiam, & doctrinam Chriſti: quemadmodum ſupra diximus; ita demonſtretur ab eodem oriri tum gratia, tum doctrina Apoſtolorum, qui ſunt lux mundi: & Chriſtus ipſe reſuſcitatus ſtatim accendit in Apoſtolis ignem Spiritus Sancti, quando in ipſo Reſurrectionis die *inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum*. Joan. 20. 22. Rurſus quia Chriſtus eſt, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Joan. 1. 9. Ita Rupert. *lib.* 6. *c.* 29. Dur. n. 11. Gavant. n. 11. Beleth c. 106. & 107. Amalar. *in Antiphonar.* c. 44. fine. Item quod lampades extinctæ accendantur novo igne, & ſumpto lumine a Cereo, vel a candelis arundinis, præfigurat futuram omnium Reſurrectionem, præſertim juſtorum, cujus exemplar eſt Reſurrectio Chriſti. Ita cum Durando Quarti *de benedict. tit.* 2. *ſect.* 6. *prælud.* 2. *fine*.

322 In præconio ad benedicendum Cereum, illa verba: *O felix culpa: o certe neceſſarium Adæ peccatum:* videntur Grancolæ multum obſcura, ut refert Caval. *tom.* 4. *c.* 21. *Comment. in decr.* 4. *nu.* 4. Sed & abraſerant nonnulli Veterum, ut videre eſt apud Edmundum Martene *de antiqu. Eccl. Ritib. to.* 3. *lib.* 4. *c.* 24. *n.* 6. eo quod male invecta credidérint, non aſſequuti ſenſum, in quo ab Eccleſia pronunciantur; ſed vide dicta a nobis tr. 1. 1. Januar. art. 1. qu. 2. n. 5. §. *Ad ſecundum dico*.

Quod autem in benedictione Cerei ſæpe fiat mentio noctis tamquam præſentis, licet ſimus in die, ſeu plena luce: id eſt, quia olim hæ functiones Sabbati Sancti fiebant in nocte, ut explicavimus art. 3. ſect. 2. ſubſect. 2. eo quod Dominus Reſurrexerit in nocte, ſeu verſus Auroram, ut indicabimus infra nu. 350. & licet Eccleſia indulgens temporibus, nunc myſteria hæc celebret ante meridiem, hujuſmodi nihilominus verba, in quibus fit mentio noctis, non credidit ab hodiernis officiis reſecanda; proculdubio tamquam valida antiqui teſtimonia moris, & diſciplinæ veteris argumenta.

§. V.

De Prophetiis, & Catecheſi Baptizandorum.

COMPLETA *benedictione Cerei, Diaconus, depoſitis albis, ſumit violacea paramenta, & vadit ad Celebrantem, qui exuitur pluviali, & ſumit manipulum, & caſulam violacei coloris. Poſtea leguntur Prophetiæ ſine titulo: & Celebrans legit eas ſubmiſſa voce ad Altare in cornu Epiſtolæ. In fine Prophetiarum dicuntur orationes modo ſubſcripto. Ante, vel interim dum Prophetiæ leguntur, Presbyteri catechizent Catechumenos baptizandos, & præparent ad Baptiſmum*. Rubr. Miſ. hic. 323

Cantato *Exultet*, & completa benedictione Cerei paſchalis, Diaconus librum claudit, & in ſuo loco relinquit; Acolythus ſtatuit Arundinem ſuper ſuam baſem non procul a Cereo in cornu Evangelii; de ritu ſeu Rubrica accendendi Cereum tempore paſchali, dicemus ſubſ. 4. n. 352.) Thuriferarius deponit thuribulum, & Subdiaconus Crucem in loco congruo ex parte Epiſtolæ, ubi, ſi præcedenter non ſumpſerit, (recole dicta §. 1. num. 303.) aſſumit manipulum violaceum ex Credentia, ad quam item Diaconus, depoſitis al-

albis, induit paramenta violacea, ſcilicet manipulum, ſtolam diaconalem, & planetam plicatam. (Porro unus, & idem debet eſſe Diaconus, qui præconium cantat, & Celebranti aſſiſtat in ſubſequenti officio, & Miſſa; ſecus facientes reprehendit cum aliis Meratus *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *n.* 11. tamquam Rubricæ Miſſalis violatores, nec patrocinium habentes Cæremonialis ullius.) Interim ope Cæremoniarii, & alicujus Acolythi Celebrans exuitur pluviali, quod portatur ad Credentiam, & inſimul, nihil dicens, induitur planeta violacea, & manipulo, ſemper perſiſtens in eodem cornu Epiſtolæ; ad quod ſtatim ac, ut ſupra, induti ſunt, pergunt Diaconus, & Subdiaconus, ut eidem Celebranti aſſiſtant; ex Credentia portatur itidem Miſſale ad Altare, & collocatur in cornu Epiſtolæ, & legile Præconii cum ſuo Miſſali removetur, & aſportatur ad medium Chori; niſi inibi jam aliud fuerit collocatum. Caval. *tom.* 4. *c.* 21. *comm. in decr.* 5. *num.* 1.

Celebrante, & Miniſtris paratis, poſtea leguntur Prophetiæ, ſeu duodecim lectiones de Scriptura a Celebrante, & duodecim Lectoribus; ſi autem ob Cleri paucitatem unus legat plures earumdem, id minime præſtet ſucceſſive, & immediate, ſed cum aliquorum interruptione. Primas legant minores, poſtremas majores; niſi alia ſit Eccleſiarum conſuetudo. A Celebrante legantur in cornu Epiſtolæ, ſtante Diacono a dextris ejus, & Subdiacono a dextris Diaconi, ſicut ad introitum Miſſæ: quas prophetias initium Miſſæ hodiernæ putavit eſſe Hugo Victor. quod tamen negant De-Lugo, & alii; vide dicta art. 3. ſect. 2. ſubſ. 2. A Lectoribus autem legantur in medio Chori, ubi collocatum eſt legile, ad quod accedentes manibus junctis, ibi facta genuflexione Cruci, & ſalutatis iis de Choro ex utraque parte, manibus ſuper librum poſitis, in feriali tono cantant prophetias voce quidem ſonora, & intelligibili, non tamen moroſa ſed expedita; & eaſdem interim ſimiliter legit Celebrans ad Altare ſubmiſſa voce. Caval. l. cit. n. 2. & 3. Merat. n. 29. & 30.

Leguntur Prophetiæ ſine titulo, & in earumdem fine non respondetur: *Deo gratias*. Rubr. gen. Miſ. tit. 10. num. 1.

Si Celebrans voluerit ſedere, a ſe lecta prophetia in cornu Epiſtolæ, cum Sacris Miniſtris ibi Cruci ſimplicem inclinationem faciat, & per breviorem viam, nudo capite, ad ſcamnum pergat, quod debet eſſe nudum, vel ad ſummum coopertum panno violaceo, & ſuper illud cum ſacris Miniſtris ſedeat tecto capite. Quando autem Lector, reſpective, aut Chorus, eſt circa finem prophetiæ, vel tractus, Celebrans cum ſacris Miniſtris tempeſtive ſurget, & accedet ad Altare nudo capite, pro dicenda oratione: & ſi eat per longiorem viam, (quam aliqui putant propriorem, & devotiorem:) ante Altaris medium faciet Cruci reverentiam; genuflectentibus ſacris Miniſtris; ſi vero per breviorem, (quæ eſt expeditior, & commodior:) nullam Celebrans faciet Cruci reverentiam, neque Miniſtri genuflexionem. Caval. *in cit. dec.* 5. *num.* 4. Merat. num. 32.

Lector finita prophetia non vadit ad oſculandam manum Celebrantis, ſed apud legile verſus librum genu-

ile-

flectit utroque genu, quia ad prophetiam ſequitur *flectamus genua*: & dum Subdiaconus dicit: *Levate*: continuo ſurgit, & ſalutatis iis de Choro, pergit ad locum ſuum; quando autem ad prophetiam ſequitur Tractus, lector in fine Prophetiæ unicum dumtaxat flectit genu Cruci, & ſalutatis iis de Choro, recedit. Ubi unus lector receſſit, ſtatim lector alter accedit ad legile cum iiſdem cæremoniis prædictis, ſimiliterque recedit completa prophetia. Caval. n. 2.

Ad cujuſvis prophetiæ, vel Tractus finem Diaconus, & Subdiaconus ſe conſtituunt poſt tergum Celebrantis unus poſt alium, & dicto a Celebrante: *Oremus*: cui non præmittitur: *Dominus vobiſcum*: Diaconus dicit: *flectamus genua*: & tunc omnes, præter Celebrantem, genuflectunt unico genu, ſurgunt vero, dum Subdiaconus ſurgens mox dicit: *Levate*: & Celebrans ſubſequentem orationem cantat manibus extenſis, ut in Miſſa. Poſt ultimam vero prophetiam, non dicitur: *flectamus genua*: (ob rationem ſequenti §. aſſignandam:) nec ſubſequens *Levate*: ideoque Celebrans ſtatim recitat orationem.

Ante, vel interim dum prophetiæ leguntur, Presbyteri catechizent, id-
324 eſt inſtruant baptizandos Catechumenos, eoſque præparent ad baptiſmum, ſi adſint. Porro baptizandi adulti inſtruendi ſunt ante baptiſmum in myſteriis fidei: *C. Ante baptiſmum*. 54. & *C. Ante viginti*: 55. aliiſque ſequentibus *diſt*. 4. *de conſecr.* Ideoque dicuntur Catechumeni, ideſt Auditores, ſubintellige, myſteriorum fidei. Rupert. Abb. *de div. offic. l.* 4. *c.* 18. De ritu autem catechizandi pro baptiſmo, videatur Rituale Rom. Pauli V.

Qu. hic: utrum Celebrans, ſeu 325
Sacerdos, qui in Sabbato Sancto officium peragit ad Altare, teneatur legere prophetias: an vero poſſit, illas tantum audire, dum ab aliis leguntur modo prædicto?

℟. Teneri legere, negant Auctores, quos laudavimus in Dom. Palm. ſubſ. 3. §. 4. q. 3. quibus adde Tonellium, relatum a Cavalerio in ſupr. cit. d. 5. Qui autem affirmat cum Biſſo, teneri eaſdem legere, eo quod Rubrica de hiſce prophetiis habeat: *& Celebrans legit eas ſubmiſſa voce ad Altare in cornu Epiſtolæ*: ſubjitque Caval. *Sane non niſi conſimilia verba tenent* (Rubricæ) *de Epiſtola, & Evangelio, aliiſque, quæ in Miſſa ſolemni per ſacros Miniſtros, & Chorum cantantur; & tamen reperire non eſt, qui ab onere eadem ſubmiſſe dicendi Celebrantem abſolvat; quidni igitur idipſum etiam erit in præſenti caſu?* Quod hic aſſerit Cavalerius, non inveniri, qui abſolvat Celebrantem ab onere legendi ſubmiſſe, quæ in Miſſa ſolemni per ſacros Miniſtros cantantur; ſi de obligatione ſaltem gravi ſermo ſit, falſum convincitur ex iis, quæ obſervavimus l. cit. in Dom. Palm. quamvis nos ipſi Cavalerio potius adhæreamus. V. ibi dicta

§. VI.

Myſtica expoſitio prædictorum.

PROPHETIÆ, ſeu lectiones, quæ le- 326
guntur poſt benedictionem Cerei paſchalis, ſignificant Chriſti doctrinam; & quia hæc per duodecim Apoſtolos primum communicata eſt, ideo duodecim ponuntur lectiones, in honorem, ſcilicet, duodecim Apoſto-

Digitized by Google

poſtolorum. Leguntur autem ad inſtructionem Catechumenorum hodie ſolemniter baptizandorum, ut dicetur §. ſequenti. Honor. *in Gemm. lib.* 3. *c.* 108. Rupert. *de divin. offic. l.* 7. *c.* 2. Durand. *in Ration. c.* 81. *num.* 1. *&* 10. Alcuin. *C. de Sabbato Sancto*. Amalar. *de Eccl. off. lib.* 1. *c.* 19. *&* 20. Non tamen omitti poſſunt, etiamſi non adſint Catechumeni inſtruendi, & baptizandi: ſicut nec alia ſimilia omittuntur, eoſdem ſimiliter reſpicientia. In prima quidem lectione inſtruuntur, & illuminantur baptizandi contra errorem Manichæorum, ne ſcilicet credant Manichæis, qui dicunt: hæc omnia viſibilia a quodam malo principio quod Diabolum eſſe, ponunt, fuiſſe creata. Inſtruuntur item de eo, quod Anima hominis ad imaginem Dei facta ſit: unde facile colligant, hominem a Domino Deo creatum ad hunc finem, ut ſcilicet Dominum Deum ſuum laudet, ac revereatur, eique ſerviens, tandem ſalvus fiat. Sed quia imago Dei in homine deformata eſt per peccatum, reformatur autem per baptiſmum, hinc ſequitur ſecunda lectio. Durand. n. 3. 8. & 10.

In ſecunda enim lectione inſtruuntur baptizandi de neceſſitate baptiſmi ſub figura Diluvii univerſalis, & Arcæ Noe. Durand. n. 11. & quod per Chriſtum omnia fuerint reſtaurata, & renovata, quæ per peccatum fuerant depravata: ut innuit oratio, quæ hujuſmodi ſecundam ſequitur lectionem.

In tertia lectione inſtruuntur baptizandi exemplo Abrahæ, ut accedentes ad ſervitutem Dei, præparent animam ſuam ad tentationem. Durand. nu. 11. Eodem item exemplo docentur meritum fidei, ad quam vocantur.

In quarta lectione inſtruuntur baptizandi de efficacia baptiſmi ſub figura Maris rubri, per quod Egyptios evaſit populus Iſrael, & in quo merſi ſunt hoſtes illius. Unde datur intelligere, quod uni populo a perſecutione Ægyptiaca liberando dexteræ ſuæ potentia contulit Deus, id in ſalutem Gentium per aquam regenerationis operari: ut dicitur in oratione, quæ quartæ ſubjitur lectioni; nam ſicut in Mari rubro ſubmerſis Ægyptiis, liberati ſunt Hebræi, ita & in baptiſmo ſubmerſis vitiis, & peccatis, liberatur populus Dei. Durand. n. 4. & 11.

In quinta lectione invitantur Catechumeni ad aquas baptiſmi: id ſignificatur per ea verba: *omnes ſitientes venite ad aquas*. Dur. n. 11. Inſtruuntur item de vita beata, & de bonis moribus, per quos ad eam venitur, quæ in hac quinta lectione docentur: *Hæc eſt hæreditas Servorum Domini, & juſtitia eorum apud me: dicit Dominus*: ut incipit hæc lectio. Siquidem vita æterna eſt hæreditas, quæ Servis Domini debetur, & juſtitia eorum eſt apud Deum; nam meritis eorum juſte debetur, ut apud eum æternaliter quieſcant. Ea vero, quæ ſequuntur, ad bonos mores pertinent: ut illud: *Audite audientes me, & comedetis bonum, & delectabitur in craſſitudine Anima veſtra*. Per bona intelligit ipſum Chriſtum, vel verbum ejus, quo Anima reficitur; unde appoſite delicias animæ, non carnis dixit: *Delectabitur in craſſitudine Anima veſtra*. Dur. n. 8.

In ſexta lectione docentur Catechumeni veram ſapientiam non inveniri niſi in Eccleſia Chriſti. Item Du-

Durand. n. 11. dicit : in hac ſexta lectione agi de Chriſti Reſurrectione, quæ in baptiſmi immerſione ſignificatur ibi per ea verba in fine : *Poſt hæc in terris viſus eſt , & cum hominibus converſatus eſt*.

In ſeptima lectione agitur de generali Reſurrectione, cujus cauſa præceſſit Reſurrectio Chriſti. Dur. num. 11. In hac itaque lectione ſeptima inſtruuntur Catechumeni de fide, & ſpe Reſurrectionis univerſalis in fine Mundi.

In octava lectione ſignificatur Catechumenis, ut non deſperent propter ſua ipſorum vitia, & peccata quoniam poſtquam abluerit Deus ſordes eorum aqua baptiſmatis; ſcient, quod, qui cœpit in eis opus bonum, ipſe perficiet, ſolidabitque, & augebit incrementa frugum juſtitiæ eorum; ut indicat oratio, quæ octavæ huic lectioni ſubjicitur. Item in hac ipſa lectione contineri, & exprimi Sacramenta Chriſti, & Eccleſiæ, ſentit Durand. num. 5. & 11. quæ quænam juxta ipſius interpretationem ſint? videri poſſunt cit. n. 5.

In nona lectione ſub figura Agni immolati, Chriſti paſſio pro nobis immolati exprimitur. Dur. n. 11. Inſtruuntur itaque baptizandi in hac nona lectione, de Paſſione Domini Salvatoris.

In decima lectione indicatur Catechumenis, ut ex corde eos pœniteat peccatorum, & de pœnitentiæ efficacia, exemplo Ninivitarum.

In undecima lectione inſtruuntur Catechumeni de ultione, quam Deus ſumet de ipſis, ſi poſt baptiſmum peccare auſi fuerint, & mandata legis ſuæ tranſgredi; ut etiam timore pœnarum juventur, ad baptiſmalem innocentiam conſervandam. Ne autem abundantiori triſtitia abſorbeantur, orat Sacerdos Dominum, ut det lætitiam cordi eorum, mitigando terrorem, ut omnium peccatis, ejus remiſſione, deletis, quod denunciatum eſt in ultionem, tranſeat in ſalutem.

In duodecima denique lectione inſtruuntur Catechumeni de conſtantia in fide: ut ſcilicet potius mori, parati ſint, & graviora pati tormenta, quam fidem deſerere: exemplo propoſito trium puerorum. Dicit etiam Durandus nu. 11. fine: in hac ultima lectione figurate oſtendi, quod ſicut Angelus in camino ignis flammam extinxit, ita Spiritus Sanctus per baptiſmum flammam peccati extinguit. Hæc ex Durando: videri etiam poteſt Amalar. *de eccl. offic. lib. 1. c. 19.*

Lectiones omnes prædictæ leguntur 327
ſine titulo, quia adhuc ſine capite, Chriſto nondum viſo ab Apoſtolis, videtur eſſe Eccleſia. Rupert. lib. 7. c. 9. Durand. nu. 1. Beleth c. 110. Vel titulum ad lectiones non pronunciamus, quia Neophytos adhuc in frontibus eorum ad regnum Dei non ſignatos ſignamus. Honor. *in Gem. lib. 3. cap. 103.* Vel tacentur tituli, ne Catechumenis de Gentilitate venientibus, hebræorum Auctorum nominibus auditis, lectiones vileſcant: ſemper enim inter Judæos, & Gentiles quaſi naturale odium fuit. Alcuin. *C. de Sab. S* Amalar. *de Eccl. Offic. lib. 1. c. 21.* Hugo Victor. *de ſpecial. Miſſ. obſervat. lib. 3. c. 24.* Durand. nu. 1. Vel ad repræſentandam cœcitatem Catechumenorum, qui neſciunt doctrinæ noſtræ originem. Alcuin. l. cit. Adderem ego: ſine titulo lectiones de Scriptura legi, ut Catechumeni intelligant; eo-

rum, quæ dicuntur in eis, principalem Auctorem eſſe Deum, atque adeo tamquam verbo Dei fidem omnem ſe illis præſtare debere.

Eædem lectiones ſine tono leguntur, quoniam in eis inſipientes, & Catechumeni ſimplices inſtruuntur. Ita Durand. n. 1. Beleth c. 110.

In fine lectionum non reſpondetur: *Deo gratias:* quia repræſentamus nunc tempus, quo Chriſtus jacebat in Sepulchro, atque adeo eſt tempus luctus; unde ſicut ideo abſtinemus a *Gloria Patri*, ita & ſimilibus loquendi modis feſtivioribus. Gavant. *in Rubr. Miſſ. part.* 1. *tit.* 10. *num.* 1. *litt. n.*

328 Poſt quartam, octavam, undecimam, & ubi ſit fons baptiſmalis, etiam poſt duodecimam lectionem cantatur Tractus. Diximus lib. 3. par. 1. c. 2. n. 3. Tractum indicare tribulationem, & luctum ſolemnem. Hic autem num. præcedenti notavimus, omitti modos loquendi feſtiviores, eo quod adhuc ſit tempus luctus propter ſepulturam videlicet Chriſti Domini, quam nunc repræſentamus ante Miſſam; atque adeo Tractus non incongrue hic ponuntur; quantumvis in proxime præcedenti benedictione Cerei intimata fuerit exultatio propter expectationem ſcilicet proximæ Reſurrectionis Domini; videri etiam poſſunt dicenda inferius ſubſ. 4. §. 2. n. 356. verſus finem. Cæterum etſi Tractus ſignificet luctum: nihilominus aliquando etiam ſonare lætitiam, docent Amalarius *de Eccl. Offic. lib.* 3. *c.* 14. & Hugo Victor. *in ſpecul. Eccl. c.* 7. & *de obſervat. Miſſ. lib.* 3. *c.* 3. Et hujuſmodi poſſunt exiſtimari præſentes Tractus: eorum enim ſententiæ, præſertim priorum trium præſeferunt lætitiam, & exultationem; & ideo fortaſſe Cantica vocantur apud Scriptores de ritib. eccl. licet Durandus n. 13. & Amalar. *lib.* 1. *c.* 22. dicant, vocari cantica, quia cantantur; confer Merat. *tom.* 2. *ſect.* 5. *c.* 9. *n.* 2. Vel quia libri, unde hi Tractus excerpti ſunt, cantica, ſive carmina vocantur.

Eſt autem Canticum, ſeu Tractus hic Sanctorum interceſſio facta pro Catechumenis, ut Eccleſiæ jungantur; ſicut & cantus poſt baptiſmum, eſt gratiarum actio de conjunctis, & interceſſio, ut perſeverent. Ideo autem Cantica, ſeu Tractus cantantur, quia Cathecumeni, quorum eſt hujus diei officium, (licet ejuſdem quoque magna pars ad Reſurrectionem Chriſti Domini ſpectet, ut innuimus §. 2.) futuri ſunt in proximo de cœtu centum quadraginta quatuor millium cantantium quaſi Canticum novum Apoc. 14. Cantantur etiam propter futuram eorum renovationem in veram innocentiam, quaſi jam factum ſit, quod mox futurum eſt; ex perſona enim baptizandorum Cantores Cantica canunt, ſeu Tractus prædictos. Amalar. cit. c. 22. Durand. cit. n. 13. & Honor. *in Gemm. lib.* 3. *c.* 107. *fine*. Hujuſmodi denique Cantica ſunt indicia exultantium Cathechumenorum de proximo baptiſmo, ſed non ſine timore propter pericula hujus vitæ: unde vocantur Tractus, ideſt luctus; juxta illud Pſal. 2. 11. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Rupert. *de Eccleſ. Offic. lib.* 7. *c.* 9. & Durand.; vide etiam dicenda ſubſ. 4. §. 2. n. 356. verſus finem. Quatuor ſunt Cantica, primum Canticum poſt quartam lectionem, eſt Canticum lætitiæ, & exultationis ob partam victoriam. Ni-

Nimium exultat populus Chriſtianus; quia a Spiritualibus Ægyptiis per baptiſmum eſt liberatus, ſicut Judæi a corporalibus. Durand. n. 4. & 11.

Secundum Canticum poſt octavam lectionem dicitur in perſona Synagogæ, & Eccleſiæ; quod explicat Durand. n. 7. qui videri poteſt.

Tertium Canticum poſt undecimam lectionem eſt Canticum laudis, ſeu approbationis divinæ ſententiæ adverſus eos, qui legem non ſervaverint; & dicitur in perſona Catechumenorum; cum enim in præcedenti lectione, ipſis comminata fuerint divina ſupplicia, ſi legem violaverint, ut dictum eſt ſupra nu. 326. ubi de undecima lectione: hinc ſubjiciunt, atque fatentur: Deum juſte facturum, juſtum & Sanctum Dominum, & in eo non eſſe iniquitatem; vera opera ejus, & omnes vias ejus judicia; ideo dant magnificentiam Deo.

Quartum Canticum dicitur poſt duodecimam lectionem, ubi ſit fons baptiſmalis; dicitur autem in perſona Catechumenorum deſiderantium ad fontem baptiſmi pervenire, ſicut Cervus deſiderat ad fontes aquarum venire, ut dicit Auguſtinus laudatus a Durando n.8. & explicat oratio ipſa, quæ poſt hujuſmodi Canticum recitatur.

Ideo autem quatuor Cantica dicuntur, quia Scripturæ, de quibus Catechumeni inſtruuntur, quatuor habent intellectus, inquit Durandus nu. 13. Primum Canticum habet intellectum hiſtoricum: ſecundum allegoricum: tertium moralem: quartum anagogicum: quorum unumquodque ſubditur lectioni in eodem dogmate conſiſtenti: ut idem Durandus obſervat.

329 Poſt lectionem, & Canticum, ubi dicendum ſit, ſeu poſt Tractum Oratio recitatur; orationes autem ad lectiones tractuſque reſpiciunt præcedentes: ubi notandus cum Durando n. 14. ordo præpoſterus: alias enim primo Sacerdos orat, ſecundo legit lector, & exinde ſuccinit Cantor. Hic vero primo legitur, ut Neophytis doctrina fidei proponatur: ſecundo cantatur in perſona illorum, ut recognoſcatur, quanta ſit devotio, & hilaritas baptizandorum: qua cognita, Sacerdos orat confidenter, ut eorum devotio non deficiat, ſed incrementa ſuſcipiat. Ita Durand. nu. 14. Rurſus orationes indicant expectationem, & deſideria Sanctorum Patrum circa Redemptionem per Chriſti Reſurrectionem. Raban. *Inſtit. Clericor. lib.* 2. *c.* 28.

Ante orationes, pertinentes ad duodecim prædictas lectiones, non dicitur: *Dominus vobiſcum:* quia Dominus nondum reputatur eſſe nobiſcum, dum redivivus nobis nondum apparuit: ut ſignificat Durand. cit. c. 81. fine.

Ante orationem dicitur: *Flectamus genua*: quia nondum cœpit tempus paſchale, ſed durat adhuc tempus quadrageſimale, ſeu pœnitentiæ, & humilitatis. Flectimus autem genua ad orationem; ut oratio, quæ fit cum jejunio, addita humilitate, ſit efficacior. Durand. *in Ration. lib.* 4. *c.* 14. *n.* 3. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 2. *tit.* 5. *n.* 4. Diaconus dicit: *flectamus genua:* loquens in prima perſona, excitans ſe, & omnes ad orandum humiliter, & devote. Mox Subdiaconus ſubdit: *Levate*: loquens in ſecunda perſona; ſcilicet in perſona Chriſti, quaſi ipſe Chriſtus dicat: ſurgite, quoniam veſtram humilitatem, & devotionem video. Durand.

rand. l. cit. num. 4. *Inſuper, & quoties genua flectimus, & rurſus erigimur, ipſo facto oſtendimus, quod ob peccatum in terram delapſi ſumus, & per humanitatem ejus, qui creavit nos, in Cœlum revocati ſumus.* Ita S. Baſilius magnus. *lib. de Spiritu Sancto cap.* 27. Ante ultimam vero orationem, quæ eſt poſt duodecimam lectionem, non dicitur: *Flectamus genua*: atque adeo non genuflectitur; idque in deteſtationem ejus, quod Nabuchodonoſor Rex in contemptum Dei coegit populum genua flectere ante ſtatuam auream, quam erexerat: ut in prædicta lectione narratum eſt; & ad ſequendum exemplum Sanctorum trium puerorum, qui ſtatuam prædictam non adorarunt. Durand. *lib. 6. cap.* 81. *n.* 11. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 4. *tit.* 10. *n.* 17.

§. VII.

De benedictione Fontis baptiſmalis, & celebratione Baptiſmi.

330 HIS *expletis, Si Eccleſia habuerit fontem baptiſmalem, Sacerdos benedicturus fontem, accipit pluviale violaceum, & præcedente Cruce, cum Candelabris, & Cereo benedicto accenſo, deſcendit cum Clero, & Miniſtris paratis ad fontem: & interim cantatur ſequens Tractus:* Pſal. 41. *Sicut cervus* &c. Rubr. Miſſ. hic.

Prophetiis expletis, proceditur illico ad benedictionem fontis baptiſmalis. Aqua fontis baptiſmalis benedicitur ex traditione Apoſtolica, ut ex Sanctis Patribus habetur; Vide Merat. *to.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *de Sab. Sancto nu.* 37. Benedicitur autem in hoc Sabbato Sancto, & in Sabbato ante Dominicam Pentecoſtes, quia in his celebratur baptiſmus, ſeu ſolemniter miniſtratur, ut infra dicetur.

Benedictio fontis baptiſmalis non fit ubivis, ſed ſolum in Eccleſiis, quæ gaudent jure ejuſdem fontis: fruſtra enim ſanctificaretur aqua pro regenerandis populis, ubi uſus fontis non eſt, aut jus conferendi baptiſmatis; & ideo rite Miſſale mandat, faciendam eſſe benedictionem fontis in Eccleſiis, in quibus eſt fons baptiſmalis; cæteras vero Eccleſias illico tranſire facit ad Sanctorum Litanias, prætermiſſa benedictione fontis. Vid. Caval. *to.* 4. *c.* 22. *comm. in decr.* 1. *a n.* 6. Cujus tamen fontis ſolemnis benedictio eſt omnino facienda in Eccleſiis habentibus fontem baptiſmalem, etiamſi in dictis Sabbatis baptizandi non adſint; abſolute enim Miſſale Romanum dictis Eccleſiis demandat benedictionem fontis: quamvis celebrationem baptiſmi nonniſi ſub conditione: *Si aderunt baptizandi, eos baptizat more conſueto.* Ut animadvertit Caval. loc. cit. n. 4. & iterum dicetur inferius.

Item hæc benedictio fontis in dictis Eccleſiis facienda eſt in præfatis Sabbatis, etiamſi ex defectu Cantorum, & Miniſtrorum non poſſit haberi ſolemniter; ut docet Caval. loc. cit. n. 5. arguitque ex eo, quod Benedictus XIII. functiones omnes hebdomadæ majoris, inter quas, dubio procul ait, enumeratur & benedictio fontis, in Parochialibus omnibus habendas eſſe, decrevit, etiam ſine numero Cantorum, vel Miniſtrorum, ubi ob horum defectum ſolemniter haberi non valeat; ex decreto autem S. R. C. in *Lucana* ann. 1755. *Qui facultatem obtinent, fontem benedicendi,*

Digitized by Google

di, quatuor ſaltem Clericos in miniſterio habebunt : ut videbimus infra numer. ſequ.

Animadvertendum vero eſt, alicubi uſum adeſſe, quod Parochi proprium fontem particulariter non benedicant, ſed ex fonte Matricis aquam conſecratam aſportent in fontem baptiſmalem ſuæ ipſorum Eccleſiæ, qua utantur in collatione baptiſmi. Vid. Caval. *cit. c.* 22. *in decr.* 10. *n.* 1. Ubi autem adeſt hujuſmodi conſuetudo, ſervetur decretum dandum inferius n. 337.

In eadem prædicta Lucana S.R.C. interrogata : *An ferenda ſit immemorabilis, aut antiqua conſuetudo Parochorum benedicentium ſacrum fontem de mane, aut in Veſperis dierum feſtorum Paſchatis, & Pentecoſtes, aliorumve feſtorum, juxta præſcriptum Ritualis Romani, ubi agit de benedictione fontis baptiſmi extra Sabbatum Paſchæ, & Pentecoſtes, cum aqua conſecrata non habetur? Reſp. Parochos habentes facultatem benedicendi fontem baptiſmalem, Sabbatis diebus Paſchatis, & Pentecoſtes dumtaxat, & non aliis diebus illum de mane benedicere debere. Qui vero hanc facultatem non habent, ab ejus benedictione ſe abſtinere tenentur.* S. R. C. 12. April. 1755. in *Lucana*. Apud Caval. *tom.* 5. *in collect. recentior. decretor.*

Benedictio aquæ in Sabbato Sancto, etiam ſine infuſione olei ſancti, fieri non poteſt in Eccleſiis non habentibus fontem baptiſmalem, quamvis uſus ſit in hujuſmodi Eccleſiis talem benedictionem fieri. S. R. C. 13. Julii 1697. in *Januen.* apud Caval. to. 4. c. 12. decr. 5. Nonnullis viſum eſt Eccleſiis, procedere poſſe ad benedictionem aquæ cum precibus in Sabbato Sancto uſurpari præſcriptis, omiſſa ſola infuſione Sacrorum oleorum, per quæ aqua ſanctificari, cenſetur ad baptiſma conferendum; unde Miſſale ipſum, præcedenter ad prædictam infuſionem, ex eadem aqua ſpargi mandat ſuper populum, quinimo per Eccleſiæ Miniſtros ex eadem in vaſe ſuſcipi ad aſpergendum in domibus, & aliis locis, ut infra videbimus. Illud autem fieri allegatum Decretum prohibet, & reprobat uſum, non quia in Sabbato Sancto aqua luſtralis a non baptiſmalibus Eccleſiis benedici abſolute nequeat, ſed quia non in hac circumſtantia temporis, neque cum precibus benedictionis fontis, quas Miſſale mandat omitti, ubi fons baptiſmalis non eſt; & pro benedictione aquæ luſtralis preces alias inſtitutas habet, quæ propterea adhibendæ forent, pro benedictione ejuſdem aquæ, licet non in hac circumſtantia temporis, ne divinis officiis intermiſceantur extranea contra inhibitionem Pii V.

Aqua benedicta, quæ erat in fonte baptiſmali, quando nova benedicenda eſt, in Eccleſiæ, vel potius Baptiſterii Sacrarium effundatur. *Rit. Rom. de Sacr. Baptiſ. tit. de mater.*

Ex Cæremon. Epiſcop. *lib.* 2. *c.* 27. 331
& 28. benedictioni fontis in Cathedrali aſſiſtere debent Canonici, aliique de Clero; pro cæteris vero Eccleſiis Miſſale exigit interventum Cleri, Miniſtrorum paratorum, & Aſſiſtentium Sacerdotum. Quid hic veniat nomine Cleri, ſæpius eſt declaratum a Sacris Romanis Congregationibus, teſte Benedicto XIV. *to.* 1. *Notific.* 1. *n.* 6. ubi refert, fuiſſe decretum, quod benedictioni fontis baptiſmalis in Eccleſia Metropolitana, ſeu Cathedrali, ſive fiat per Archiepiſcopum, & Epiſcopum, ſive per alium

Digitized by Google

alium ſua vice: debeant præter Canonicos, & Eccleſiaſticos addictos Choro Eccleſiæ prædictæ, aſſiſtere etiam Parochi, aliique Presbyteri, & Clerici, qui ab Epiſcopo vocabuntur; quodque in aliis Eccleſiis inferioribus, in quibus ſit fons baptiſmalis, hujuſmodi benedictioni aſſiſtant Parochi, hiſce Eccleſiis ſubordinati, nec non Sacerdotes, & Clerici iiſdem addicti. In cæteris autem Eccleſiis, in quibus habeatur quidem fons baptiſmalis, ſed nullus alius Parochus fuerit ipſis ſubordinatus, fiat benedictio hæc cum interventu, & opera aliquorum aliorum Sacerdotum, & Clericorum. Huc quidem faciunt ſequentes declarationes: *Parochi Eccleſiarum Filialium tenentur accedere ad benedictionem fontis in die Sabbati Sancti ad Matricem*. Congr. Concil. 17. Novembr. 1691. in *Savonen.* apud Caval. *tom.* 4. *c.* 22. *d.* 6. Nomine Matricis hic non venit, uti quando agitur de prima pulſatione Campanarum, Eccleſia, quæ in eodem loco, ſuper cæteras ſuperior eſt, ut ſuo loco dicetur inferius: ſed quæ talis eſt in toto Plebanatu. Caval. loc. cit. nu. 9. *Vicarii Parochialium inferiorum tenentur in die Sabbati Sancti accedere ad Eccleſiam Archipresbyteralem, & aſſiſtere benedictioni fontis*. Congreg. Concil. 15. Martii 1717. & 23. Julii 1718. apud Caval. d. 7. Sacra C. C. in Derthon. interrogata: I. *An conſtet de Matricitate Eccleſiæ Collegiatæ S. Mariæ Novarum, ſeu potius de alio titulo, aut ſpecie ſuperioritatis?* II. *An jus benedicendi fontem, & Cereum Paſchalem in die Sabbati Sancti ſpectet privative ad dictam Eccleſiam Collegiatam? Et quatenus affirmative*. III. *An Parochi Eccleſiarum SS. Petri, Andreæ, & Nicolai teneantur in dicta die Sabbati Sancti accedere ad dictam Eccleſiam Collegiatam, & præſtare per ſe, vel mediantibus eorum Deputatis aſſiſtentiam perſonalem benedictioni fontis, & Cerei? S. C. Concil. die* 3. *Decembr.* 1718. *reſpondit ad* I. *negative quoad primam, & affirmative quoad ſecundam partem. Ad* II. *Affirmative. Ad* III. *Affirmative.* Apud Lucium Ferrar. in ſua *Bibliot. to.* 8. *edit.* 3. *Bonon. in prima append.* pag. 180. col. 2. fine.

Rurſus in una *Maceraten.* ad ſequens dubium. *An Præpoſitus, & Clerus S. Georgii Terræ Urbiſaliæ teneantur in hebdomada majoris, & nocte Nativitatis, & aliis feſtivitatibus, intereſſe functionibus in Plebania S. Laurentii? S. C. Concilii die* 17. *Junii* 1719. *reſpondit affirmative in hebdomada majori, & nocte Nativitatis.* apud Ferrar. l. cit. pag. 181. col. 2.

Parochi Eccleſiarum inferiorum tenentur in Sabbato Sancto accedere ad Eccleſiam Matricem, vel gaudentem ſpecie ſuperioritatis, & præſtare per ſe, vel mediantibus eorum deputatis, aſſiſtentiam perſonalem benedictioni fontis. Congr. Concil. 22. Junii 1720. apud Caval. ſup. cit. c. 22. d. 8.

S. C. Concilii in una *Aquen.* ad ſequ. dub. I. *An conſtet de Matricitate, vel majori antiquitate Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ Montis Baruții, & reſpective de filiatione, vel ſubordinatione Eccleſiarum Parochialium S. Antonii, & Martiani ejuſdem loci?* II. *An benedictio fontis baptiſmalis, ignis &c. in Sabbato Sancto, & Sabbato Pentecoſtes privative ſpectet ad Archipresbyterum pro tempore Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ; vel potius ad unumquemque ex tribus Parochis? & quatenus affirmative ad primam*

par-

Digitized by Google

partem: III. *An alii duo teneantur dictis functionibus intereſſe; & an, & quibus pœnis ſint plectendi, ſi non interſint? Reſp. ad* I. *conſtare de majoritate Eccleſiæ S. Mariæ Magdalenæ. Ad* II. *affirmative ad primam partem, & negative ad ſecundam. Ad* III. *affirmative ad primam partem, & quoad ſecundam arbitrio Epiſcopi*. S. C. Concilii 8. Martii 1723. in *Aquen.* apud Luc. Ferrar. loc. cit. pag. 193. col. 2.

Parochi Eccleſiarum filialium, vel inferiorum cogi poſſunt ad intereſſendum in Matrice, vel quaſi Matrice benedictioni fontis die Sabbati Sancti, & Pentecoſtes. Congr. Concil. 28. Julii 1731. apud Caval. decr. 9.

S. R. C. in Lucana interrogata: *An Parochis, quibus in die Sabbati Sancti imminet onus adeundi Eccleſiam Matricem, aut Plebanalem, ut functioni fontis interſint, aquamque benedictam, atque olea ſacra recipiant, poſſint, aut teneantur idem onus in alium Sacerdotem, ab iis deputandum, ac delegandum, rejicere, ut, qui habent fontem baptiſmalem, illum benedicant; & cum quo numero Miniſtrorum; aut ſaltem Sacrum faciant pro commoditate, & devotione ſuorum Parochianorum? Reſp. Parochis licere alium Sacerdotem delegare, qui benedictioni fontis baptiſmalis in Eccleſia Matrice pro iis aſſiſtat; ſicuti etiam poſſunt die Sabbati Sancti alteri Sacerdoti Miſſæ celebrationem in propria Eccleſia committere. Qui facultatem obtinent, fontem benedicendi, quatuor ſaltem Clericos in miniſterio habebunt*. S. R. C. 12. April. 1755. in *Lucana* ad 2. dub. apud Caval. *to.* 5. *in collect. recentior. decretor.* Ex quo ultimo decreto habes: Parochos teneri aſſiſtere benedictioni fontis baptiſmalis in Cathedrali, ſeu ſuperiori Eccleſia per ſe, vel per alium Sacerdotem, etiamſi in propria Eccleſia fontem baptiſmalem benedicere debeant, & videri etiam poteſt Caval. *tom.* 4. *c.* 22. *Comm. in decr.* 6. *a n.* 4.

Fontis baptiſmalis benedictioni in Baſilica Vaticana peragendæ debent per ſe, vel per alios intereſſe Rectores Eccleſiarum illi ſubjectarum. Bened. XIV. Conſt. incip. *Ad honorandum* §. 9.

Curati Regulares tenentur adeſſe benedictioni fontis baptiſmalis in Sabbato Sancto, ſi alii teneantur. S. C. Epiſcop. 12. Decembr. 1595. apud Luc. Ferrar. *V. Parochus* art. 3. n. 22. & rurſus declaratum fuit 6. Septembr. 1625. Caval. *to.* 4. *c.* 22. *d.* 10. Æquum eſt, ut Regulares, qui Parochorum honorem ſuſtinent, & Officium, ſuſtineant quoque onera, & actiones, ad quas non minus ac Curatos Seculares teneri, definivit eadem Congr. 18. April. 1599. & iterum declaravit 20. Martii 1646. ut refert Caval. loc. cit. n. 1. fine.

Parochi itaque ſive Seculares, ſive Regulares Eccleſiarum filialium, vel inferiorum, etſi in propria Eccleſia conſecrent, & conſecrare teneantur baptiſmalem aquam, adhuc immunes minime ſunt ab onere aſſiſtendi in Matrice, vel quaſi Matrice, ſeu ſuperiori Eccleſia, vel per ſeipſos, vel per ſuos delegatos Sacerdotes. Ait autem Caval. *cit. c.* 22. *Comm. in decr.* 6. *nu.* 9. in tribus id fallere caſibus, & primo, ubi aliter fert conſuetudo loci, quæ potiſſimum hac in re ſervanda eſt. Secundo, ſi ſecus diſponant Conſtitutiones Synodales, vel Provinciales, quæ tamquam municipales leges obligare, & ſolvere aptæ ſunt proprios Accolas. Ter-

tio, ſi cum aliquibus, juſta de cauſa, diſpenſet Epiſcopus, & prout diſpenſare judicaverit. Idipſum eſt, atque procedit quoad Vigiliam Pentecoſtes.

332 *Abſente Epiſcopo benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum, & fontis fiant per Celebrantem*. S. R. C. 12. Junii 1627. in *Brunduſina*. Apud Caval. tom. 4. c. 12. d. 6. fiant per Celebrantem, ſeu per Sacerdotem, qui celebrare debet Miſſam ſequentem.

Benedictio fontis baptiſmalis non eſt de juribus mere Parochialibus, ſed fieri debet a Parochis. S. R. C. 10. Decembr. 1703. approbante Clemente XI. 12. Junii 1704. apud Caval. *to.* 4. *c.* 22. *d.* 5. qui ait: ad dirimendas controverſias inter Parochos, & Laicorum Confraternitates, Sanctionem hanc prodiiſſe, eamque reddere ſenſum hunc: quod videlicet, benedictio fontis baptiſmalis fieri quidem nequeat a Cappellanis Confraternitatum, ſed fieri debeat a Parochis; non ita tamen, ut his privative competat: aut eorumdem omnibus. Non omnibus, quia Eccleſiæ Parochiales non continuo baptiſmales ſunt; nec baptiſmales, Parochiales: cum dentur Parochiales, quæ carent fonte baptiſmali; nec deſint baptiſmales, quæ non ſunt Parochiales; quare, licet in Eccleſiis Parochialibus ſimul & baptiſmalibus ad Parochum ſpectet benedictio fontis: non tamen in Eccleſiis baptiſmalibus non Parochialibus, in quibus ad eum ſpectat, cui commiſſa eſt adminiſtratio baptiſmatis. Hinc ſequitur, quod ad Parochos nec privative ſpectat; & ne quidem in Eccleſiis Parochialibus ſimul & baptiſmalibus; nam ſi hæ itidem Chorales ſint, benedictio fontis baptiſmalis pertinet ad Clerum Eccleſiæ, non ejuſdem Parocho. Ita Caval. qui id confirmat ex quadam deciſione Rotæ, in qua definitum fuit: benedictionem fontis non pertinere ad Vicarium perpetuum Eccleſiæ Collegiatæ, ſed ad Canonicos. Deinde obſervat: hæc omnia aperte conſonare Cæremoniali Epiſcoporum, quod lib. 2. cap. 28. id muneris non aſſignat Cathedralis Parocho, ſed *Canonico, vel alteri, qui erit officium facturus*. Nec aliter ſentire Rubricas Miſſalis, quæ nulla Parochi mentione facta, (cui tamen benedictionem fontis committere debuiſſent, ſi ad eum privative ſpectaret) *Sacerdotem* ſimpliciter nominant, quem prius faciunt procedere ad benedictionem ignis & Cerei, atque ad ſubſequentes prophetias, quibus expletis, ſi Eccleſia habeat fontem baptiſmalem, hujus benedictionem adhuc *eidem Sacerdoti* committunt, uti & ſubſequentes Litanias, & Miſſam.

Igitur finitis prophetiis, ſi Eccleſia habuerit fontem baptiſmalem, Celebrans adhuc ſtans in cornu Epiſtolæ ſuper ſuppedaneum, deponit planetam, & manipulum, (& hunc ponunt etiam ſacri Miniſtri:) & accipit pluviale violaceum, adjuvantibus, ut moris eſt, ſacris Miniſtris, vel Cæremoniario, & Acolytho. Deinde aliquis Acolythus cotta indutus Crucem proceſſionalem accipit, & alius Acolythus Cereum Paſchalem, & Ceroferarii candelabra cum ſuis candelis accenſis, & ſe conſtituunt in medio Præsbyterii, abſque eo quod genuflectant, vel ſe inclinent Cruci Altaris. Celebrans vero medius inter ſacros Miniſtros pergit ad Altaris medium, ubi facta inclinatione Cruci, 333

ci,

ci, genuflectentibus ſacris Miniſtris, deſcendit in planum ante Altaris medium, & ibi repetita reſpective inclinatione, & genuflexione, ſtat, donec ſequenti ritu ordinetur Proceſſio.

Procedit omnium primus Acolythus Cereum paſchalem accenſum deferens utraque manu, & ſequitur Cruciferarius inter Ceroferarios, & hi omnes non genuflectunt, nec ſe inclinant Cruci, antequam incedant. Proceſſionem ſtatim Clerus ingreditur, qui facta genuflexione Cruci incedit binus, aperto capite, quem ſequitur Celebrans tecto capite, medius inter Diaconum, & Subdiaconum, qui Cruci genuflexionem præmittunt, (Celebrans ſolam inclinationem); & elevantes fimbrias anteriores pluvialis Celebrantis, detecto capite accedunt ad fontem. Qua in proceſſione, Cantoribus incipientibus, Chorus cantat Tractum: *Sicut Cervus*. Caval. to. 4. c. 21. in d. 5. n. 7. & 8.

334 *Deinde Sacerdos, antequam intret ad benedictionem fontis, dicit hanc orationem juxta fontem.* Rubr. Miſſ. hic.

Ubi Proceſſio pervenit ad locum benedictionis, ſi fons baptiſmalis ſit in Eccleſia, ſeu Cappella ſeparata, in ipſo ingreſſu Celebrans dicit Orationem: *Omnipotens*: hanc vero dicit ante cancellos baptiſterii, ſi hoc fuerit in Eccleſia, ubi hæc benedictio habetur. Crucifer itaque medius inter Ceroferarios ſe ſiſtet prope fontem, ſeu ante cancellos, facie ad Celebrantem verſa, qui medius inter ſacros Miniſtros ſuſtinentes pluvialis fimbrias, depoſito birreto, & aliquo miniſtro ſuſtinente librum, præmiſſo *Dominus vobiſcum*, dicit de more: *Oremus*: ſimplici inclinatione Cruci facta, & deinde in feriali tono cantat ſequentem orationem manibus junctis. Caval. n. 9.

Poſtea procedit ad benedictionem fontis &c. Rubr. Miſſ. hic. 335

Deinde ad fontem baptiſmalem accedit, ubi item medius inter ſacros Miniſtros ſuſtinentes pluvialis fimbrias, depoſito birreto, ſi illud reaſſumpſerit, ſtans manibus junctis, in tono feriali cantat Orationem: *Omnipotens*: qua finita, cum in concluſione dixerit: *Spiritus Sancti Deus*: elevans vocem cantando adhuc manibus junctis, proſequitur in tono Præfationis: *Per omnia ſæcula ſæculorum*: & alia ut in Miſſali.

Idem Celebrans poſt Verba: *Gratiam de Spiritu Sancto*: manu dextera dividit aquam in modum Crucis; & ſtatim manum tergit. Poſt verba: *Non inficiendo corrumpat*: tangit aquam eadem manu, quam rurſus tergit illico. Poſt verba: *Indulgentiam conſequantur*: facit tres Cruces ſupra fontem. Denique poſt verba: *Super te ferebatur*: dividit aquam, & effundit verſus quatuor Mundi partes, Orientem, Occidentem, Aquilonem, & Auſtrum. Effuſio autem ejuſmodi, juxta Memoriale Rituum, hoc pacto eſt facienda: 3. $\frac{1.}{2.}$ 4.

Ut devenit ad: *Spiritus Sancti*: mutat vocem in tonum lectionis, & poſt: *benignus adſpira*: halat ter in aquam in modum Crucis, dicens: *tu has*: uſque ad: *mentibus efficaces*: deinde immittit aliquantulum Cereum in aquam dicens in tono Præfationis: *Deſcendat*: (vocem tamen ita elevando, ut ſecundo, & tertio adhuc altius cantare valeat citra indecentiam:) & extrahit. Immittit

 eum-

eumdem ſecundo profundius, & altiori voce repetit: *Deſcendat*. Et iterum extrahit Cereum, quem immittit tertio uſque ad fundum, altiori voce repetens: *Deſcendat*: & non extrahit, ſed immediate ter ſuflat in aquam in formam tridentalem juxta figuram in Miſſali, & proſequitur dicendo: *Totamque* &c., quo dicto extrahit Cereum, de aqua, & in tono Præfationis proſequitur: *Hic omnium*: & tandem legendo concludit: *Per Dominum*: & adſtantes reſpondent: *Amen*. Caval. n. 9. 10. & 11.

336 *Deinde per aſſiſtentes Sacerdotes ſpargitur de ipſa aqua benedicta ſuper populum; & interim unus ex Miniſtris Eccleſiæ, accipit in vaſe aliquo de eadem aqua, ad aſpergendum in domibus, & aliis locis*. Rubr. Miſſ. hic.

Aqua fontis baptiſmalis ritu benedicta prædicto, deinde per aliquem Acolythum accipitur de ipſa aqua benedicta ex fonte in vaſe conſueto, & Diacono cum oſculis miniſtrante aſperſorium, Celebrans aſpergit ſe, & circumſtantes, nihil dicens; qua aſperſione facta, Diaconus cum oſculis recipit aſperſorium, & hoc conſignat Acolytho, quo comite, aliquis Sacerdos, cotta, & ſtola violacea indutus, pergit ad aſpergendum reliquos per Eccleſiam, qui dum aſperguntur genuflexi ſtabunt capite profunde inclinato, & cum reverenti devotione: Sacriſta itidem, vel alius Miniſter infundit in aliud vas de aqua fontis, quam ſervat ad aſperſionem locorum, domorum, & aliarum rerum, & ex eadem aqua renovari, conſultius quoque erit, vaſa Eccleſiæ. Caval. n. 12. De prædicta aſperſione populi cum aqua fontis baptiſmalis ante infuſionem olei, & ejuſdem aquæ reſervatione ad aſpergendum in domibus, & aliis locis ad munditiam baptizatorum, habet etiam Ordo Romanus. Alcuin. *C. de Sabbato Sancto*, & Gregor. Turon. *lib. 1. de gloria Martyr. c.* 24. apud Gavant. n. 29. De benedictione domorum aqua hujuſmodi facienda dicemus hic. ſubſ. 11. In iiſdem Eccleſiis, ubi benedicitur aqua fontis baptiſmalis, eamdem aquam ante infuſionem olei reſervatam adhibendam eſſe in ſequenti Dominica Paſchæ, & alia Pentecoſtes pro conſueta in Dominicis aſperſione ſolemni ante Miſſam ſolemnem, notavimus tr. 1. lib. 2. ubi de Dominica art. 3. ſect. 2. initio, & iterum notabimus in prædictis Dominicis.

His peractis, Sacerdos, qui benedicit fontem, infundit de oleo Catechumenorum in aquam in modum Crucis, intelligibili voce dicens: Sanctificetur &c. *Rubr. Miſſ. hic*. 337

His peractis, Celebrans infundit in aquam fontis oleum Catechumenorum in modum Crucis, & deinde ſimiliter de Chriſmate, dicens reſpectiva verba. Deinde accipit ambas ampullas dicti olei Catechumenorum, & Chriſmatis, & de utroque ſimul in modum Crucis infundendo dicit: *Commixtio* &c. & mox depoſitis ampullis, manu ſua dextera miſcet oleum cum aqua, & ſpargit per totum fontem; quo facto, abſtergit manum bombacio, & poſtea lavat manus more ſolito cum mica panis. Caval. n. 13.

S. R. Congregatio in *Lucana* interrogata: *An fas ſit Parochis, uti in collatione Sacramenti Baptiſmatis aqua in Eccleſia Matrice, aut Plebanali benedicta, cui privatim, & ſeparatim, & non in ipſo actu benedictionis Baptiſmalis, infuſa fuerint olea ſacra? Reſp.*

Reſp. Parochi ex Matricis fonte aquam, cui ſacra olea jam fuerint commixta, ſuſcipere debent, quam adhibeant in baptiſmi collatione. Qui vero ante fontis benedictionem olea ſacra recipere non potuerunt, illa ſubinde privatim, ac ſeparatim in aquam mittere poterunt. S. R. C. 12. April. 1755. in Lucana ad 3. dub. apud Cavaler. *to.* 5. *in collect. recentior. Decretor.*

Poſt infuſionem Olei Sancti, & Chriſmatis, aqua fontis baptiſmalis non poteſt adhiberi ad alios uſus præter baptiſmum; neque diſtribui fidelibus; quia id prohibitum, cenſetur, ab Eccleſia in Rubricis benedictionis hujuſmodi, ut obſervat Quarti de *benedict.* tit. 2. ſect. 7. dub. 5. Sed etiam expreſſe cavetur. C. *In Sab. Sancto* 126. *diſt.* 4. *de conſecr.*

338 Qu. hic I. Utrum tempore Interdicti localis fieri poſſit in Sabbato Sancto benedictio fontis baptiſmalis? Dubium oritur ex eo quia adnumeratur inter divina officia benedictio prædicta. Bonac. *to.* 1. *diſp.* 5. *pu.* 5. 4. *num.* 3. Avil. *de Cenſur. diſp.* 4. *ſect.* 1. *dubit.* 1. *concl.* 1. Lezan. V. *Interd. n.* 20. Prohibentur autem divina Officia tempore Interdicti localis particularis; & licet concedantur tempore Interdicti localis generalis, interdicuntur tamen celebrari publice, & ſolemniter; & quamvis excipiantur dies nonnulli ſolemniores, in iis tamen non eſt Sabbatum Sanctum, tempore ſaltem ante Miſſam, ut videbimus in Dominic. Reſurrect. art. 7. qu. 2.

℞. Tempore Interdicti localis, ſive generalis, ſive particularis, & in Eccleſia etiam interdicta licet benedicere etiam publice, & ſolemniter fontem baptiſmalem. Hæc aſſertio probatur. Tempore Interdicti localis, ſive generalis, ſive particularis, & in Eccleſia etiam interdicta licet adminiſtrare baptiſmum ſolemniter. Vid. Bonac. *loc. cit. pu.* 3. §. 1. *nu.* 1. & 3. Sed ex inſtituto Eccleſiæ, baptiſmo ſolemni annexa eſt ſolemnis benedictio fontis baptiſmalis. Ergo hæc prædicto etiam tempore, & loco licet. Conſequentia probatur. Quando aliquid conceditur, eo ipſo cenſetur concedi omne illud, ſine quo conceſſum non poteſt poni in eſſe: ſecus fruſtra concederetur; ſed ex una parte, tempore Interdicti localis, ſive univerſalis, ſive particularis, & in Eccleſia etiam interdicta non interdicitur publica, & ſolemnis adminiſtratio baptiſmi; ex alia parte, ex inſtituto Eccleſiæ baptiſmo ſolemni annexa eſt ſolemnis benedictio fontis baptiſmalis. Ergo hæc prædicto etiam tempore, & loco licet. Vid. Avil. *loc. cit. ſect.* 2. *dubit.* 11. *concluſ.* 1.

Dices tamen: ad baptiſmum non eſt neceſſaria benedictio fontis baptiſmalis. Ergo ex eo, quod concedatur tempore Interdicti adminiſtratio baptiſmi, non ſequitur concedi benedictionem fontis baptiſmalis. Ergo &c. Ita objicit Covarr. apud Avil. loc. cit. Sed reſpondetur: ad baptiſmum non eſt neceſſaria benedictio fontis baptiſmalis: ſi fermo ſit de privato: conceditur; ſi de publico, & ſolemni: ſubdiſtinguitur; ad validam Sacramenti adminiſtrationem: conceditur; ad licitam, juxta grave præſcriptum, & inſtitutum Eccleſiæ: negatur.

Qu. II. Utrum deficiente aqua fontis baptiſmalis hodie benedicta, vel in Sabbato Pentecoſtes, poſſit benedici, & conſecrari nova aqua ad uſum Baptiſmi ſolemnis? 339

℞. Be-

℟. Benedictio aquæ baptiſmalis non ita eſt allegata Sabbatis Paſchæ, & Pentecoſtes, ut extra hæc tempora fieri minime valeat; ſed Rituale Romanum tit. 8. §. 4. tres caſus aſſignat, in quibus benedici itidem poteſt, & debet: *ſi nempe aqua corrupta fuerit:* quod faciliter evenire poteſt, cum ſit ſtagnans, & clauſa. *Aut effluxerit:* per rimulas, aut poros fortaſſe fontis. *Aut quovis modo defecerit*: quod ex dicta effuſione oriri poteſt, vel ex magno ejuſdem aquæ uſu, vel exſiccatione.

Diminutio autem aquæ fontis baptiſmalis non continuo invehit novæ benedictionem: ſed Rituale Romanum tit. 5. modum quemdam ſuggerit ad habendam aquam benedictam, abſque eo quod procedatur ad alterius benedictionem: *ut nempe aquæ benedictæ, alia non benedicta admiſceatur in minori tamen quantitate*. Si namque aqua non benedicta, quæ additur, in quantitate ſuperaret benedictam, tota fieret non benedicta; niſi fortaſſe additio non benedictæ, paulatim fieret, & diſtincto tempore. Recoli hic rurſus poteſt decretum in Lucana de ann. 1755. quod deſcripſimus ſub initium §. hujus.

Ritus, & formula benedicendi novam aquam extra Sabbatum Paſchæ, & Pentecoſtes, in caſibus prædictis, deſcribitur in Rituali Romano tit. 16. ubi cum inter alia præſcribantur recitari Litaniæ, vel ordinariæ, ſeu quæ dici ſolent in feſto S. Marci, & Rogationibus; vel breviores, quæ dicuntur in hoc Sabbato poſt benedictionem fontis, aut Prophetias, & ante Miſſam, ut infra videbimus: has ipſas breviores item recitari in benedictione fontis baptiſmalis infra annum in dictis caſibus facienda, conſultius eſſe, ait cum Baruffaldo Cavalerius *tom.* 4. *cap.* 22. *comm. in decr.* 10. *nu:* 3. Rurſus cum eodem Rituali, ſi dicantur Litaniæ ordinariæ, ſeu longiores, ante verſum: *ut nos exaudire digneris:* dici, & repeti demandetur verſus: *Ut fontem iſtum ad regenerandam tibi novam prolem benedicere, & conſecrare digneris: Te rogamus audi nos*: ait Caval. num. 4. ſe credere, hujuſmodi verſum dicendum eſſe, etiamſi recitentur Litaniæ breviores: quia aſſignatur tamquam verſus proprius huic benedictioni extra tempora faciendæ. Denique docet: quod, ſi dicantur Litaniæ longiores, quales in feſto S. Marci, & Rogationibus, non ſint recitandæ preces, & orationes, quæ hujuſmodi Litaniis addi ſolent dictis diebus: quia illæ caſui benedictionis fontis minime pertinent, & ſubduntur orationes propriæ. Nec poſt ultimum *Kyrie eleiſon* dicendum eſt: *Pater noſter:* ut in hujuſmodi Litaniis Rubrica Brev. præſcribit, quia non procedit de circumſtantia bened. fontis, ſed de Litaniis in feſto S. Marci, & Rogationum; idem ibidem. Et hæc quidem pertinent ad benedictionem fontis baptiſmalis. Deinde: *Si aderunt baptizandi, eos baptizat more conſueto*. Rubr. Miſ. hic.

340 Abſoluta benedictione ſolemni fontis baptiſmalis, celebratur baptiſmus, ſeu ſolemniter miniſtratur. Porro ſecundum Canonicam traditionem, ut *C. Non ratione*. 11. *C. duo tempora. aliiſq. diſt.* 4. *de conſecr.* Solemnis baptiſmus in duobus dumtaxat Sabbatis celebratur, videlicet in iſto, & Pentecoſtes ob rationes §. ſequenti ſignificandas. Vid. Durand. *in Ration. Offic. l.* 6. *c.* 83. *nu.* 3. Theophil. Raynaud. *to.* 10. *tr. de Agno Ce-*

reo

ſeo c. 8. *n.* 16. Bened. XIV. *tom.* 1. *notif.* 1. *n.* 3. *& de feſt. Dom.* c. 8. §. 5. & cap. 11. §. 3. *At poſtquam Chriſtianitas crevit, & ſagena illa Verbi Dei piſcibus impleta eſt, quia periculoſum erat tantam multitudinem differre propter occaſiones mortis, quæ in multitudine hominum multæ ſunt, maxime propter turbam infantum ex Chriſtianis Parentibus ſuccreſcentium, quorum tenera vita perſæpe levi occaſione ſucciditur: viſum eſt Sanctæ Eccleſiæ, paſſim indulgentia baptizandi conceſſa, immo oblata, cuncta antevenire pericula: Baptiſmi tamen ſolemnitatem, vel in paucis cum Dominica Reſurrectione, cui ſimilis eſt, celebrare.* Verba ſunt, & obſervatio Ruperti Abb. *de div. offic. lib.* 4. *c.* 18. Ideo eſt, quod in Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 2. *c.* 27. præſcribatur, ad baptiſmum hodie ſolemniter celebrandum in Eccleſia illa, in qua ab Epiſcopo Sabbati Sancti functio peragitur, non eſſe, per octo dies ante, infans ullus baptizandus, niſi ſit periculum in mora. Idque ait Caval. *tom.* 4. *cap.* 22. *Comment. in decr.* 1. *nu.* 4. fieri, ut verificationem ſuſcipiant, nedum relate ad veterem, ſed etiam ad nunc vigentem Eccleſiæ diſciplinam, ea verba canonis, in quibus mentio fit de recenter baptizatis. Et n. 8. ait, infantes per octo præcedentes dies ſolere reſervari baptizandos in Sabbato Sancto, *Ut ſic præſentis Eccleſiæ exprimatur finis, & iſtius Cæremoniæ deſignetur antiquitas.* Quamvis tamen nulli, ne quidem infantes adſint baptizandi, celebranda nihilominus eſt in hoc Sabbato Sancto, & alio Pentecoſtes benedictio ſolemnis fontis baptiſmalis iis in Eccleſiis, quæ hoc potiuntur jure, ut monuimus ſupra. *Sed quamvis Eccleſia hoc tempore propter communis vitæ pericula, eam conſuetudinem* (baptizandi videlicet tantummodo in Paſchate, & Pentecoſtes) *retinendam non judicavit, tamen ſolemnes illos dies Paſchæ, & Pentecoſtes, quibus baptiſmi aqua conſecranda eſt, ſumma cum religione adhuc obſervavit.* Ut animadvertit etiam Catechiſmus Rom. *c.* 2. *de Sacram. Baptiſmi*. Similiter nec indicto caſu omittenda ſunt in Canone verba præfata.

Sunt nonnullæ Civitates, in quibus etſi conceſſa ſit pluralitas fontium baptiſmalium, id tamen honoris per longævam conſuetudinem, vel particulares Synodos defertur primævo Baptiſterio Matricis, ut licet per annum in reſpectivis Parochiis a propriis Parochiis baptizentur Infantes, a Sabbato tamen Sancto ad Dominicam in albis, & a Vigilia Pentecoſtes ad ſequens Sabbatum, ad illud baptizandi deferuntur Infantes omnes, etſi intra alicujus Urbanæ Parochialis Eccleſiæ fines reſpective, vel ruralis filialis nati ſint. Sacra Congr. Concil. in Savonen. ad ſequ. dub. 1. *An jus baptizandi pueros natos intra Octavam Paſchatis Reſurrectionis, & Octavam Pentecoſtes ſpectet ad Parochum Cathedralis, vel potius ad alios Parochos, in quorum Parochia naſcuntur?* 2. *An privative, vel cumulative in caſu &c.?* 3. *Et an ſit intelligendum etiam de illis pueris natis intra Octavas prædictas, quos baptizari contingat extra eaſdem Octavas, in caſu &c.? Reſp. ad* 1. *affirmative quoad primam partem, & negative quoad ſecundam partem. Ad* 2. *privative. Ad* 3. *Affirmative.* S. C. Concil. 17. Junii 1714. in *Savonen.* apud Lucium Ferrar. in ſua *Bi-*

blio-

Digitized by Google

bliothec. to. 8. *edit.* 3. *Bonon. in prima append. pag.* 179. *col.* 2. Videri etiam poteſt Caval. *tom.* 4. *cap.* 22. *Comment. in decr.* 4. *n.* 4.

Hodie igitur ſolemniter baptizantur Catechumeni adulti, in fidei articulis inſtructi, qui vocabantur olim *Competentes*, ideſt, ſimul petentes, videlicet baptiſmum, qui & dicebantur *Electi*, in baptizandorum albo deſcripti ad percipiendam gratiam Chriſti; vide Meratum *to.* 1. *part.* 1. *in præliminar. nu.* 76. baptizantur, inquam, hujuſmodi Catechumeni, ſi adſint, necnon infantes.

Poſtquam Sacerdos benedixit, & conſecravit fontem baptiſmalem, lotis, ut ſupra, manibus, ſi aderunt baptizandi, eos baptizet more conſueto, omnia ſcilicet peragendo ut in Rituali Romano. Sacerdos, quatenus in hac temporis circumſtantia baptizare debeat, paulo ante baptiſmum, depoſitis paramentis violaceis, accipiet ſtolam, & pluviale albi coloris, & finita baptiſmi adminiſtratione, deponet paramenta alba, & iterum accipiet violacea. Caval. *to.* 4. *c.* 21. *Comm. in decr.* 5. *n.* 14.

§. VIII.

Myſtica expoſitio Rituum, & Cæremoniarum ad Fontis baptiſm. benedictionem.

341 BAPTISMUS ſolemnis in duobus dumtaxat Sabbatis celebratur, ut §. præced. notavimus; videlicet in hoc Sabbato ante Paſcha, & in Sabbato ante feſtum Pentecoſtes. In illo quidem propter rationes, quas aſſignabimus ibi ſect. 2. In hoc autem Sabbato ante Paſcha Reſurrect. celebratur baptiſmus, quia in eo conſepulti ſumus in Chriſto per baptiſmum, ut dicit Apoſtolus ad Rom. 6. 4. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum &c.* & rurſus ad Coloſ. 2. 12. *Conſepulti ei in baptiſmo*. Hinc eſt, quod non deſint Baptiſteria in loco extructa profundo, ad quem per gradus deſcenditur, ad denotandum videlicet Chriſti Sepulchrum, cujus typus eſt baptiſmus; quemadmodum obſervat Caval. *tom.* 4. *c.* 22. *comm. in decr.* 1. *n.* 1. Secundo, quia baptiſmus partim a paſſione Chriſti, & partim ab ejus Reſurrectione vim accipit ſuam: a Paſſione quidem ablutionem a peccatis: a Reſurrectione vero innovationem gratiæ. Tertio, quia ſicut Dominus tunc liberavit antiquos Patres a carcere infernali; ita & hac die Catechumeni liberantur a peccato originali. Quarto denique pro hodierna victoria Chriſti, unde tanti Regis victoris exigatur profeſſo ab hominibus; contra vero, Diaboli abrenunciatio victi. Ruper. *lib.* 6. *c.* 33. & 36. fine. Durand. *in Ration. Offic. lib.* 6. *c.* 82. *n.* 1. Beleth *cap.* 110. *fine*, & *c.* 131. *fine*. Honor. *in Gemm. lib.* 3. *c.* 116. Videri etiam poteſt *C. Proprie* 13. *diſt.* 4. *de conſecr.*

Ad benedictionem fontis proceditur præferendo Cereum paſchalem accenſum, ut ſignificetur, a lumine Chriſti, oportere, Catechumenos illuminari; & inſtar columnæ ignis, quæ præceſſit Iſraeliticum populum, eos Chriſtum præcedere uſque ad terram promiſſionis, illos ad baptiſmum deducendo. Vid. dicta §. 4. n. 319.

Dum pergitur, ad benedicendum fontem baptiſmalem, cantatur Tractus: *Sicut Cervus deſiderat ad fontes aquarum*: ad ſignificandum ſanctum deſiderium Catechumenorum, ex quo

cum

cum anxietate magna baptiſmi aquas exoptant; unde Auguſtinus in Pſal. 41. n. 1. ait: *Sicut deſiderat Cervus ad fontes aquarum, ſic deſiderat anima mea ad te Deus: & quidem non male intelligitur vox eſſe eorum, qui cum ſint Catechumeni ad gratiam ſancti lavacri feſtinant, unde & ſolemniter cantantur hic pſalmus, ut ita deſiderent fontem remiſſionis peccatorum, quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum.*

342 In benedictione autem fontis baptiſmalis ſex præcipue conſideranda veniunt, quæ Sacerdos facit: 1. Orat Deum, ut ſit præſens tantis myſteriis, movetque in præfatione adſtantes in Deum, ad eumdem finem, ut Deus audiat.

2. Manu tangit aquam ter: primo dividens in formam Crucis, ex qua pendet effectus baptiſmi: ſecundo tangit ſimpliciter, quia manu Sacerdotali opus eſt etiam in Baptiſmo, ad fugandos Dœmones: tertio projiciens, & effundens aquam verſus quatuor Mundi partes: quia baptiſmus omnes attingit. Trinus autem aquæ tactus trinam SS. Trinitatis operationem figurat. Facit etiam manu varias Cruces ſuper aquam, ut benedicatur a Trinitate per virtutem Sanctæ Crucis.

3. Mutat vocem ter. Primo per modum Orationis: ſecundo per modum præfationis: tertio per modum lectionis: ut in Trinitate omnia fiant; & modo humilius, modo audentius, ſeu majori cum fiducia, & ſpe Deus oretur.

4. Halat, ſeu ore aperto ſpitat in aquam ter in modum Crucis, & ſufflat ter ſecundum hanc figuram Ψ, ut cum Cruce Trinitatem conjungat, a quibus habet vim baptiſmus, majorem autem a Trinitate. Item ad ſignificandum, quod Spiritus Sanctus tria in baptiſmo operatur; nimirum a vitiis purgat, virtutibus ornat, & tandem præmio coronat æterno eos, in quibus fit hæc inſufflatio. Valet etiam inſufflatio ad expellendos Dœmones cum ignominia, utpote qui levi flatu expelli queunt a Sacerdote. Dici etiam poteſt, Sacerdotem ore aperto ſpirare in aquam, quaſi in eam ſpiret ſpiraculum vitæ, illamque vivificet, ſeu vim tribuat ei, vivificandi animas ob peccatum mortuas vitæ gratiæ Dei. Per ſufflationem autem in prædictum modum ſignificari unitatem Dei, & Trinitatem divinarum Perſonarum. Porro myſterium Trinitatis, & Unitatis Dei eſt fundamentum præcipuum totius Orthodoxæ fidei: quapropter decuit, ut de eo ſpecialis mentio haberetur in Conſecratione fontis Baptiſmalis in quo regenerati ipſam Chriſtianæ Orthodoxæ fidei Januam ingrediuntur: Unde ſicut Myſterium Trinitatis, & Unitatis Dei, & fides ipſius eſt teſſera propria Chriſtianorum; & idcirco de eo fit mentio ſpecialis in conſecratione fontis Baptiſmalis; ſic etiam merito fontem Baptiſmalem, *Matrem adoptionis* appellat Dionyſius *de Eccl. Hierarc.*

5. Sacerdos demittit Cereum in aquam, & elevat ter: profunde, profundius, profundiſſime: ut Spiritus Sanctus ſua plenitudine fontem impleat: quemadmodum quando deſcendit in ſpecie Columbæ in baptiſmo Chriſti, adumbrati in hoc Cereo demerſo in aquam. Elevatio autem ejuſdem Cerei ſignificat effectum baptiſmi, qui confert gratiam elevantem a peccato ad gloriam.

Digitized by Google

6. Denique infundit Oleum, & Chriſma, & commiſcet: ut indicetur conjunctio Chriſti per baptiſmum cum populis Eccleſiæ. *Aquæ . . . . . populi ſunt, & gentes, & linguæ.* Apoc. 17. 15. & Chriſti nomen, ideſt, uncti, ab oleo, & chriſmate deducitur. De his videri poteſt Beleth c. 110. Rupert. *lib.* 7. *cap.* 10. Durand. *cit. cap.* 82. Amal. *de eccl. offic. lib.* 1. *c.* 26. Honor. *in Gemma lib.* 3. *c.* 111. Gavant. hìc a n. 22. Bened. XIV. *de feſt. Dom.* cap. 8. §. 5. fine.

Pro intelligentia autem, & expoſitione myſtica Cæremoniarum, quæ adhibentur in baptiſmo ipſo ſolemni, remittimus ad laudatum Durandum c. 83. & Beleth c. 110.

§. IX.

De Litaniis.

343 DEINDE *revertentibus Sacerdote, & Miniſtris ad Altare, cantantur Litaniæ a duobus Clericis, & Chorus idem ſimul repetit, ut dicitur infra. Ubi vero non eſt fons Baptiſmalis, finita ultima Prophetia cum ſua Oratione, Celebrans caſulam deponit, & cum Miniſtris ante Altare procumbit, & aliis omnibus genuflexis, cantantur Litaniæ in medio Chori a duobus Cantoribus, utroque Choro idem ſimul reſpondente.* Rubr. Miſſ. hìc.

Abſolutis Prophetiis, ſeu etiam peracta fontis baptiſmalis benedictione, ubi ea facienda eſt, celebratoque baptiſmo, ſi adfuerint baptizandi; dicuntur Litaniæ, ideſt Deprecationes. Amalar. *lib.* 1. *cap.* 28. fine. Deſignant interceſſiones Sanctorum pro renaſcentibus, ſeu baptizatis. Amalar. loc. cit. initio, Alcuin. *C. de Sabb. Sancto* verſus finem. Honor. *in Gemm. lib.* 3. *c.* 110. Hugo Victor *de Miſſ. obſervat. lib.* 3. *c.* 25. Et iiſdem ſignificatur conſortium Sanctorum cum nuper baptizatis. Honor. loc. cit. & indicat Raban. *inſtit. cleric. lib.* 2. *cap.* 38.

Itaque poſt benedictionem fontis, & ſi adminiſtratus fuit baptiſmus, finita baptiſmi adminiſtratione, depoſitiſque a Sacerdote paramentis albis, iterumque aſſumptis violaceis: deinde ipſe Celebrans, aliique omnes redeunt ad Altare, (ubi incipiendæ, & cantandæ ſunt Litaniæ, tum in Cathedralibus, tum in aliis Eccleſiis, etiam habentibus fontem baptiſmalem. Vid. Caval. *to.* 4. *c.* 21. *comm. in decr.* 6. *a n.* 1. *ad* 4.) eodem ordine, quo acceſſerunt ad fontem; ad quod ubi proceſſio devenerit, Celebrans, & Sacri Miniſtri ſe retrahunt verſus cornu Epiſtolæ, ibique depoſitis pluviali, & planetis plicatis, (in Cathedralibus autem Eccleſiis, Epiſcopo celebrante, deponunt planetas paulo ante ℣. *Peccatores*. Vide Merat. *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *de Sabbato Sancto n.* 44.) continuo revertuntur ante Altare, & genuflexi in plano, ante infimum Altaris gradum procumbunt, ſuperponentes capita ſua cuſſinis coriaceis, in ſecundo Altaris gradu per Acolythos antecedenter poſitis.

Ubi vero non eſt fons baptiſmalis, ſtatim poſt ultimam prophetiam, & orationem, iidem Celebrans, & Miniſtri deponunt planetas in cornu Epiſtolæ, non tamen ſtolas; manipuli autem deponendi videntur. Vid. Caval. *tom.* 4. *c.* 21. *Comm. in decr.* 6. *n.* 5. ubi primum exuti ſunt, accedunt ante Altare, & factis Cruci Altaris debitis reſpective reverentiis, genu-

Digitized by Google

genuflexi procumbunt ut ſupra. In utroque autem ex dictis caſibus, Acolythi genuflectunt in plano hinc, & illinc, ſicut & cæteri in ſuis reſpectivis locis, Miniſtri nempe in presbyterio, & Clerus in Choro, ſed horum nemo procumbit. Ut reſpective procumbunt, ac genuflexi ſunt, & non prius, duo Cantores genuflexi in medio Chori, incipiunt Litanias, *utroque Choro idem ſimul reſpondente:* ideſt, repetente quod Cantores dixerunt. Caval. loc. cit. Celebrans autem non tenetur in hac circumſtantia, ſubmiſſa voce dicere Litanias. Vid. Caval. *in cit. decr. 6. n. 6.* & videri item poſſunt dicta in Dom. Palmar. ſubſ. 3. §. 4. qu. 3. Omnino autem videnda ſunt pro his Litaniis ea, quæ docuimus, agentes de Litaniis majoribus in feſto S. Marci tr. 1. 25. Aprilis art. 4. ſect. 5. ſubſ. 1. & 2. nonnulla enim ibi ſunt, quæ etiam in hodiernis Litaniis ſervari debent.

Sunt ex Auctoribus, qui hodie geminandum ſentiunt, & lætiori voce cantandum verſum: *Per ſanctam Reſurrectionem tuam:* ſed cum nulla ſuper hoc habeatur Rubrica, & a Pio V. prohibeantur quæque additiones: nec duplicandum illum eſſe, nec lætiori voce cantandum, cum Gavanto *part. 4. tit. 10. num. 30. lit. C.* communiter pronunciant Auctores, teſte Caval. l. cit. n. 7.

344 *Cum autem perventum fuerit ad ℣. Peccatores, Te rogamus: Sacerdos, & Miniſtri ſurgunt, & accedentes ad Sacriſtiam, induuntur paramentis albi coloris pro Miſſa ſolemniter celebranda: & interim accenduntur luminaria in Altari. In fine Litaniarum cantantur ſolemniter:* Kyrie eleiſon: *& repetuntur, ut in Miſſa moris eſt.* Rubr. Miſ. hic.

Cum in Litaniis perventum fuerit ad ℣. *Peccatores:* Sacerdos, & Miniſtri ſurgunt, & facta genuflexione Cruci unico genu, a Celebrante ſola reverentia, cum birretis caput contegunt, & eo modo, quo ſunt, nempe in albis, manibus junctis ante pectus, præcedentibus thuriferario, & Ceroferariis, & aliis Clericis, ſi qui ſunt, omnes junctis manibus, & Miniſtri ſacri unus poſt alium, & ultimo Celebrans, accedunt ad Sacriſtiam, ſi vicina ſit, alioquin ad locum viciniorem Altari, vel poſt Altare, & ibi depoſitis ſtolis violaceis, & inſuper manipulis, ſi hos prius ante Litanias non depoſuerint: induunt paramenta alba pro Miſſa ſolemniter decantanda, ſcilicet Sacerdos manipulum, ſtolam, & caſulam; Diaconus manipulum, ac Dalmaticam; & Subdiaconus manipulum, ac Tunicellam. Interim per Sacriſtam, alioſque Miniſtros removentur culcini a gradibus Altaris, & ſuper eos extenditur tapes feſtivalis, & veſtitur ſcamnum Celebrantis. Removetur etiam pallium violaceum ab Altari, ut appareat album, quod ſub ipſo jam ponendum, diximus, & velo albo tegitur Tabernaculum; removenturque omnia, tum ab Altari, tum a Credentia, quæ non ſunt amplius uſui, & aſportantur in Sacriſtiam. Caval. *in cit. d. 6. n.* 8. & parantur in Credentia, quæ ſunt neceſſaria pro Miſſa ſolemni.

Imagines, ſeu Icones per Eccleſiam certe ante Miſſam detegi debent, convenientius vero videtur, ſi detegantur poſt ℣. *Peccatores*, quo tempore lugubria removentur; non reprobatur autem nonnullarum Eccleſiarum uſus, quæ eas detegunt in

Miſſa ad *Gloria in excelſis*. Illæ tamen Eccleſiæ, quibus commodum non eſt, eas detegere poſt ℣. *Peccatores*, neque ad *Gloria*, detegant, dum fit benedictio fontis, ſi adſit, vel dum cantantur ultimæ prophetiæ. Caval. n. 10. Merat. n. 47.

Quando in Litaniis Cantores devenere ad *Agnus Dei:* juxta Sacramentarium S. Gregorii ex Ord. Rom. accenduntur candelæ Altaris majoris: quia per Agnum Dei Chriſtum lumen fidei communicatum eſt. Amal. *lib.* 1. *cap.* 30. Alcuin. *de divin. offic. tit. de Sab. Sanct. verſus finem*, Durand. *in Ration. l.* 6. *c.* 82. *n.* 10. Tunc itidem accenduntur Candelæ Candelabrorum Ceroferariorum, quando Sacerdos ſe induit retro Altare, ſecus tempore congruo accenduntur in Sacriſtia. Cereus Paſchalis remanebit accenſus in loco uſque ad finem Miſſæ; ſimiliter & tres candelæ arundinis. Caval. *in cit. d.* 6. *num.* 9. Vide dicenda ſubſ. ſequ. §. 1. n. 352.

245 In fine Litaniarum dicto *Chriſte exaudi nos: Hic Cantores ſolemniter incipiunt:* Kyrie eleiſon: Chriſte eleiſon: Kyrie eleiſon: *& ter ſingula repetuntur*. Rubr. Miſſ. hic.

Ex Ordine Romano Auctores monent, cantari debere ita ſolemniter, atque moroſe, ut Celebranti, ſumptis paramentis albis, ſubſit tempus procedendi ad Altare, faciendi confeſſionem, incenſandi Altare, atque dicendi, *Kyrie* cum Miniſtris ſacris, more ſolito, antequam Chorus ceſſet a cantu. Caval. in d. 7. n. 1.

SUBSECTIO IV.

De Miſſa.

Agitur §§. V.

§. I. *De Ritu, & Cæremoniis Miſſæ hodiernæ ſolemnis a n.* 346.
§. II. *Expoſitio myſtica Cæremoniarum hodiernæ Miſſæ ſolemnis. a n.* 354.
§. III. *Quod in Sabbato Sancto celebrare non liceat Miſſas privatas n.* 360.
§. IV. *Quod in Sabbato Sancto ne quidem pro recenter Defunctis liceat celebrare n.* 361.
§. V. *Solvuntur nonnullæ quæſtiones pertinentes ad hodiernam Miſſam a n.* 362.

§. I.

De Ritu, & Cæremoniis Miſſæ hodiernæ ſolemnis.

INTERIM *Sacerdos cum Miniſtris in paramentis albis accedit ad Altare, & dicto Pſalmo:* Judica me Deus: *cum* Gloria Patri, *facit confeſſionem, ut moris eſt, in loco conſueto: deinde aſcendens oſculatur Altare, incenſat more ſolito; & finitis a Choro:* Kyrie eleiſon: *incipit ſolemniter*: Gloria in excelſis: *& pulſantur Campanæ*. Rubr. Miſſ. hic. 346

Dum Cantores cantant *Kyrie eleiſon*, Celebrans cum Miniſtris e Sacriſtia, ſeu loco, ubi ſe induit pro Miſſa, procedit ordine conſueto ad Altare. Ceroferarii deferant ſua candelabra cum candelis accenſis, & Acolythus thuribulum, atque naviculam, etſi exeant e Choro, ubi Cele-

lebrans cum Miniſtris ſumpſerint paramenta. Poſtquam Celebrans eſt ante infimum gradum Altaris, dum Cantores cantant *Kyrie eleiſon*, dicit *Pſalm. Judica me Deus* cum *Gloria Patri*: facitque confeſſionem more conſueto; deinde aſcendens oſculatur Altare, & incenſat more ſolito, poſtea de more Miſſæ ſolemnis, Celebrans cum Miniſtris dicit ſubmiſſa voce *Kyrie eleiſon* novies. Cærem. Papæ *lib.* 2. *ſect.* 1. *c.* 57. & 60. apud Gavant. n. 31. Finitis autem a Choro *Kyrie eleiſon*, Sacerdos ſolemniter intonat hymnum *Gloria in excelſis*: quamvis non ſit recitatum *Te Deum*, in officio. *Rubr. gen. Miſ. tit.* 8. *n.* 3.

347 Ubi Sacerdos incipit cantare: *Gloria in excelſis*: tunc pulſantur Organa, & Campanæ more feſtivo, & ſolemni: ſerventur autem Decreta ſequentia: *Ut debitus honor Matrici Eccleſiæ reddatur, tam ipſi Fratres, quam alii Clerici Sæculares, etiam ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris hebdomadæ, antequam Campanam Cathedralis, vel Matricis Eccleſiæ pulſaverint, campanam in Eccleſiis ſuis pulſare minime poſſint. Contra facientes pœnam centum ducatorum incurrant.* Leo X. 19. Decembr. 1516. Conſtit. *Dum intra*. Apud Caval. *to.* 4. *c.* 21. *d.* 8. Prohibetur itaque Regularibus, & Sæcularibus Eccleſiis, ne in Sabbato Sanćto pulſent campanas, antequam pulſentur in Cathedrali; per Diœceſim vero, ne a prædićtis Eccleſiis pulſentur ante Matricem, ſeu Parochialem. Porro *Eccleſia Parochialis in Diœceſi venit ſub nomine Matricis, ante quam idcirco neque Regulares, neque Confratriæ poſſunt campanas pulſare in Sabbato Sanćto*. S. R. C. 9. Febr. 1608. apud Caval. loc. cit. d. 13. Si autem plures fuerint Parochiales, non pulſent Campanas ante Parochialem digniorem, cui competit prima pulſatio. Declaravit enim S. R. C. quod *Prima pulſatio campanarum in Sabbato Sanćto non eſt de juribus Parochialibus, prout jacet, ſed ſpećtat ad Eccleſiam digniorem, ad formam Conſtitutionis Leonis X.* Ita S. R. C. 10. Decembr. 1703. in Decreto generali approbante Clemente XI. 12. Januar. 1704. apud Merat. *ind. decr. Miſſ. n.* 568. & apud Caval. d. 11. Idipſum declaratum fuerat 6. Septembr. 1636. in Syracuſana, pro Eccleſia S. Georgii, Civitatis Modicæ in Sicilia: confirmante Innocentio XI. 4. Junii 1689. vid. in opere Merati *in* 2. *Append. Decr. Miſſ. n.* 769. Quod ſi una non fuerit dignior altera, tunc attendatur major antiquitas, itaut non ſint pulſandæ ante Parochialem antiquiorem, cui competit prima pulſatio, nam *Ad effećtum pulſationis campanarum in Sabbato Sanćto ſufficit probare, Eccleſiam eſſe Parochialem, antiquiorem, digniorem, & majorem, ex quibus concluditur eſſe Matricem*. S. R. C. 8. Junii 1641. apud Caval. d. 17. In ſequenti autem Decreto dedit alternativam S. C. Concilii in una Caſſanen. Requiſita: *An Eccleſiæ S. Nicolai Terræ Caſtellucci inferioris competat jus pulſandi Campanas in die Sabbati Sanćti ante Eccleſiam S. Margaritæ Terræ Caſtellucci ſuperioris; ſeu potius ſit locus copulativæ, vel alternativæ? Reſp. Negative ad primam partem, & eſſe locum alternativæ & amplius*. S. C. Concil. 3. Aprilis 1756. in *Caſſanen.* to. 25. Reſol. pag. 16. Edit. Rom. 1756. Porro non conſtabat de Matri-

tricitate prædictæ Eccleſiæ Sancti Nicolai, ut laudata Cong. declaraverat in eadem *Caſſanen.* ad 1. dub. In ſequenti autem decreto definivit in favorem Eccleſiæ Parochialis antiquioris, etſi non conſtaret de ejuſdem Matricitate. *Conſtat de majori antiquitate S. Mariæ Magdalenæ Montis Barutii, licet non de Matricitate, & ideo benedictio fontis baptiſmalis, prima pulſatio Campanarum &c. in Sabbato Sancto privative ſpectat Archipresbytero prædictæ Eccleſiæ*. Congr. Concil. 8. Martii 1732. *in Aquen.*; apud Caval. *tom.* 4. *cap.* 21. *d.* 16. Pars Civitati adjecta ex ampliatione, atque Suburbia, cum veniant Civitatis nomine, ſicut pluribus citatis docet Barboſa *de Appell.* verb. *appell.* 49. idcirco horum Eccleſiæ, non minus ac eæ Civitatis expectabunt Cathedralis ſignum, antequam ſuas campanas pulſent. Caval. *to.* 4. *c.* 21. *Comm. in decr.* 11. *n.* 1.

Campanæ, quæ prohibentur pulſari ſunt Campanæ majores, non item quæ ſunt intra Templum, ut colligitur ex ſequenti Decreto: *Sabbato Sancto non ſunt pulſandæ Campanæ majores, antequam ſignum datum fuerit in Cathedrali, ſeu Matrice Eccleſia*. S. R. C. 21. Martii 1609. in *Marſicen.* & 14. Novembr. 1615. in *Venuſina*, & 3. Junii 1617. in *Syracuſana*. Apud Merat. *ind. decr. Miſſ. num.* 97. & Caval. d. 18. Prohibitio itaque procedit de ſola pulſatione campanarum majorum exiſtentium in Turri, non item campanularum intra Templum. Porro exceptio firmat regulam in contrarium: ſeu in non exceptis; ut Juriſtæ dicunt. Ex allegato Decreto Leonis id ſervare tenentur Regulares, & Sæculares quilibet, *etiam ſuper hoc Apoſtolica Sedis privilegio muniti*. Nihilominus derogatio prædicta non officit moderniori Apoſtolico privilegio donatis, ut obſervat Caval. in allegat. decr. Leonis n. 4. fine. Et ſic nos notamus, prædictæ legi non ſubjacere Baſilicam Aſſiſienſem S. Franciſci, quæ quidem poteſt pulſare Campanas in Sabbato Sancto ante Cathedralem. Non poſſunt autem aliæ Eccleſiæ eidem laudatæ Baſilicæ reſpondere, antequam ſonet Cathedralis; ex Benedict. XIV. Conſtit. 32. *Fidelis Dominus* §. 8. tom. 4. Bullarii ſui.

Rurſus prædicta prohibitio Leonis intelligenda eſt niſi antiqua obſervantia alicubi habeatur in contrarium, aut Eccleſiæ plurimum diſtent: quemadmodum declaratum fuit in ſequenti Decreto: *In Sabbato Sancto neque a Sæcularibus, neque a Regularibus pulſandæ ſunt campanæ, ante pulſationem illarum Cathedralis, vel Matricis, niſi antiqua obſervantia habeatur in contrarium, aut Eccleſiæ plurimum diſtent*. Congr. Epiſcop. & Regul. 16. Julii 1601. in *Surentina*; & 15. Febr. 1622. in *Theleſina* apud Caval. d. 9. & Luc. Ferrar. tom. 1. V. *Campana* num. 15. Niſi habeatur *Antiqua obſervantia*: ſeu conſuetudo immemorabilis, aut quæ nos præceſſit per Sæcula; dummodo fuerit item continua, & non interrupta. Vid. Caval. *Comm. in decr.* 8. *n.* 3. Quænam autem Eccleſiæ exiſtimandæ ſint a Cathedrali, vel Matrice diſtare *plurimum*; putat Caval. num. 4. eſſe diſtantiam plurimam ad rem, de qua agimus, *in qua Matricis ſignum non, vel vix audiri poteſt*. Subdit autem, diſtantiam hujuſmodi in Civitatibus vix poſſe habere locum, & quando etiam in valde protenſis il-

lum

lum reperiet, ſignum, quod cum Cathedrali, vel poſt Cathedralem dant Eccleſiæ cæteræ, optime diſtantes Eccleſias aptum eſſe monere de tempore, in quo ſuas Campanas ſolvere poſſunt.

Contra prædictam legem facientes incurrunt pœnam centum ducatorum: ut dicitur in allegata Conſtitutione Leonis. Cavalerius ibi n. 5. affirmat, hanc pœnam eſſe latæ ſententiæ; dubitat autem: utrum ea puniri poſſent Tranſgreſſores, ſi præcedenter non fuerint admoniti? & ad negandum propendet ex eo, quia Cæremoniale Epiſcop., quod plurium Summorum Pontificum auctoritate eſt comprobatum, habet lib. 2. c. 27. *Debent moneri aliæ Eccleſiæ Civitatis, ne pulſent Campanas, niſi audito ſigno campanarum Eccleſiæ Cathedralis*. Non leve autem hinc, ait, fit argumentum, quod, niſi admonitio præceſſerit, per quam tollatur ignorantia, oblivio, vel inadvertentia, a quibus provenire poteſt inobſervantia, vel iiſdem tribui: contrafacientes puniri non poſſint. Ita Caval. qui id confirmat, tum ex eo, quod conſimiles cum habeantur Conſtitutiones, atque Decreta, quæ Regulares intereſſe obligant publicis proceſſionibus; nihilominus, ſi non interfuerint, adhuc plecti non valent, ſi prius non fuerint invitati, vel admoniti. Tum ex eo, quia, cum Abbas quidam, non expectato ſigno Cathedralis, Campanas ſuæ Eccleſiæ pulſari mandaſſet; puniendum non eſſe judicavit S. C. Epiſc. & Regular. 11. Maji 1635., niſi poſtquam ſibi conſtitit, illum præcedenter fuiſſe commonitum. Licet autem Regulares ratione hujuſmodi pulſationis in Sabbato Sancto, poſſint conveniri coram loci Ordinario: ut declaravit S. C. Concilii 23. Aprilis 1591. in *Capuana*, Luc. Ferrar. tom. 1. V. *Campana* n. 15. nihilominus animadvertit Caval. Regulares contrafacientes non eſſe puniendos pœna pecuniaria, ſed aliis pœnis, puta privationis officii &c. Porro cum Regulares nihil proprium ipſi poſſideant, ſi pœna pecuniaria plecterentur, hæc ſolvenda foret ab Eccleſia, ſeu Conventu: & ſic ex delicto Prælati, damnum pateretur Eccleſia, ſeu Conventus; videtur itaque pœna pecuniaria minus appoſita pro Regularibus, & magis in alias, quæ Eccleſiam ſervent indemnem, & ſolum delinquentem afficiant, commutanda, cujuſmodi eſt amotio delinquentis a loco, privatio dignitatum, vocis activæ, & paſſivæ (quam tamen non judicamus infligi poſſe generalem, atque perpetuam pro legis tranſgreſſione præſentis:) aliæque conſimiles. Idque etiam arguit Caval. ex eo, quod prædictus Abbas per laudatam Congregationem plexus fuerit amotione ab illo gubernio, & loco. Confirmat denique ſententiam ſuam ex eo, quod Inſtructio ipſa Romana pro Oratione XL. Horarum, ubi §. 37. Sæcularibus, ſtatutorum, & ordinationum, quæ in illa Inſtructione continentur, tranſgreſſoribus decem ſcutorum Aureorum pœnam imponit: pro Regularibus contenta eſt ſupradictis pœnis, aliiſque ſimilibus, quarum inflictionem Pontificis, ſeu Cardinalis Vicarii Generalis reſervat arbitrio. Hinc autem vult eruendum, quod in Eccleſiis Sæcularibus pœna pecuniaria ſit repoſcenda quidem, ita tamen ut ad eam ſolvendam, earumdem Rectores adſtricti veniant, non autem ipſæ Eccleſiæ:

ſiæ: ne ex aliorum delicto damnum reportent. Cæterum in opere Merati in 2. append. decret. Miſſ. n. 857. fit mentio cujuſdam decreti S. C. R. emanati 21. Martii 1609. *quod inflixit pœnam centum Aureorum Regularibus pulſantibus Campanas in Sabbato Sancto ante Eccleſiam Matricem*.

An autem prohibitio prædicta obliget præter pœnam ſignificatam, etiam ad culpam? Non obligare ad culpam, ſaltem gravem, ſed ad ſolam pœnam, ſatis eſſe probabile docet Quarti *de benedict. tit. 2. ſect. 12. dub.* 4. Pro hujuſmodi lege, & pœna tranſgreſſoribus impoſita, conſerri poteſt La-Croix *lib. 1. de legib. qu.* 89.

Itaque, ut ſupra dicebamus, ubi Celebrans incipit intonare: *Gloria in excelſis:* tunc pulſantur campanæ tantum, quæ ſunt intra parietes ejuſdem Eccleſiæ, ſi nondum pulſaverint campanæ Cathedralis, vel Matricis Eccleſiæ, ut eſt hactenus explicatum. Dato deinde ſigno a Cathedrali Eccleſia, vel Matrice, tunc ſimul pulſentur campanæ majores aliarum Eccleſiarum. Caval. in ſupra cit. d. 8. n. 2. fine. Ad *Gloria* removetur item velum magnum, quod in pluribus Eccleſiis ante Altare majus conſuevit extendi tempore quadrageſimali: quemadmodum notavimus hoc l. 4. part. 1. cap. 4. n. 22.

Poſt *Gloria in excelſis*, Sacerdos
348 dicit: *Dominus vobiſcum*: Epiſcopus autem dicit de more ſuo: *Pax vobis*: Vid. Caval. *tom.* 4. *cap.* 22. *in decr.* 7. *n.* 4. Sequitur Collecta, ſeu Oratio, & licet in Miſſis feriarum Quadrageſimæ, omnes genuflectant in Choro, etiam ad orationes &c. Vid. Rubr. gen. Miſſ. tit. 17. n. 5. excipitur tamen hæc Vigilia Paſchæ ex *Rubr. cit.* quia hæc Miſſa ſpectat ad feſtum Paſchæ; ut obſervat Caval. cit. n. 4.

Recitata oratione, Subdiaconus cantat Epiſtolam, & Celebrans de more illam legit ſubmiſſa voce.

Finita Epiſtola, Celebrans incipit 349
Alleluja, *& totum decantatur ter, elevando vocem gradatim, & Chorus poſt quamlibet vicem in eodem tono repetit illud idem* &c. Rubr. Miſſ. hic. Cantata itaque Epiſtola, Subdiaconus oſculatur de more manum Celebrantis, & ab eo accipit benedictionem, & deinde, & non prius ipſe Celebrans ſtans in cornu Epiſtolæ cum Miniſtris ſacris, ut ad Introitum, gravi voce cantare incipit *Alleluja* (quod cum debeat repetere ter, elevando vocem gradatim, ideo animadvertat, ut prius voce demiſſiori incipiat, ut ſecundo, & tertio altius illam abſque indecentia elevare poſſit:) quo ſemel cantato a Celebrante, ut in Miſſali notatur, Chorus in eodem tono, & voce illud repetit. Denique Celebrans elevando vocem gradatim ſecundo, & tertio repetit in cantu *Alleluja*, & idem repetit Chorus poſt quamlibet vicem. Decantato tertia vice *Alleluja*, Chorus proſequitur ℣. *Confitemini;* quo finito cantat Tractum; & hæc interim legit itidem Celebrans ſubmiſſa voce.

Ad Evangelium non portantur lumi- 350
naria, ſed tantum incenſum, petitur benedictio, & alia fiunt de more. Rubr. Miſſ. hic.

Ad Evangelium omnia peraguntur de more, ſed non portantur luminaria: nihilominus Ceroferarii ſtent manibus junctis a lateribus Subdiaconi, & ſignent ſe cum Diacono, cum non teneant Candelabra. Caval. in cit. d. 7. n. 7.

Non

Digitized by Google

Non dicitur *Credo* : ſed finito Evangelio, Sacerdos dicit : *Dominus vobiſcum*. Subdiaconus defert ad Altare una cum Calice Burſam Corporalium, juxta Rubr. Miſſ. de rit. Celebr. tit. 6. n. 7. fine. Non dicitur Offertorium : hoc eſt, Antiphona illa, quæ nuncupatur Offertorium, & recitatur antequam fiat Offertorium, ſeu Oblatio Hoſtiæ. Poſtquam igitur Celebrans dixit : *Dominus vobiſcum*: ſubdit : *Oremus* : & immediate facit oblationem Hoſtiæ recitando Orationem : *Suſcipe Sancte Pater*.

Ad *Lavabo* dicitur : *Gloria Patri*: Præfatio, *Communicantes*, & *Hanc igitur* propria Paſchæ : quia, ut ſupra notavimus, hæc Miſſa ſpectat ad feſtum Paſchæ. In Præfatione autem dicitur : *in hac potiſſimum nocte* : & in *Communicantes* dicitur : *& noctem ſacratiſſimam celebrantes* : ſimiliter in Collecta ſeu Oratione ante Epiſtolam dictum fuit: *Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem:* Et ratio eſt, quia hæc Miſſa primitus celebrabatur in nocte. Vide dicta art. 3. ſect. 2. ſubſ. 2. Idque, ut obſervat Amalarius de *Divin. offic. lib.* 4. *cap.* 40. ex eo, quod in nocte reſurrexerit Dominus, ſeu verſus Auroram. Vid. dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 3. de expoſit. SS. Sacram. art. 7. ſect. 4. Quamvis enim non multo poſt ſæculum decimum cœperit anticipari hæc Miſſa a nocte, quæ ſequitur poſt occaſum ſolis diei uſualis, Sabbati, & verſus meridiem celebrari ; non ſunt tamen mutatæ orationes, in quibus fit noctis mentio, ut cum Cardinali Bona obſervat Benedictus XIV. *tom.* 1. *Notific.* 39. *nu.* 8. Idque proculdubio, quemadmodum ſubſect. præced. §. 4. fine diximus : ad aliquod diſciplinæ veteris monumentum. Nec tacenda ſunt verba, in quibus mentio fit de recenter baptizatis, etiamſi nullus ſit recens baptizatus. Recole dicta num. 340.

Dicitur : *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum* : ſed pacis oſculum non datur. Etſi vero non detur pacis oſculum, nihilominus Subdiaconus tranſit ad dexteram Celebrantis, & diſcooperit Calicem, quando opus eſt, & Diaconus vadit ad librum. Caval. in cit. d. 7. nu. 10. Merat. tom. 1. par. 4. tit. 10. de Sab. S. n. 59.

Agnus Dei non dicitur ; dicuntur tamen ties conſuetæ orationes ante Communionem. Poſtcommunio non dicitur, neque Communio.

351 *Poſt ſumptionem Sacramenti pro Veſperis in Choro cantatur Antiphona* Alleluja &c. Rubr. Miſ. hic. Poſtquam Sacerdos Sacramentum ſumpſerit, a digniori, non præmiſſo Crucis ſigno, in Choro intonatur Antiphona *Alleluja* pro Veſperis, quam ipſe Chorus proſequitur, & deinde alternatim cantat Pſalmum : *Laudate Dominum omnes gentes* : cum *Gloria Patri* in fine, & poſtea eamdem repetit Antiphonam. Celebrans ſumpta ablutione, adhuc planetam retinens : quia nondum eſt finita Miſſa : accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi dicit ſubmiſſa voce prædictam Antiphonam *Alleluja*, & præfatum Pſalmum : *Laudate:* ſtantibus ſacris Miniſtris in cornu Epiſtolæ, ut ad introitum Miſſæ. Caval. in d. 18. n. 1.

Capitulum, hymnus, & verſus non dicuntur, ſed ſtatim Celebrans in cantu incipit Antiphonam ad Magnificat : Veſpere autem Sabbati : *& proſequitur Chorus* : quæ luceſcit &c. Rubr. Miſſ. hic. Finito cantu in Choro, Celebrans cum Miniſtris ſtans in eo-

dem cornu Epiſtolæ, intonat in cantu Antiphonam: *Veſpere autem Sabbati*: quam Chorus proſequitur una cum *Magnificat*, & *Gloria Patri* in fine, & poſtea repetit eamdem Antiphonam, quam præintonavit; & dum inchoatur *Magnificat*, adhuc ſtans in eodem cornu Epiſtolæ cum Miniſtris ſe ſignat a fronte ad pectus de more, (& omnes pariter ſignant ſe,) & ſtatim cum iiſdem accedit ad medium Altaris, ubi more ſolito imponit, & benedicit incenſum in thuribulo, & incenſat Altare, nihil dicens, ut fit initio Miſſæ, ſacris Miniſtris hinc inde ſtantibus, & elevantibus poſteriorem planetæ partem; & in fine incenſationis ipſe Celebrans incenſatur a Diacono in cornu Epiſtolæ, ſtante Subdiacono a ſiniſtris ejus, ut in introitu Miſſæ; cum quo, & non prius, in eodem cornu Epiſtolæ Celebrans alternatim ſubmiſſa voce proſequitur *Magnificat* cum *Gloria Patri*, & repetit Antiphonam, dum Diaconus vadit ad incenſandos eos de Choro, quibus incenſatis redit ad Altare, & ſtans in plano in cornu Epiſtolæ, incenſat Subdiaconum ſtantem a dextris Celebrantis in præfato cornu Epiſtolæ, facie verſa ad Diaconum. Incenſato Subdiacono, Diaconus reddit thuribulum thuriferario, ſeque collocat a dexteris Celebrantis in cornu Epiſtolæ, in ſecundo Altaris gradu, ubi facie verſa ad thuriferarium, cavens tamen, ne terga vertat Sacerdoti, incenſatur ab eodem thuriferario, qui poſtea more ſolito incenſat Ceroferarios, & populum. Diaconus vero, & Subdiaconus interim ſtant cum Celebrante in cornu Epiſtolæ, ut ad introitum Miſſæ, uſque dum in Choro repetatur Antiphona ad Magnificat, circa cujus finem ſe collocant unus poſt alium poſt tergum Celebrantis in recta linea, & hoc modo procedunt ad medium Altaris cum eodem Celebrante, qui, finita Antiphona a Choro, oſculatur Altare, & converſus ad populum dicit: *Dominus vobiſcum*: & proſequitur Miſſam more ſolito uſque ad finem. Diaconus autem poſt *Ita Miſſa eſt*: ſubdit duplex *Alleluja* & reſpondetur: *Deo gratias*: ſimiliter cum duplici *Alleluja*.

Extra Chorum Veſperæ recitantur ut in Breviario hodie præſcribitur, & nos expoſuimus ſubſ. 1. n. 299.

Notat Diana *to.* 2. *edit. coord. tr.* 1. *R.* 75. §. 6. hodiernas Veſperas convenienter dici etiam ſummo mane una cum Miſſa tunc tempus fortaſſe celebrata: (videri etiam poteſt Caval. *to.* 4. *c.* 21. *Comm. in decr.* 18. *n.* 8.) quia illius ſunt pars. Hodiernas Veſperas eſſe partem hodiernæ Miſſæ, confirmavimus nos artic. 3. ſect. 2. ſubſect. 2. §. 4. fine. Docet etiam Diana l. cit. §. 7. & quidem conſequenter ad prædictam ſententiam, quod, qui non aſſiſteret præfatis Veſperis, obligatus ad Miſſam, vel voluntarie diſtraheretur: peccatum veniale committeret; quia nimirum ſunt pars hodiernæ Miſſæ. Videri poſſunt dicta tr. 1. in Septemb. par. 1. ſect. 5. ſubſ. 2. §. 6. qu. 5.

Abſoluta Miſſa per Evangelium S. Joannis, Celebrans, & Miniſtri accedunt de more in Sacriſtiam, ubi ſacras veſtes exuunt, & mutua ſibi invicem, quaſi amplexibus, gaudia paſchalia annunciant: & idem etiam fit ab omnibus de Choro, qui in Domino læti recedunt. Merat. n. 63. Caval. *to.* 4. *cap.* 21. *Comm. in decr.* 18. *num.* 2. fine; videri poſſunt dicen- 352

dicenda §. ſequ. n. 358. verſu: *pacis oſculum non datur*.

Poſt Miſſam, per aliquem Sacerdotem paratum ſuperpelliceo, ſtola, & velo albi coloris, cum Clericis faces deferentibus, reportatur ex Oratorio ſecreto ad ſolitum Tabernaculum Pyxis cum SS. Sacramento; niſi hoc reportatum jam fuerit ante Nonam: ut poſſe, exiſtimat Caval. quemadmodum diximus ſubſ. 3. §. 1. n. 307. fine.

Expleta item Miſſa, removentur tres candelæ arundinis cum arundine ipſa, nec amplius accenduntur. Merat. *to.* 1. par. 4. tit. 10. de Sab. S. n. 69. Non ſic autem eſt de Paſchali Cereo, qui remanet ad Altare in cornu Evangelii: Caval. in cit. d. 18. n. 3. Accendendus enim eſt tempore Paſchali: & ex Rubrica quidem conſtat, cum accendendum eſſe in hoc Sabbato, in die Aſcenſionis ad Miſſam uſque ad Evangelium incluſive, & in Sabbato Pentecoſtes ad benedictionem fontis baptiſmalis: Ex declaratione autem S. C. R. habemus, accendendum item eſſe, aut poſſe accendi aliis quoque diebus, nimirum *Cereus Paſchalis regulariter accendi debet ad Miſſas, & Veſperas ſolemnes in triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis uſque ad Aſcenſionem; quo die cantato Evangelio extinguitur: Ad Matutinum, & in aliis ſolemnitatibus, & diebus ſolemniter celebratis non accendatur, niſi adſit conſuetudo, quod durante tempore paſchali accendatur*. S. R. C. 19. Maji 1607. in *Placentina*. Apud Caval. to. 4. c. 21. d. 4. Tempus autem paſchale quoad rem, de qua agitur, dubio procul, inquit Caval. l. cit. nu. 13. exſpirat in die Aſcenſionis, in qua poſt Evangelium Miſſæ ſolemnis a Rubrica mandatur extingui, & non ulterius accendi, niſi in Sabbato Pentecoſtes ad benedictionem fontis, ut jam dictum eſt. Ritus accendendi Cereum, qui, eodem Caval. teſte, a celebrioribus Auctoribus approbatur communi fere conſenſu, quique poteſt ab Eccleſiis tuto ſervari, eſt, ut prædictus Cereus ardeat in Sabbato Sancto, iſque per totam Miſſam, & ad Completorium; in die Paſchæ ad Matutinum, omnes alias horas, & ad Miſſam ſolemnem; in duobus diebus ſequentibus; & diebus Dominicis: (in his, cum repetitio ſint Reſurrectionis Domini: ut ſuo loco explicatum eſt: etiam ad horas,) ad utraſque Veſperas, Laudes, & ſolemnem Miſſam; & ſic etiam erit de feſtis omnibus de præcepto tunc occurrentibus, & adhuc de non præcepto; ſi ſolemniter celebrantur: Accendi item poterit ad Miſſam quamlibet ſolemnem ſive feſtivam, aut votivam, quacumque die habeatur, demptis tamen Miſſis de Requiem, ſicut & illis, in quibus adhibenda ſunt paramenta violacea, quales ſunt Miſſæ Rogationum. Ubi vero Miſſa Conventualis, aut parochialis non habetur ſolemniter, ad eam adhuc probant Auctores accendi Cereum, non quidem univerſim, ſed pro diebus Dominicis, atque feſtivis de præcepto.

Diximus: in die Aſcenſionis in Miſſa poſt Evangelium extingui Cereum paſchalem, nec amplius accendi, niſi in Sabbato Pentecoſtes ad benedictionem fontis. An autem ardere eo die item debeat, ad ſubſequentem Miſſam? affirmant Piſcara, & Quarti apud Caval. l. cit. n. 12. qui tamen ait: opinionem negativam Pittoni conformiorem videri Rubri-

Digitized by Google

cæ, quæ nonniſi *benedictionis fontis* meminit. Eo autem die accenditur ad benedictionem ſontis ob eamdem rationem, ob quam accenditur ad benedictionem fontis ejuſdem in hoc Sabbato Sancto, quam explicavimus ſubſ. 3. §. 8. n. 341. In die autem Aſcenſionis extinguitur ob rationem ibi indicandam.

353 Tandem animadvertimus hîc: Benedictum XIII. juſſiſſe, in omnibus Parochialibus Eccleſiis faciendas eſſe omnes functiones ſolemnes etiam ſine numero Cantorum, & Miniſtrorum; & parvum Cæremoniale pro Eccleſiis minoribus præcepiſſe vulgari an. 1725. ac ſervari mandaſſe in Sabbato Sancto &c. Apud Merat. *ind. decr. Miſſ. n.* 515. Ratio autem, ſive Ritus celebrandi functiones ſolemnes Sabbati hujus in minoribus Eccleſiis, explicatur a Merato *tom. 1. part.* 4. *tit.* 10. *de Sab. Sanct. n.* 69.

§. II.

Expoſitio Myſtica Rituum, & Cæremoniarum hodiernæ Miſſæ ſolemnis.

354 SACERDOS, & Miniſtri Miſſam celebraturi paramenta ſumunt albi coloris propter Angelum teſtem Reſurrectionis nuntium, qui apparuit ſtola candida coopertus, de quo dicitur Matth. 28. 3. *Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimentum ejus ſicut nix*. Et Marc. 16. 5. *Et introeuntes in monumentum, viderunt Juvenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida*. Ita ex Innoc. III. Gavantus *in Rubr. Miſſ. par. 1. tit.* 18. *nu.* 2. *litt. b.* Item quia pueri nunc renati, ſeu Neophyti, hoc eſt, recenter baptizati in hoc Sabbato, albis olim veſtibus induebantur ex more plurium Eccleſiarum. Durand. *in Ration. Offic. lib.* 3. *c.* 18. *n.* 2. fine; & pro indicato vetere more videri poſſunt dicenda in Sabbato in Albis art. 1. Videtur etiam color albus adhiberi, ad ſignificandam innocentiam ſeu gratiam ſanctificantem, quæ in Baptiſmo hodie celebrato, ſeu ſolemniter miniſtrato confertur, & acquiritur. Item Miniſtri Altaris pretioſis, & ſplendidis ſunt veſtibus decorati, ad ſignificandum, quod Neophyti ſunt indumentis virtutum ornati. Durand. c. 85. nu. 1. & propter gaudium Reſurrectionis, & excellentiam tantæ feſtivitatis.

Secundum veriorem ſententiam, 355 Miſſa Sabbati Sancti caret Introitu, cum incipiat a *Kyrie eleiſon*. Idque tradunt Amalarius, Rupertus, Beleth, Durandus ex antiquo Eccleſiæ more, qui fuit ante Papam Cœleſtinum I. (veriſimilius ante Gregorium Magnum; vid. Benedictum XIV. *de Sacrif. Miſſ. lib.* 2. *c.* 4. *nu.* 2.) ſecundum quem Introitus in Miſſis non dicebatur, ſed a *Kyrie eleiſon* Miſſæ officium ſumebat initium. Non ſine myſterio autem mos ille vetus retentus eſt in Miſſa Sabbati Sancti, ſicut etiam in Miſſa ſolemni Sabbati Pentecoſtes; & in illo quidem Sabbato propter rationem ibi aſſignandam n. 20. In præſenti autem Sabbato, quia Introitus eſt caput Miſſæ: at ille, qui eſt caput noſtrum, atque principium, Chriſtus Dominus nus ſubtractus eſt, & in Sepulchro ſilet, & etiam poſtquam reſurrexit, nocte tamen Reſurrectionis ſuæ diſcipuli ejus ignorabant ipſum reſurrexiſſe; ita Durand. c. 85. n. 2., & Beleth c. 111. At vero Rupertus *de divin. offic. lib.* 7. *cap.* 11. exiſtimat Miſ-

Miſſam Sabbati Sancti carere Introitu ob eamdem rationem, ex qua caret quibuſdam aliis Miſſæ partibus conſuetis, puta, Graduali, Offertorio, Communione. Hæc autem ideo, interpretatur, omitti, tamquam ornamenta quædam hodierno diei tam feſtivo tamque jucundo detracta, ad alicujus mœroris indicium. Licet enim Eccleſia gaudeat de fide Gentium ad Baptiſmum hodie venientium; attamen triſtatur de incredulitate, & duritia Judæorum; ita Rupertus. Nos autem rationes diſtinctas pro ſingularum prædictarum, & aliarum hodiernæ Miſſæ partium omiſſione aſſignabimus infra. Quamdam aliam rationem minime myſticam aſſignant Meratus, & alii, de eo quod Miſſa Sabbati Sancti careat Introitu. Collige ex dictis n. 50.

Incipit autem a *Kyrie eleiſon* Officium Miſſæ, quia ex Honor. in Gem. *lib.* 3. *cap.* 118. & Durand. loc. cit. eſt quædam vox lætitiæ de hoc, quod Neophyti ſint renati, & rogat Eccleſia, ut Dominus eos in novitate Spiritus conſervare dignetur.

Omnia item, quæ dicuntur uſque ad Evangelium, ad Neophytos præcipue referuntur. Profecto *Gloria in excelſis* ideo cantatur primo, quia Baptizatis gloria amiſſa redditur, & pax eſt data Renatis, quæ nunciata fuit ab Angelis in nocte Nativitatis. Secundo, quia Angeli, qui primo illud nato Domino cantaverunt, pro renatis in Baptiſmo lætantur: quemadmodum gaudet eorumdem Neophytorum Mater Eccleſia, & exultat, quæ genuit eos. *Prov.* 23. 25. Tertio decantatur *Gloria* propter gaudium proximæ Reſurrectionis Domini: Unde etiam Campanæ ſonitu feſtivo ad exultandum excitant audientes. Dur. loc. cit. Gavant. *in Rubr. Miſſ. part.* 1. *tit.* 8. *litt. y.* Beleth c. 111. Rupert. *lib.* 7. *c.* 11. Honor. *in Gemm. lib.* 1. *c.* 115. & 118. Hugo Victor. *de Miſſ. obſervat. lib.* 3. *cap.* 28.

Collectam etiam ad recenter baptizatos ſpectare, manifeſtum eſt; ſimiliter Epiſtola refertur ad eos, ut facile eſt, intelligere, explicatque Durand. c. 85. n. 3. qui videri poteſt; ſed & in Canone tit. *Infra actionem*: (hoc eſt, *infra Canonem*: vid. Caval. tom. 5. c. 16. nu. 35.) fit mentio de recenter baptizatis. Cur autem in Collecta, Præfatione, & *Communicantes*, fiat mentio noctis? explicavimus §. præcedenti n. 350.

Ad *Gloria in excelſis*, velum magnum, quod pendebat ante Altare majus, illudque velabat, removetur, ad excluſionem, videlicet, luctus. Item ut ſignificetur, quod, quæ prius erant occulta, ſcilicet in Scriptura Divina Teſtamenti veteris, facta ſunt in Reſurrectione Domini manifeſta: ut interpretatur Joannes Beleth *de divin. offic. cap.* 85. fine. Honor. in Gemma *lib.* 3. *c.* 46. fine, & indicat quoque Durandus *in Ration. lib.* 6. *c.* 86. *n.* 6. & favet item Apoſtolus 2. *ad Cor. cap.* 3. *v.* 15. & 16. Dicit etiam laudatus Honorius, in Paſcha Dominicæ Reſurrectionis velum auferri, & Altare ornatum ab omni populo conſpici, quia in univerſali Reſurrectione omnia nuda, & aperta erunt, ubi Beati Regem gloriæ in decore ſuo videbunt. Vid. dicta hoc lib. 4. par. 1. c. 4. nu. 22. ubi explicavimus, quare tempore Quadrageſimæ velum hujuſmodi ante Altare majus conſuevit extendi?

Poſt Epiſtolam canitur *Alleluja* alte, altius, altiſſime. Vox hebraica 356
eſt:

eſt: Alleluja *autem*, *ſicut* & Amen *de hebræa in aliam linguam numquam transferuntur : non quia interpretari minime queant ; ſed , ſicut ajunt Doctores, ſervatur in eis antiquitas propter ſanctiorem auctoritatem*. Ita S. Iſidorus Hiſpal. Epiſc. *de Eccl. offic. lib.* 1. *c.* 13. Idipſum habet Rabanus *de Inſtit. Cleric. lib.* 1. *cap.* 33. Quænam vero ſit prædicta ſanctior auctoritas : explicat idem Iſidorus *lib.* 6. *c.* 19. dicens: Amen, & Alleluja *ſacroſancta ſunt*, *ut etiam Joannes referat*, *audiviſſe Cœleſtes Exercitus dicentium ;* Amen & Alleluja ; *ac per hoc ſic in terris oportet utraque dici*, *ſicut in Cœlo reſonant*. Vocem *Alleluja* varie interpretantur Authores, ut videre eſt apud Theophil. Raynaud. *to.* 2. *ſect.* 2. *c.* 11. *a n.* 293. Baron. *in not. Martyrolog, ſub die* 5. *Aprilis*. Jo: Lorin. *in Pſalm.* 104. in argum. Gavant. *in Rubr. Miſſ. par.* 1. *tit.* 10. *n.* 3. Merat. *to.* 2. *ſect.* 5. *c.* 4. *n.* 4. Benedict. XIV. *de feſtis Dom. lib.* 8. *§.* 6. poſt initium ; & *de Miſſ. ſect.* 1. *cap.* 8. *§.* 3. Satis ſit indicare, eam ſaltem nunc, haberi pro voce exultationis, & lætitiæ. Rupert. *de div. offic. lib.* 4. *c.* 6. Gavant. *nu.* 4. Bened. XIV. l. cit. Caval. *to.* 2. *c.* 34. & *in d.* 4. *nu.* 2. Correſpondet Latinorum *Plaudite*, & Italorum *Viva* Benedict. XIV. loc. cit. Significat autem omnis noſtræ lætitiæ, & exultationis cauſam Chriſtum Redemptorem Mundi. Confer dicta hoc tract. 2. lib. 3. par. 1. cap. 1. num. 4. Docuimus loc. cit. cur hujuſmodi vox omittatur a Dominica in Septuageſima uſque ad hoc Sabbatum ? nunc vero dicendum, quare hodie reſumatur ? reſumitur itaque hodie a prædicto tempore *Alleluja* : quia Eccleſia jam cœpit Sacramenta paſchalia celebrare. Reſumitur autem in Paſchate *Alleluja* ex contraria cauſa, ob quam hactenus a Dominica in Septuageſima ſuppreſſum fuerat : quia videlicet Chriſtus, qui per *Alleluja* ſignificatur, advenit: & qui morte ſublatus, ab oculis noſtris diſparuerat, jam reſurgens ex mortuis, iterum glorioſus apparuit, & noſtræ redemptionis conſummatum eſt opus. Rurſus *Alleluja* cum ſit vox gaudii, & exultationis, ut modo indicavimus, illud reſumimus ex ſimili cauſa, ob quam pronunciatum fuit ab Agæo Propheta, ut ſcribit Epiphanius *lib. de Vit. Prophet.* cap. 20. ait enim, eum, cum vidiſſet Dei domum, quæ prius miſere ſoluta ceciderat, fuiſſe reædificatam, ceciniſſe *Alleluja* magno cum gaudio, juxta Prophetiam Tobiæ c. 13. Nos igitur ædificari per Chriſtum Dei domum poſt captivitatem cernentes, ut habet alicubi Pſalmi titulus, ipſumque primarium Dei Templum judaica rabie ſolutum, denuo excitatum agnoſcentes, preſſum aliquandiu *Alleluja* reſumimus; laudantes Deum per Chriſtum, eumque excitatum, tantæque noſtræ in Deum laudis argumentum ſignantes per *Alleluja*. Ita Raynaud. *to.* 2. *ſect.* 2. *c.* 11. *n.* 296. fin. Item dicitur *Alleluja*, quia invitantur Neophyti ad laudandum Deum pro gratia Baptiſmi. Porro *Alleluja* interpretari latine *laudate Deum*, putant nonnulli ex veteribus Scriptoribus de Eccleſiaſticis officiis, & videri poteſt Lorin loc. ſupra cit. Quod clarius habet verſus ſubſequens : *Confitemini Domino*: qui eſt de Pſalmo 117. cujus titulus eſt *Alleluja*. Denique dicitur *Alleluja*, ad notandam lætitiam Neophytorum, quam habent de ſpiritua-

li

li novitate. Rupert. *lib.* 7. *cap.* 11. Durand. *c.* 85. *n.* 4.

Alleluja vero ter repetitur, ad ſignificandam veritatem, & plenitudinem gaudii noſtri propter Reſurrectionem Domini: & ſic refertur ad tempus illud, quo Reſurrectio plane patefacta erit. Canitur elevando gradatim vocem, quia Apoſtolis, & Diſcipulis paulatim innotuit Reſurrectio Domini, & paulatim in fide Reſurrectionis ejus creverunt; unde & paulatim crevit eorum lætitia: primum enim fuit magna, deinde major, tandem autem maxima.

Alleluja ſine Graduali dicitur, quia cum officium hujus Miſſæ uſque ad Evangelium ad Neophytos maxime referatur: & Graduale (ita dictum ex eo, quod caneretur eo tempore, quo Diaconus aſcendebat gradus ſuggeſtus, ut ibi eaneret Evangelium: uti ex Rhenano tradit Bellarminus *de Miſſa lib.* 2. *cap.* 16. Confer Merat. *tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 10. *num.* 2.) ſignificet aſcenſum de gradu in gradum, ut Durandus explicat loc. cit. numer. 4. (alteram ſignificationem notabimus in Sabb. in Albis num. 6.) recenter autem baptizati nondum per opera in virtutibus gradum fecerint: ideo ſicut *modo geniti infantes*: ut Divus Petrus loquitur 1. *Petr.* 2. 2. non cogendi ſunt alta conſcendere. Graduale itaque non dicitur, ad ſignificandum, Neophytorum virtutem nondum eſſe ſatis elevatam. Jo. Beleth. c. 111. Idque notum fit, tum ut antiquiores fideles excellentiora virtutum opera ab illis non expetant, nec munera magnis expoſita periculis ſpiritualibus eis imponant; tum ut ipſimet Neophyti imbecilitatem ſuam agnoſcant; ne in ſuperbiam elati in judicium incidant Diaboli: ut Divus Paulus monet 1. ad Timoth. 3. 6. Infra Octavam vero Paſchæ dicitur Graduale, & quidem propter ipſos Neophytos, ſed ex alia ratione, ob alteram ſignificationem, uti ſuo loco videbimus.

Dicitur hodie Tractus, qui ſignificat patientiam, per quam baptizati exſpectare debent gloriam ſempiternam. Beleth. cap. 111. Durand. cap. 85. num. 4.

Cum Tractu miſcetur *Alleluja*: gaudium videlicet cum luctu, quem ſignificat Tractus: quia gaudium Paſchale eſt, ſed nondum plenum. Reſurrectio enim Chriſti nondum plene patefacta eſt. Item *Alleluja* cum Tractu miſcetur propter Neophytos; gaudentes enim pro Neophytis noſtris, quia ab omni peccato liberati ſunt, canimus *Alleluja*; ſed quia eoſdem variis videmus tradendos laboribus, Tractum ſubjicimus, per quem labores intelliguntur; ita Durandus *in Ration. lib.* 6. *c.* 89. *num.* 25. Amal. *de eccl. offic. l.* 1. *c.* 38. Rupert. *lib.* 7. *cap.* 11. Honor. *in Gem. lib.* 3. *cap.* 118. Videri etiam poſſunt dicta ſubſ. 3. §. 6. n. 328. Item cantatur *Alleluja* pro gaudio Dominicæ Reſurrectionis, ut ſupra dictum eſt, in qua nobis reſurgendi ſpes data eſt, juxta illud Job 19. 25. *Scio enim, quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſuum*. Idipſum ſæpius habet Apoſtolus in ſuis Epiſtolis. Sed quia Reſurrectio noſtra, quam habemus in ſpe, longe eſt adhuc in re, & ad eam per difficultates tendendum eſt, ſequitur Tractus. Ita Hugo Victor. *de ſpecial. Miſſ. obſervat. lib.* 3. *c.* 29.

Non portantur ad Evangelium can- 357
ta-

tandum luminaria, ſed incenſum: ut ſignificentur Mulieres, de quibus agit Evangelium legendum, veniſſe ad monumentum cum aromatibus, ſine lumine explicitæ fidei Reſurrectionis Domini. Durand. cap. 5. Alcuin. *de div. offic. cap. de Sab. Sancto* fine. Hugo *lib. cit. c.* 30. Gavant. *n.* 36. Item ad ſignificandum, nos audire quidem ab Angelis, Chriſtum reſurrexiſſe, ut in Evangelio dicitur, ſed nondum nobis ipſum apparuiſſe. Porro in Altari, & Miſſæ Sacrificio, & ad Evangelium in Miſſa ſolemni *Cerei accenduntur, deportanturque, non ad tenebras, ſole jam rutilante, fugandas, ſed ad lætitiæ ſignum, & ad lucem illam veram ſub typo luminis corporei demonſtrandam.* Verba ſunt Claudii Eſpencei *lib.* 1. *de Euch. cultu c.* 11. quem laudat Benedictus XIV. *de feſtis Domini c.* 5. §. 2. Similis eſt interpretatio Micrologi c. 11. fine, ubi ait: *Juxta Romanum Ordinem nunquam Miſſam abſque lumine celebramus: non utique ad depellendas tenebras, cum ſit clara dies: ſed potius in typum illius luminis, cujus Sacramenta ibi conficimus, ſine quo & in meridie palpabimus ut in nocte.* Item vulgatus Alcuinus *cap. de celebr. Miſſ. & ejus ſignific.* inquit: *Cerei quoque Evangelium præcedentes demonſtrant, gratia Evangelii Mundum, qui erat in tenebris peccatorum, illuminatum.* Aliæ quædam interpretationes circa hujuſmodi ritum videri poſſunt apud Ivonem Carnotenſem Serm. de excellentia ſacrorum Ordinum, Honor. *in Gemma l.* 1. *c.* 21. & 118. Tournely *de Euch. q.* 8. *art.* 13. §. *de Cereis*, & apud alios, quos citat, quorumque indicat loca Meratus *tom.* 1. *par.* 1. *tit.* 20. *num.* 8. *fine*.

358 Non dicitur *Credo*, ut infirmorum animorum de Chriſti Reſurrectione dubitatio denotetur. Durand. nu. 5. Quia nimirum in Diſcipulis Domini nondum erat fides explicita Reſurrectionis ejus; vide dicta art. 3. num. 25.

Offertorium non dicitur, ſeu Antiphona illa, quæ nuncupatur *Offertorium*. Meratus *tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 10. *de Sab. Sancto n.* 57. putat, in Sabbato Sancto omitti Offertorium, quia Oblationes (unde locus hic Sacrificii, & Antiphona, quæ recitatur, *offertorium* nuncupatur; vide dicenda ſubſ. 5. num. *365.*) a populo fortaſſe fiebant ante hanc Miſſam; tum quia ſic erat commodius ſuſceptoribus baptizandorum; tum ut Miſſa brevior eſſet, quam contrahere, opus erat, ut vitaretur, quam maxime poterat, vagitus infantium qui baptiſmum & ſuſcepiſſent; difficile enim erat, quin ploratu, & ejulatibus omnia complerent; nec diſſentit Benedictus XIV. *de feſtis l.* 1. *c.* 8. *nu.* 68. & Caval. *to.* 4. *c.* 4. *in d.* 3. & 4. *n.* 10. Ubi etiam refert teſtimonium Walafridi (cujus nos verba recitabimus infra ſubſ. 5. n. *366.*) tradentis, id eſſe reliquiam moris antiqui, ex quo oblationes a populo fiebant in ſilentio: hoc eſt, nihil canebatur, ſeu dicebatur a Choro, dum fierent oblationes; conſuetudo autem illa fuit in Sabbato Sancto retenta ad ſignificandum timorem, & ſilentium Mulierum venientium cum aromatibus ad Sepulchrum, ut interpretatur Durandus n. 6. Beleth. c. 111. Alcuin. Gavant. ll. cit. & alii, conſentitque Caval. *to.* 4. *c.* 21. *in d.* 7. *n.* 10.

Agnus Dei non dicitur ob ſilentium Mulierum, quæ explicite nondum credebant Chriſto Redemptori Animarum ad tollenda peccata Mundi:

di: ut Durandus interpretatur, & indicat etiam Alcuinus l. cit. Amalar. *de Eccl. offic. l. 1. c. 31.* fine. Honor. *in Gem. l. 3. c. 118.* & Hugo Vict. *de Miſſar. obſervat. lib. 3. c. 31.* Licet quidam apud Benedictum XIV. *de feſt. Dom. c. 8. §. 6.* verſus finem, & apud Caval. *tom. 4. c. 4. in d. 3. & 4. n. 11. & c. 21. d. 7. n. 11.* omitti, velint, quia hæc nova ſit adjectio: cum deprecatio hæc fuerit inſtituta a Sergio Papa, qui ſedit anno 688. Videri poteſt idem Caval. *to. 5. c. 23. n. 6.*

Pacis oſculum non datur, quia nondum dixerat Chriſtus Apoſtolis: *Pax vobis:* quod dixit, poſtquam ipſis apparuit in die Reſurrectionis ſuæ. Rupert. l. 7. c. 12. Durand. l. cit. Beleth. c. 111. etſi apud Bened. XIV. *de feſt. Dom. c. 8. §. 6.* & apud Caval. *tom. 4. c. 4. in d. 3. nu. 11. & c. 21. in d. 7. nu.* 10. & apud Merat. cit. n. 57. fine, Grancolas tradat, ideo in hac Miſſa oſculum pacis omitti, quia illud dandum olim erat initio Matutini Paſchalis, antequam inciperet officium, quod nocte canebatur; tunc enim fideles mutua charitate ſeſe invicem oſculabantur, dicentes: *Surrexit Dominus de Sepulchro.* Hujuſmodi quidem ritus traditur in veteri Ordine Romano apud Hittorpium *tit. de ordine in Vigilia Sancti Paſchæ in nocte.*

Communio, & *Poſtcommunio* prætermitti, eo quod populus non debeat communicare in hac Miſſa, creditur a Gavanto *in Rubr. Miſſ. par. 4. tit. 10. n. 38.* litt. O. & n. 46. & a Magri in Vocabul. eccl. *V. Communio.* Verum in hac etiam Miſſa olim communicaſſe fideles, videbimus ſubſ. 5. nu. 366. unde melius a Durando in *Ration. offic. l. 6. cap.* 85. *num. 7.* cui conſentiunt ipſe Gavantus cit. n. 38. & Merat. cit. n. 57. prope finem, & alii: melius, inquam, aſſertur, ideo *Communio*, & *Poſtcommunio* omitti, quod eorum loco ſuffectæ ſint Veſperæ, quæ verius appellari poſſunt *Gratiarum actio*, quam officium Veſperarum; Porro *Communio*, & *Poſtcommunio* vocabantur *Gratiarum actio*: teſte Ruperto *de div. offic. lib. 2. c. 18.* Confer Bened. XIV. *de Miſſ. ſect. 1. c. 23. §. 1.* ſed & Veſperæ vocabantur *Gratiarum actio*; vid. Merat. *to. 2. ſect. 4. c. 5. n. 1.*

359 De hujuſmodi autem Veſperis hodiernis reſtat quærere, & primo quidem, quare in Miſſa dicantur? Secundo, quare ſub finem Miſſæ? Tertio tandem, cur adeo breves ſint reſpective ad conſuetas quotidianas per annum? Et ad primum reſpondetur: ideo Veſperas in Miſſa ſolemni recitari, quia antiquitus hæc Miſſa celebrabatur circa finem Sabbati, ſeu nocturno tempore, vide dicta n. 43. Cum autem ex una parte, tempus, quo recitandæ fuiſſent Veſperæ, fuerit occupatum ab officiis, ſeu functionibus Sabbati Sancti, quæ Miſſam præcedunt; puta a benedictione ignis, Cerei Paſchalis, fontis baptiſmalis &c. Vide rurſus dicta loc. cit. & tr. 1. l. 1. c. 1. art. 1. n. 8. Ex alia parte vero ſi ante prædicta officia recitari voluiſſent Veſperæ, valde mature anticipandæ fuiſſent: quod tamen non videbatur conveniens in Choro; hinc differebant Veſperas uſque ad Miſſam; ſed ne forte, ſi finita Miſſa dicerentur Veſperæ, Neophyti, non auditis Veſperis, recederent, credentes habere licentiam abeundi: ideo etiam intra ipſam Miſſam dicebantur. Ita Durand. *cit. c. 85. nu.* 8. & Joannes Beleth *de di-*

vinis offic. c. 111. Unde etiam ſignificatur, Eccleſiam olim voluiſſe, ut fideles certis ſaltem diebus, ſive ex obligatione, ſive ex congruentia intereſſent recitationi Veſperarum. Sunt autem qui tradant: quod Veſperæ in Sabbato Sancto dicantur in Miſſa, monumentum eſſe moris antiqui, recitandi Veſperas in Miſſa poſt Communionem diebus jejunii quadrageſimalis. Vid. Caval. to. 2. par. 2. cap. 38. nu. 3. Inde autem habes etiam reſponſionem ad ſecundam partem propoſitæ quæſtionis, quare, ſcilicet, circa finem Miſſæ Veſperæ recitentur? ad quam rurſus reſponderi poteſt, ex ſententia Durandi, & aliorum modo ſupra relata ſequi, illud eſſe, quia gerunt vicem Communionis, & Poſtcommunionis, quæ ſolent circa finem Miſſæ recitari.

Denique ad tertiam quæſiti partem reſpondetur ex eodem Durando loc. cit. & Beleth c. 11. breviſſimas Veſperas hodie recitari ob reſpectum Neophytorum, quibus certe, utpote divinis officiis non aſſuetis, tædium generaretur, ſi poſt Miſſam, & tam prolixa officia, quæ præceſſerunt, cogerentur a prima die, qua Eccleſiam ingreſſi ſunt, longioribus Veſperis intereſſe. Dici etiam poteſt, breviſſimas Veſperas fuiſſe hodie recitatas, ut vitaretur, qua maxime poterat vagitus infantium, qui baptiſmum ſuſcepiſſent; difficile enim erat, quin ploratu, & ejulatibus omnia complerent: quemadmodum ſupra notavimus ex Merato. Tandem La-Croix l. 4. qu. 188. §. 3. n. 1204. affirmat, hodiernas Veſperas breves continere magnum myſterium; non explicat autem quodnam ſit illud? At vero Honorius *in Gem. l. 3. cap.* 118. *fine* ait in Sabbato Sancto Veſperas ſolito more minime decantari, ſed eſſe adeo breves, & (ut ſignificat) fere nullas, quia dies hæc nullo modo Veſpere terminatur, ubi Deus ſine fine laudatur. Ego autem dicerem: hodiernas Veſperas breviſſimas, ad ſignificandum: noctem hanc fuiſſe breviſſimam, eo quod Chriſti Domini mature reſurgentis fuerit illuminata fulgore: juxta illud, quod fuit in benedictione Cerei decantatum: *Hæc nox eſt, de qua ſcriptum eſt, & nox ſicut dies illuminabitur &c.*

§. III.

Quod in Sabbato Sancto celebrare non liceat Miſſas privatas.

NON licere in Sabbato Sancto celebrare Miſſas privatas, ſeu lectas, docuimus hoc capite n. 49. Vide tamen etiam dicta n. 47. 360

§. IV.

Quod in Sabbato Sancto ne quidem pro recenter defunctis liceat celebrare.

NE quidem præſente cadavere poſſe in Sabbato Sancto Miſſam celebrari privatam, vel etiam ſolemnem, docuimus hoc cap. n. 56. 361

§. V.

Solvuntur nonnullæ Quæſtiones pertinentes ad hodiernam Miſſam.

QU. I. An Miſſa ſolemnis in Sabbato Sancto dicenda omnino ſit ab illo eodem Sacerdote, qui peregit præcedens officium ejuſdem Sabbati: puta, qui legit prophetias, recitavit Orationes &c. 362

℟. Vi-

℟. Videtur quod ſic. Porro Prophetiæ, ſeu lectiones in Sabbato Sancto videntur eſſe pars Miſſæ præſentis diei; enimvero Pontificale Romanum præſcribit eas eſſe legendas in Miſſa Collationis Ordinum in Sabbato Sancto: rurſus allegabimus num. 370. Decretum S. R. C. in quo declaratur Miſſa quoque privata collationis Ordinum incipere etiam a lectionibus; alterum inſuper num. 48. produximus Decretum in quo declaratur, non eſſe omittendas lectiones a Parochis Lucanis legentibus ex conſuetudine Miſſam privatam in Sabbato Sancto. in propria Parochia. Accedit Rubrica Miſſalis in officio Sabbati Sancti ad Altare præſcribens illi eidem Sacerdoti, qui officium ad Altare peregit, ut in Litaniis cum perventum fuerit a Cantoribus ad ℣. *Peccatores, te rogamus*: ſurgat de loco, ubi provolutus jacebat ante Altare, & accedens ad Sacriſtiam, induatur paramentis albi coloris pro Miſſa ſolemniter celebranda. Ergo ipſe idem Sacerdos, qui officium ad Altare peregit in Sabbato Sancto, debet & Miſſam celebrare ſequentem; & ita affirmat Caval. *tom.* 4. *c.* 21. *comm. in decr.* 7. *n.* 2. Cæterum aliquando vidimus per alium peragi officium Sabbati Sancti, hoc eſt, legi lectiones &c. at vero per aliam Miſſam celebrari ſequentem.

363 Qu. II. An Miſſa ſolemnis in Sabbato Sancto incipi poſſit longe poſt meridiem: puta poſt horam diei nonam? ob tam longum præcedens officium Eccleſiarum; maxime cum olim eadem Miſſa celebraretur in nocte.

℟. Affirmat cum aliis Diana *tom.* 2. *edit. coord. tr.* 1. *R.* 108. §. 3. & in hac ſententia eſt etiam D. Thomas 3. *par. qu.* 83. *art.* 2. *ad.* 3. Verum melius Suarez *to.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 80. *ſect.* 4. §. *ſed qu.* 1. exiſtimat, quod quamvis id aliquando licuerit, nunc autem ritu veteri abrogato, non amplius liceat, etiam in Sabbato Sancto Miſſam celebrare hora veſpertina: quia, inquit, oportet, eſſe in Eccleſia aliquid certum, & ſtabile in hujuſmodi Ritibus, ne liceat uniuſcujuſque arbitrio res novas introducı: & ideo poſtquam prior ille ritus celebrandi Veſpere Miſſam in Sabbato Sancto, abrogatus eſt, & alius introductus, hic eſt ſervandus, nec licitum eſt unicuique, auctoritate ſua revocare priorem; præſertim quia Pius V. ſpeciali quodam motu proprio (conſtit. 4. incip. *Sanctiſſimus* 29. Martii 1566. quam allegavimus 25. Decembr. num. 46.) vetuit omnes nocturnas, vel matutinas Miſſas, etiam in Sabbato Sancto: & Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *in decreto de obſervand. & evitand. in celebr. Miſſ.* ubi præcipit, ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent, huic ſententiæ favet: ita Suarez. Quapropter omnino ſatagendum eſt, ut Officium, ſeu functiones Sabbati Sancti in quibuslibet Eccleſiis inchoentur hora competenti, itaut deinde Miſſa ſolemnis poſſit hora communiter in Eccleſia conſueta, & præſcripta celebrari. Videri hic poſſunt etiam dicta *tr.* 1. *c.* 1. *n.* 47. *& dicenda in Dom. V. poſt Paſcha*.

Qu. III. An Veſperæ, quæ dicuntur in Miſſa ſolemni Sabbati Sancti, ſint pars hujuſmodi Miſſæ? Idipſum quæritur de Prophetiis, & Litaniis. 364

℞. Pro ſolutione hujus quæſtionis videantur dicta hoc c. 8. num. 48. & 50. & pro ſimilibus quæſtionibus ad Miſſam Sabbati Sancti pertinentibus videantur dicta eodem cap. a num. 36.

SUBSECTIO V.

De Communione.

365 QU. An in Sabbato Sancto liceat communicare?

℞. Negant plerique, eo quod 1. in *C. Sabbato* 13. diſt. 3. de Conſecr. ex Innoc. I. dicitur, quod *traditio Eccleſiæ habeat iſto biduo* (hoc eſt in Paraſceve, & Sabbato Sancto) *Sacramenta penitus non celebrari*: ibi Gloſſa: *Non celebrari Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini*. & favet etiam Amalarius *de eccl. offic. l.* 4. *c.* 20. ubi quidem innuit in prædictis verbis ſignificari, eſſe prohibitam Communionem in Paraſceve, & Sabbato Sancto; & videri poſſunt dicta in feria præced. ſubſ. 6.

2. Ratio mortis Chriſti, & triſtitiæ Apoſtolorum, ex qua abſtinendum eſt a Communione in præcedenti feria ſexta, militat etiam pro Sabbato; *Nam utique conſtat*, (ut in laudato nuper Capite dicitur:) *Apoſtolos biduo iſto* (hoc eſt feria VI. & Sabbato:) *in mœrore fuiſſe &c.* videlicet ob paſſionem, & mortem Domini; unde traditio Eccleſiæ habet, *iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari*.

3. Ex eo quia Rubrica Miſſalis feria V. in Cœna Domini præſcribit conſecrari, & reſervari aliquas particulas pro infirmis, ſi opus fuerit: intelligitur interdicta Communio præter rationem Viatici feria VI. Paraſceve. proculdubio ob mœſtitiam mortis, & ſepulturæ Chriſti: ſed in Sabbato Sancto ſumus adhuc in triduo mortis Chriſti. Ergo prædicta Rubrica procedit etiam pro Sabbato Sancto.

Hinc 4. Ratio dictat, abſtinendum eſſe a lætitia Convivii durante mœrore Paſſionis Chriſti, & Apoſtolorum triſtitia; utriuſque autem repræſentatio durat uſque ad diem Reſurrectionis Dominicæ.

5. Non eſſe in Sabbato Sancto miniſtrandam communionem ex devotione; ſignificat ipſa Miſſa hujus diei, dum in ea non dicitur Offertorium, Communio, & Poſtcommunio. Porro Offertorium, ſeu Antiphona, quæ nuncupatur Offertorium, dicebatur in Miſſa, dum Sacramenti Euchariſtiæ materiam populus offerebat pro ejuſdem communione; vid. Merat. *to.* 4. *c.* 4. *in d.* 2. *n.* 1. & 5. & *to.* 5. *cap.* 13. *n.* 1. Bened. XIV. *de Miſſ. ſect.* 1. *cap.* 10. §. 1. poſt initium. Ex eo, quod igitur in Miſſa Sabbati Sancti omiſſum fuerit offertorium, licet arguere, omiſſas fuiſſe in ea oblationes hujuſmodi fidelium, atque adeo in hac Miſſa non communicaſſe.

Similiter Antiphona, quæ *Communio* nuncupatur, ita dicta eſt, quia recitabatur, dum populus communicabat, uti obſervat Gavantus, quem laudat Bened. XIV. *de Miſſ. ſect.* 1. *cap.* 23. §. 1. & videri etiam poteſt Caval. *to.* 4. *c.* 4. *in d.* 7. *n.* 1. Merat. *to.* 1. *par.* 2. *tit.* 10. *n.* 28. poſt *init.* & *n.* 54. *fine*. Quoad Poſtcommunionem vero tradit Azorius *Inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 10. *c.* 55. *qu.* 13. & Merat. *cit. n.* 28. prope medium: quod olim poſtquam Sacerdos Corpus Domini ſumpſerat, Clerus, & Populus ſacram Communionem percipie-

cipiebat, & deinde ſuccedebat precatio, qua Deum pro omnibus Sacerdos orabat; inde autem factum ſit, ut ea oratio dici cœperit *Poſtcommunio*, quod etiam ſignificat Micrologus *de Eccl. obſervat. cap.* 51. Dum igitur in Miſſa Sab. S. tacetur *Communio*, & *Poſtcommunio*, datur intelligi, quod in ea non ſit adminiſtranda Communio.

Denique 6. Conſuetudo univerſalis abſtinet a Communione extra rationem Viatici in Sab. S. & Gavantus quidem *in Rubr. Miſſ. par.* 4. & *tit.* 10. *nu.* 38. & 46. tradit, fideles in hac Miſſa non communicaſſe tempore Durandi, quando jam introducta fuerat conſuetudo celebrandi hanc Miſſam mane; ſed in die ſequenti communicaſſe tum Catechumenos, tum alios. Idque monet Gavantus, ut notetur contra quoſdam; qui gratis, inquit, oppoſitum ſcripſerunt; ne communicet alius a Celebrante in hac Miſſa noctis. De præſenti autem conſuetudine teſtatur Benedictus XIV. *de Sacrif. Miſſ. lib.* 3. *c.* 18. *nu.* 14. monetque, hanc conſuetudinem eſſe ſervandam. Accedit Macri *in Vocab. Eccl.* V. *Communio*, damnans tanquam abuſum, adminiſtrare Communionem Populo in hoc Sab. Sancto. Conſuetudinis autem hujuſmodi congruentia indicata eſt ſupra, viderique etiam poſſunt dicta, & ratio myſtica in feria præcedenti ſubſ. 6. nu. 287. ubi examinavimus: Quare ſit in Paraſceve prohibitum communicare? Et hæc pro ſententia negativa.

366 Plures nihilominus affirmant, licere, ex devotione communicare in Sab. S. in Miſſa ſolemni ſaltem, aut poſt Miſſam ſolemnem. Et ſecundum ſententiam hanc reſpondetur ad primum in oppoſitum: quod in objecto Capite minime prohibetur abſolute pro toto Sabbato Sacramentorum adminiſtratio, ſed ſolum uſque ad Miſſam, quæ hodie dicitur mane in Sabbato, antiquitus dicebatur ſero, ſed adhuc ſimiliter in eodem Sabbato. Caput illud ergo non procedit de toto Sabbato, ſed de Sabbato uſque ad horam celebrandæ Miſſæ. In Miſſa autem Sabbati adminiſtratam olim fuiſſe Communionem, ſtatim dicetur.

Ad ſecundum reſpondetur: triſtitia mortis Chriſti in hoc triduo; ſicut non incipit niſi poſt Miſſam feriæ V. in Cœna Domini, ita nec durat niſi ad ſummum uſque ad Miſſam Sabbati Sancti; ut patere poteſt ex ſignis lætitiæ Eccleſiæ, quæ etiam invitat ad lætandum, & exultandum pro Reſurrectione Chriſti: ut conſtat ex Divinis officiis, & Miſſa hujus dici. Hinc patet reſponſio ad 3. & 4.

Ad 5. reſpondetur: in hac etiam Miſſa Sabbati olim populum communicaſſe, conſtat ex Ordine Romano antiquo, in quo ubi de Miſſa Sabb. S. ſic legitur. *Poſtquam omnes communicaverint, dicitur Oratio ad complendum*. Hoc eſt Poſtcommunio, ut conſtat ex Walafrido *lib. de reb. Eccl. c.* 22. *prope finem*. Item adminiſtratam hodie fuiſſe olim populo communionem, oſtendit quoque Meratus *in tit. de Sab. S.* ſupra cit. num. 57. Benedictus XIV. *tract. de feſtis lib.* 1. *c.* 8. *n.* 68., & Caval. *tom.* 4. *c.* 4. *in d.* 3. & 4. *nu.* 12. Rurſus in hac quoque Miſſa olim populum communicaſſe, etiam quando, vel ubi non fuit recitata Antiphona *Communio*: conſtat ex laudato Walafrido l. cit. ubi quidem ſignificat, ſuo tempore adminiſtrari conſueviſſe communionem in hoc Sabbato, etiamſi omiſ-

ſa

ſa fuerit Antiphona *Communio;* hæc enim habet: *Offertorium, quod inter offerendum cantatur, quamvis a prioris populi conſuetudine ad uſum Chriſtianorum veniſſe, dicatur: tamen quis ſpecialiter addiderit officiis noſtris, aperte non legimus; ſicut & de Antiphona, quæ ad Communionem dicitur, poſſumus fateri: cum vere credamus, priſcis temporibus Patres ſanctos ſilentio obtuliſſe, vel communicaſſe, quod etiam hactenus in Sabbato Sancto Paſchæ obſervamus*. Hæc Walafridus. Nec ipſas oblationes fieri conſuetas a populo in Miſſa, in hoc etiam Sabbato prætermiſſas fuiſſe, ex Merati ſententia tradidimus ſupra ſubſect. præced. §. 2. n. 358. Huc item referri poſſunt quædam ex iis, quæ pro licita miniſtratione Euchariſtiæ in Miſſis etiam Defunctorum, allegavimus tract. 1. 2. Novembr. art. 1. ſect. 3. ſubſ. 3. qu. 1. nu. 70. Cur autem omittantur in Miſſa Sabbati Sancti Offertorium, Communio, & Poſtcommunio? explicavimus ſupra cit. n. 358.

Denique ad 6. reſpondetur, quod, ut ſupra dictum eſt, etiam antiquitus fuit conſuetudo communicandi in hac Miſſa; deinde, licet modo fere deſierit, nihilominus a Scriptoribus de rebus Eccleſiaſticis referri quædam loca, in quibus vigeat, teſtatur Caval. *10. 4. c. 4. in d. 3. n. 16.* Quod autem ea non ſit abuſus, ſed liceat; dubium quodvis removere, ait Caval. orationem, quæ in Veſperis in ipſa Miſſa hodierna perſolutis, recitatur, habet enim: *Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos Sacramentis paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes*. Subditque Caval. notans cum Cardin. de Luca: in facultativis non uſum minime nocere, & conſuetudinem negativam non præjudicare (confer dicta 2. Novembr. n. 43.) Quapropter contendit, nedum ubi conſuetudo communicandi viget, eam retineri poſſe, verum etiam ubi deſierit, poſſe tuto invehi, atque ſervari.

Ad hæc illud videtur certum, quod communicare ex devotione in Sabbato Sancto, etiamſi dicatur, eſſe prohibitum, attamen ſi fiat in Miſſa, vel poſt Miſſam ſaltem, non ſit prohibitum cum tanto rigore, quemadmodum in præcedenti feria ſexta.

SUBSECTIO VI.

De Jejunio.

LICET a Miſſa hujus diei ſolemnitas ſit cœpta paſchalis in Choro, nihilominus durat adhuc, eſtque ſervandum jejunium & obſervantia quadrageſimalis, *ex lib. 6. Conſtit. Apoſtol. c.* 24. apud Gavant. *in Rubr. Miſſ. par. 4. tit.* 10. & videri poteſt Azorius *Inſtit. Moral. part. 1. lib. 7. c. 12. qu.* 3. Rupert. Abb. *de divin. offic. lib. 6. cap.* 27. Sed quæres, an ſaltem in jejunio hujus Vigiliæ Paſchatis liceat ſumere collationem majorem, ſeu pinguiorem, quemadmodum permittitur in Vigilia Nativitatis Domini? 367

R. Probabile eſſe, quod liceat ob gaudium Paſchatis, & ſimiliter in Vigilia Pentecoſtes ob illius lætitiam, tenet Leander a SS. Sacramento *in præc. Eccl. tr. 5. diſp. 4. qu.* 18. & 19. ac Paſqualigus apud eum, qui pro Vigilia Paſchæ Reſurr. citat etiam Lublinum. Sed merito negat Andreas Mendo *in ſlitera opin. benign. differt. 8. quæſt. 2. fine;* cum Gobat. Diana

edit. coord. tom. 4. *tr.* 6. *Reſol.* 111. §. 3. & Tamburinus *in decal. lib.* 4. *c.* 5. §. 3. *nu.* 7. & *in* 4. *præc. eccl. cap.* 9. *n.* 4. & 10., ubi ait: Leandrum, & Paſqualigum non eſſe audiendos, maxime quia nullus ex timoratis fidelibus id exequi audet. Profecto in hujuſmodi caſibus, & in materia jejunii, ac præſertim refectiunculæ Veſpertinæ, quam ſola conſuetudo introduxit, id tantummodo licet, quod legitima conſuetudo permittit: ut communiter animadvertunt Doctores. Sed in Vigilia Paſchatis, & Pentecoſtes conſuetudo non permittit majorem quantitatem ea, quæ in jejuniis ſumi ſolet. Ergo tantum illa ſumi poteſt, & minime major.

Cæterum Azorius *Inſtit. Moral. par.* 1. *lib.* 7. *c.* 8. *q.* 8. prope finem ſignificat, alicubi eſſe conſuetudinem ſumendi collationem pinguiorem in hoc Sabbato Sancto; eamque in hujuſmodi locis concedit ſumi poſſe; ait enim: idem juris eſſe de pervigilio Paſchatis, ac Nativitatis Domini, ubi fuerit uſu communi receptum, ut refectiuncula in hoc etiam pervigilio Paſchatis paulo major ſolito ſumatur. Idipſum in hujuſmodi locis concedit ipſe Tamburinus *in Decal. loc. cit.* qui tamen teſtatur, hujuſmodi conſuetudinem non adeſſe in noſtro Siciliæ Regno; & inſuper habet optimum monitum ad coercenda talia ſigna lætitiæ in ſanctis feſtivitatibus exorbitantia a communi uſu populi Chriſtiani; videlicet monet: *Cum lætitiam ſacram audis, ne ad corporales delicias, ſed ad ſpirituales animum adjicias*. De iis autem, qui contra faciunt, queritur Thomas a Kempis, eoſque ſic urget *to.* 1. *par.* 1. *ſermonum ad Novitios par.* 3. *ſerm.* 10. *Heu miſeri, & inſenſati Amatores Sæculi, qui feſta Chriſti, & Sanctorum honores in convivia ciborum, & ludos convertitis: ubi manebitis? væ vobis* &c.

SUBSECTIO VII.

De Benedictione Menſæ, & gratiarum Actione.

SABBATO Sancto ad benedicendam 368
Menſam dicitur: *Benedicite*. ℟. *Benedicite*. ℣. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati. Alleluja*. ℟. *Venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre Sepulchrum. Alleluja. Gloria Patri. Sicut erat*: & alia de more.

Poſt Menſam. ℣. *Veſpere autem*: ut ſupra. *Gloria Patri*: *ſicut erat*: Pſalm. *Laudate Dominum omnes gentes. Gloria Patri. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon*: & alia de more.

Animadvertit Cavalerius *tom.* 4. *c.* 25. *Comm. in decr.* 2. *num.* 11. quod etſi in Vigilia Feſti habentis benedictionem Menſæ propriam, ſi cœnetur in Veſperis, anticipanda ſit in Cœna benedictio propria. Vide dicta 5. Januarii art. 4. Non poterit tamen benedictio Menſæ propria feſti Paſchæ anticipari in Sabbato Sancto; nec benedictio Menſæ propria Sabbati Sancti anticipari in feria ſexta: quamvis ad menſam procedatur Veſperis jam recitatis: quia triduum ante Paſcha non habet primas Veſperas, ſed ejuſdem officium ex ſua conſtitutione incipit a Matutino, a quo, item, inquit Cavalerius, incipit feſtum Paſchæ: & licet Matutinum anticipetur, dicaturque pridie ſero prædictorum dierum, non ideo poſſet præ-

prædicta benedictio propria anticipari in Cœna, quæ differetur, & ſumeretur ſero eorumdem dierum : quia quoad rem, de qua agitur, attendendum eſt tempus Matutini canonicum, non tempus indulgentiæ, ſeu permiſſionis; cujuſmodi pro Matutino ſequentis diei eſt tempus veſpertinum præcedentis; alias quippe verſiculus Sabbati Sancti, qui incipit : *Veſpere autem Sabbati :* qui adjuncta habet lætitiæ ſigna, ſcilicet *Alleluja :* dici poſſet in ſero præcedentis feriæ VI. inter ſumma triſtitiæ argumenta : quo quid abſurdius? Ita Caval. cujus hæc doctrina eſt admittenda; licet ratio pro ea ab eo aſſignata non ſatisfaciat; Paſchalis enim ſolemnitas incipit a Miſſa Sabbati Sancti, ut ſupra diximus n. 317. & iterum dicemus in Sabbato in Albis n. 1. quamvis non ſit pleniſſima, ut in die Reſurrectionis. Et hic inſuper notari volumus, Completorium in hoc Sabbato perſolvi ritu Paſchali, & in fine habere Antiph. *Regina Cœli*. Indicat ergo Rubrica manifeſte, ſolemnitatem Paſchæ incipere ante Matutinum Dominicæ Reſurrectionis; non ergo a Matutino Paſchali, ut Cavalerius hic dicit. Ne igitur in Sabbato Sancto ſero recitetur formula benedictionis menſæ aſſignata pro die Paſchæ, ratio eſſe non poteſt, quod feſtum Paſchæ incipiat a Matutino paſchali.

Nos autem potius diceremus, rationem eſſe, diſpoſitionem ipſam Rubricæ, quæ etſi certe ſupponat, ad benedictionem menſæ procedi poſt Miſſam, atque adeo paſchali tempore cœpto, nihilominus aſſignat peculiarem benedictionem paſchalem dicendam in die Paſchæ, ac deinceps per ejus Octavam; & peculiarem benedictionem paſchalem dicendam in Sabbato Sancto : hæc igitur dicenda eſt in Sabbato Sancto ſive in meridie, ſive ſero poſt ſolis occaſum proceda tur ad Menſam. Significatque Rubrica, ubi aſſignat peculiarem benedictionem pro Paſchatis die, ſe loqui de die naturali, & civili, qui incipit a media nocte; atque adeo ante mediam noctem Dominicæ Reſurrectionis recitari non poterit benedictio menſæ propria illius diei naturalis, & civilis : ſed dicenda eſt benedictio propria aſſignata pro Sabbato præcedenti. Quæ item benedictio, cum ſit paſchalis, ut conſtat, ideo uſurpari non poterit in Cœna præcedentis feriæ ſextæ, quæ eſt de tempore Paſſionis, & mortis Chriſti; imo nec in ipſo Sabbato Sancto poteſt adhiberi, antequam incipiat paſchalis ſolemnitas, puta ante Miſſam, quia nimirum eſt benedictio propria Sabbati Sancti, poſtquam cœperit paſchalis ſolemnitas celebrari.

SUBSECTIO VIII.

De Reſidentia Epiſcoporum.

TRIDENTINUM ſeſſ. 23. c. 1. de Reform. indulget Epiſcopis, ex juſta cauſa abeſſe a propriis Diœceſibus per trimeſtre, ſive continue, ſive interrupte intra Annum; eoſque ſimul admonet, ne per illius temporis ſpatium, Quadrageſimæ, Reſurrectionis Domini, &c. diebus ab Eccleſiis ſuis Cathedralibus abſint; niſi forte Epiſcopalia munia in aliis Diœceſum locis eos detineant. Vide dicenda in Appendice ad calcem Diarii c. 11. 369

SUB-

SUBSECTIO IX.

De Collatione Ordinum.

370 SABBATUM Sanctum eſt de Temporibus, quibus poſſunt conferri Ordines majores, ex juribus allegatis tract. 1. in Septembr. par. 1. n. 39. Qua primum ætate invecta ſit in Eccleſiam hujuſmodi Diſciplina conferendi videlicet Ordines majores in Sabb. Sancto? examinat Meratus *to. 1. par. 4. tit. 2. n* 8. Aliqua notanda quoad collationem Ordinum, videantur in Septembri a cit. num. 39. Hic autem ſpecialiter notentur ſequentia. Quæſitum fuit a S. C. R. *Utrum in Sabbato Sancto pro collatione ſacrorum Ordinum Epiſcopus in ſuo domeſtico Oratorio teneatur Miſſam cum Prophetiis, ut in Miſſali, celebrare? Reſponſum fuit: Miſſam collationis Sacrorum Ordinum incipiendam eſſe a Prophetiis*. S. C. R. 21. Martii 1744. in Bergomen. apud Caval. poſt finem *tom.* 4. *in Append. poſt cap. de perpet. immut. feſtor.* Item: *Cum in Sabbato Sancto unica tantum in quavis Eccleſia Miſſa cantata admittatur: An Epiſcopus in privata Cappella, vel Oratorio poſſit ordinationem ſub Miſſa lecta celebrare? & quatenus affirmative, an debeat poſt Communionem idem Epiſcopus pro Veſperis:* Alleluja. Veſpere autem &c. Laudate Dominum, Magnificat &c. *dicere? Reſponſum fuit: ad mentem*. S. R. C. 20. Septembr. 1749. in *Taurinen.* in Hungaria. Apud Caval. l. cit. qui ait: non conſtare, quænam fuerit mens? Ad Miſſam tamen quod ſpectat, abunde patere ex præcedenti Decreto: eam ab Epiſcopo dici poſſe privatim in circumſtantia tali. Quod autem prædictas Veſperas ab Epiſcopo in dicta Miſſa privata dici debeant, ſatis demonſtrare, inquit, illud, quod de hujuſmodi Veſperis tradunt inſignes Autores, videlicet, ut nos ſupra notavimus: eas ſubrogatas eſſe loco Antiphonæ, & Orationis nuncupatæ *Communio, & Poſtcommunio*, ac potius gratiarum actiones eſſe, quam Officium veſpertinum.

Qu. hic: utrum tempore Interdicti localis generalis poſſit in Sabbato Sancto Epiſcopus conferre Ordines? 371

℟. Negative. Primo; quia etiamſi ſecundum dicenda in Dominica Reſurrectionis art. 7. Interdictum locale generale ſuſpendatur in Feſtivitate Paſchali: & feſtivitas Paſchalis incipiat a Sabbato Sancto: non incipit tamen ante Miſſam; vid. dicta n. 317. verſu: *Quod tamen:* & dicenda in Dom. Reſurr. loc. cit. qu. 2. Secundo, etiamſi in Interdicto locali generali concedantur Divina Officia in Feſtivitate Paſchali, & nonnullis aliis feſtivitatibus, de quibus ſuo loco: adhuc tamen negantur ea Sacramenta, quæ ante Interdicti ſuſpenſionem interdicta erant. Atqui in his erat collatio Sacramenti Ordinis. Ergo hæc manet interdicta. Ergo &c. Vide Dian. *edit. coord. tom.* 4. *tr.* 8. *Reſol.* 100. §. 2. Filliuc. *to.* 1. *tr.* 18. *de Interd. cap.* 2. *qu.* 7. *num.* 50. Chiavet. *Conſult.* 151. *nu.* 3. *fine* Bonac. *tom.* 1. *diſp.* 5. *de Interd. pu.* 3. §. 2. *n.* 11. *fine*.

SUBSECTIO X.

Not. pro Agnus-Dei cereis.

372 ROMANUS Pontifex anno primo ſui Pontificatus, & deinceps quolibet ſeptennio conſecrat ritu ſolemni in Sabbato Sancto quaſdam formas cereas,

cereas, quæ vulgo vocantur *Agnus-Dei*: quaſque diſtribuit populo gratis in Eccleſia Sabbato in albis. Nos quidem de hujuſmodi Agnus-Dei agemus in prædicto Sabbato in albis articul. 4.

SUBSECTIO XI.

De Benedictione Domorum in Sabb. Sanct.

373 Ex Rituali Rom. Pauli V. tit. 47. *In Sabbato Sancto Paſchæ, Parochus, ſeu alius Sacerdos* (intellige de conſenſu, & delegatione Parochi: ut conſtabit ex modo dicendis:) *cum Miniſtro deferente vas aquæ ex benedictione fontium, ante perfuſionem Chriſmatis acceptæ, viſitet domos ſuæ Parochiæ, eas aſpergens aqua benedicta*. Porro hæc eſt una ex triplici benedictione domorum in eodem Rituali deſcripta; cujus item fit mentio in Ordine Romano antiquiſſimo, ubi de Officiis Sabbati Sancti fine, & ab Alcuino cap. de Sab. S. Præter ſignificatam aſſignatur altera pro quocumque alio tempore, & tertia ſuper domum novam, vel quodlibet aliud ædificium de recenti conſtructum. Jamvero quo ad priorem benedictionem, quæ ſola præſentis eſt inſtituti, dicimus: benedictionem domorum in Sabbato Sancto eſſe de juribus Parochorum: (vide tamen infra dicenda verſu: *etſi autem benedictio* :) unde *Non poſſunt Regulares in Sabbato Sancto benedicere domos Laicorum*. C. Concil. 23. Novembr. 1619. apud. Caval. *to.* 4. *c.* 24. *d.* 1. Qui autem *comment. in decr.* 4. *n.* 1. notat: conſulto additum fuiſſe *Laicorum*: ut hinc, inquit, daretur intelligi, haudquaquam prohiberi ab Aſperſione ſuorum Monaſteriorum, & quorumcumque locorum, quæ ad ea ſpectant, aut cum eis ſunt connexa. Monaſteria Monialium, etiam quæ Ordinariis parent, conſimili gaudent exemptionis privilegio, & ideo *Parochis nullatenus licet in Sabbato Sancto benedicere Collocutoris, aut januæ Monaſterii Monialium Ordinario ſubjectarum, vel hoſpitio Tertiariorum connexo*. C. Concil. 23. Aug. 1727. apud Caval. diſt. 4. Qui ibi nu. 2. idipſum affirmat de famulis, & famulabus Monialium, quæ cum non degant intra earumdem Monaſterium interius, Parochis quidem ſubjectæ ſunt quo ad receptionem Sacramentorum; (confer dicenda lib. 5. par. 2. in ejus 1. par. c. 3. num. 100.) cum tamen degant exterius intra Monaſterium, ſeu in domibus circumvallatis muro Monaſterii ad quas intratur per portam ipſius Monaſterii: locali quadam exemptione gaudent: cujus ratione non poteſt Parochus in iiſdem agere, niſi quæ expreſſe declarata ſunt; unde in Sabbato Sancto non poterit eaſdem domos benedicere, ſicut non poteſt benedicere Collocutoriis, & januæ ipſius Monaſterii, per quam ad illas intratur. ita Caval.

Quarumcumque autem Monialium clauſuram intrare in die Sabbati Sancti, aut quolibet alio die, cauſa benedicendi Monaſterium, aut Cellas, omnibus, atque adeo ipſimet earumdem Monialium Confeſſario eſt interdictum, ut declaratur in ſequenti Decreto: *Ad benedicenda Monialium Monaſteria, & Cellas, die Sabbati Sancti, aut quolibet alio tempore, eſt omnibus prohibitus in clauſuram ingreſſus*. C. Concil. 13. Septemb. 1583. & C. Epiſc. 4. Septembr. 1596. apud Caval. decr. 5.

Ita-

Itaque Parochus non poteſt benedicere in Sabbato Sancto Monaſteria Regularium, & Monialium, aliaque loca iiſdem Monaſteriis pertinentia, vel adnexa, etiamſi intra ſuam Parochiam ſint conſtituta.

Rurſus non poteſt Parochus, præter ſuorum Parochianorum domos, benedicere domos Parochianorum alterius Parochi, ſi ſit invitus, in Sabbato Sancto, vel in hebdomada majori, aut in Octava Paſchæ, ubi uſus extendat hodiernam benedictionem domorum ad hebdomadas quoque prædictas. Porro quemadmodum conſuetudo univerſalis extendit præceptum Communionis Paſchalis a Dominica Paſchæ ad totam hebdomadam majorem, & Octavam Paſchæ; ita ſimiliter conſuetudo particularis extendit alicubi prædictam benedictionem domorum a Sabbato Sancto, ad hebdomadam majorem, aut etiam ad paſchalem; ita ut in hujuſmodi locis de jure Parochorum ſit benedicere domos ſuorum reſpectivorum Parochianorum non ſolum in Sabbato Sancto, ſed in aliis quoque diebus præcedentibus majoris hebdomadæ, aut etiam ſubſequentibus infra Octavam Paſchæ; unde in iiſdem locis *Nequeant Regulares benedicere domos Diœceſis in hebdomada Sancta*. C. Concil. 2. Julii 1620. *in Bononien.* apud Caval. dec. 2. & Luc. Ferrar. *in ſua Biblioth. edit.* 3. *Bononien. tom.* 1. V. *Benedictio. art.* 5. *n.* 12. Item *Non licet Parochis benedicere in hebdomada majori, ſeu in Octava Paſchatis Reſurrectionis, cum Stola, vel ſine, domos alteri Parochiæ ſubjectas, invito hujus Parocho*. C. Concil. 17. Junii 1719. in *Maceraten.* apud Caval. d. 3. & Luc. Ferrar. *to.* 8. *in prima append. pag.* 181. *col.* 2. *cit. edit.*

Etſi autem Benedictio domorum in Sabbato Sancto, ſive hebdomadibus prædictis de jure ſit Parochorum: ubi vero contraria vigeat conſuetudo, ita ut per longævum tempus, prædicto tempore ad domorum benedictionem non procedant Parochi: aut uſus ſit eaſdem benedici a quolibet Sacerdote, qui ab habitatoribus vocatus fuerit: praxim hujuſmodi tuto ſervari poſſe, ait, ſe credere, Cavalerius in *d.* 2. *n.* 2. cum jam reſpectivi Parochi ceſſerint juri ſuo, nec redintegrentur ab allegatis Decretis, quæ contrariam non abolent conſuetudinem. Sed & ubi conſuetudo cuſtodiat jus prædictum Parochis, probabile nihilominus reputat idem Caval. *in decr.* 3. *num.* 4. hebdomadibus quoque præfatis, ſaltem extra Sabbatum Sanctum, cui ſecundum Rubricas reperitur addicta domorum benedictio paſchalis a Parochis facienda, & non niſi in commodum eorumdem extra illud alicubi protenſa; probabile, inquam, reputat, domos benedici poſſe a quolibet Sacerdote: dummodo Parochus prius benedixerit eas, aut poſtmodum accedens, ut jure benedicendi fruatur ſuo, a benedictione non repellatur: quoniam allegata Decreta dignoſcuntur edita, ad conſervanda Parochorum jura, atque prærogativas: & hæc in caſu omnino integra manent. Neque incongruum eſt, aut inutile, domum eamdem ſæpius benedici: domorum etenim benedictiones ex iis non ſunt, quæ etiam quotidie iterari non valeant: ſed potius ex iis, ad quarum iterationem multiplicatur cœleſtis ros in domibus benedictis: ut ex eodem Caval. notabimus infra.

Animadvertendum vero eſt, bene-

dictionis hujuſmodi beneficio eſſe privandas domos meretricum, & peccatorum quorumlibet publicorum, ob indignitatem habitantium in eis; necnon domos, quæ publice expoſitæ ſint aleis, ludiſque vetitis. Caval. in *d.* 4. *nu.* 4. An autem poſſit benedici domus excommunicati? Affirmatur, loquendo de tolerato. Negatur de non tolerato. Vid. Quarti *de bened. tit.* 3. *ſect.* 9. *dub.* 2. Sed quid? ſi excommunicatus non toleratus habitet una cum aliis non ſimiliter excommunicatis? Reſpondetur adhuc negative, ſi reliqui ſint omnes ſubordinati excommunicato prædicto: ſecus autem ſi ſaltem unus habitet, qui non ſit illi ſubordinatus: tunc enim in hujus favorem poſſet utique benedici. Vid. Quarti loc. cit.

374 In benedictione domorum, quæ fit in Sabbato Sancto, Sacerdos ſit paratus ſuperpelliceo, & Stola coloris albi, *ex Rubr. Miſſ.* Similiter infra Octavam Paſchæ: ſed & infra hebdomadam majorem coloris ejuſdem albi adhibendam eſſe ſtolam, ubi uſus ſit benedicendi domos infra prædictam hebdomadam, docet Caval. qui videri poteſt *comment. in decr.* 3. *a num.* 5. *ad* 8.

Benedictio domorum in Sabbato Sancto facienda eſt cum aqua e fonte baptiſmali eadem die reſervata ante infuſionem olei. Vide dicta ſubſ. 3. §. 7. n. 336. Eadem aqua adhibenda eſt, ubi uſus ſit benedicendi domos per Octavam Paſchæ. Ubi autem etiam per majorem hebdomadam benedictionem Sabbati Sancti uſus extenderit, ibi in diebus ante Sabbatum Sanctum, ſeu antequam benedicatur fons baptiſmalis, adhibenda eſt aqua in forma conſueta Eccleſiæ benedicta. Caval. *in decr.* 3. *num.* 10.

Sacerdos in Sabbato Sancto, ſeu benedictione domorum paſchali jubetur aſpergere *loca præcipua domus*: præcipuis, ſeu nobilioribus benedictis, & benedici reliqua reputantur. Cæterum ſi Parochia non fuerit plena populo, aut ubi uſus extenderit benedictionem hanc ad duas ſupradictas hebdomadas, bene, & commode poterunt, domorum loca etiam non præcipua benedici. Caval. *in decr. num.* 9.

Dum Sacerdos in Sabbato Sancto aſpergit loca, ex præſcripto Rubricæ dicit antiphonam: *Vidi aquam*: primum verſum Pſalmi *Confitemini*. verſum *Gloria Patri*: & poſtea eamdem repetit antiphonam. Hæc dici præſcripta ſunt aſperſionis tempore; at ſi non ſufficiant, non propterea repetenda erunt, aut progrediendum ad cæteros verſus, & orationem, ſed tantundem de pſalmo *Confitemini* repetendum, quantum ſufficit: moris inſtar quem deſcripſimus tr. 1. ubi de Dom. art. 3. ſect. 2. n. 42. Aſperſione autem abſoluta, recitandus erit verſus: *Oſtende*: & Oratio. Caval. *n.* 11.

Cum hæc benedictionis formula præſcripta ſit ratione temporis, paſchalis nempe, & pomeridiani Sabbati Sancti, in quo hæc benedictio fieri ſupponitur, tenenda quidem adhuc erit, ubi benedictio agitur intra Octavam Paſchatis, per quam nedum durat paſchale tempus, ſed etiam feſtum ipſius Paſchæ, juxta Rituum regulam, quæ Octavam unum diem cum feſto reputat.

Si autem benedictio domorum anticipetur in majori hebdomada, ſeu fiat ante Sabbatum Sanctum in diebus

bus præcedentibus infra eamdem hebdomadam , docet Caval. *in cit. d. 3. nu.* 12. loco antiphonæ : *Vidi aquam* : ſubrogandam eſſe antiphonam : *Aſperges* cum primo verſu Pſalmi : *Miſerere* : poſt quem dicendum eſſe : *Gloria Patri* : & repetendam eſſe antiphonam ; quæ ſi non ſufficiant pro toto aſperſionis tempore , Sacerdos , ait , occupabitur in recitando adeo de Pſalmo *Miſerere* : quantum ſatis erit : ut quidem ex eodem diximus in Dom. l. cit. pro aſperſione ſolemni in Dominicis ſeri conſueta. Abſoluta aſperſione, dicet verſum: *Oſtende* : ſine *Alleluja* in ejuſdem fine , cum reliquis verſibus , & oratione : quam recitandam eſſe ut in formula benedictionis domorum extra Sabbatum Sanctum , congruentius exiſtimat Cavalerius : eo quod Oratio aſſignata pro Sabbato Sancto faciat mentionem Paſchatis : atque adeo non congruat tempori , ſi eadem dicatur in hebdomada majori ; cæterum concedit , non fore abſurdum , ſi diceretur , quia in ea fit quidem commemoratio Paſchalis , ſed non tamquam eo tempore occurrentis , ſed magis ad Paſcha ſola fit alluſio, quæ etiam extra tempus paſchale fieri poteſt , & maxime quando agitur de benedictione , quæ pro paſchali deſervit.

375 Qu. hic : quare in Sabbato Sancto fiat ſolemnis, ſeu univerſalis benedictio domorum fidelium populorum?

℞. Renovari ſolet quotannis hæc domorum benedictio in Sabbato Sancto, ut, ſi ex malitia habitantium, aut alia de cauſa maligni ſpiritus ibi fixerint ſedem , Deo permittente : virtute benedictionis, & Reſurrectionis Chriſti expellantur: ſicuti ab eodem Chriſto Domino triumphante in ſua Reſurrectione , princeps hujus mundi ſcilicet Diabolus ejectus eſt foras . Item quia nunc ſanctificati fideles per Sacramenta annuæ Confeſſionis , & Communionis , in domibus benedictione ſanctificatis fas eſt habitare . Quarti *de benedict. tit. 3. ſect. 9. prælud. 2. fine*.

Generaliter autem etiam loquendo de benedictione domorum : virtute benedictionis hujuſmodi primo fovetur pax , & concordia inter Domeſticos. Secundo fugantur e Domibus ſpiritus maligni, ut præmiſſum eſt . Tertio Angeli ſancti viſitant illas , qui ideo cuſtodiunt , protegunt , & defendunt habitantes , & ad cœleſtem habitationem invitant, ut conſtat ex formula benedictionis hujuſmodi . Eſtque notandum , quod ſupra etiam dicebamus, domorum videlicet benedictiones ex iis non eſſe, quæ etiam quotidie iterari non poſſint , ſed magis ex iis , ad quarum iterationem multiplicatur ros cœleſtis in domibus benedictis : ut animadvertit Caval. *in ſupra cit. d. 3. n. 4.*

Antequam claudamus ſubſectionem hanc de benedictione domorum in Sabbato Sancto a Parochis facienda, hic meminiſſe juvabit , ſalutaris ſtatuti Sancti Caroli in Mediolanenſi Concilio Provinciali quinto , tit. *de iis , quæ ad Sacramentalia , & Sacramenta generatim pertinent* : ita ſe habentis : '*Benedictionis hujus cauſa , occaſioneve , nihil plane quidquam , vel minimum , neque is , neque Sacerdotes , Clericive , quos ſibi ſocios , adjutoreſve adjunxerit , petant , exigant , ac ne ſponte quidem ultroque oblatum , donove datum accipiant* . Ubi ſimilis diſpoſitio Synodalis non habeatur expreſſa , vetans accipere

pro

Digitized by Google

pro hujuſmodi benedictione dona quæque, etiamſi ſponte, ultroque forent oblata: caveant nihilominus Parochi, ne hodiernam benedictionem domorum reddant vilem, aut inſuper odioſam Parochianis; quod utique eveniet, ſi intrantes domos, excitent, etiam indirecte, habitantes, ad aliquid tribuendum; & ſi prætergredientes humiles pauperum caſas, currant ad palatia divitum; ita ut videantur, quaſi ad eleemoſynam colligendam circuire Civitatem; *ſi vero non fuerint ſaturati, & murmurabunt*. Pſ. 58.

SUBSECTIO XII.

Not. pro Salut. B. V. ad pulſum campanæ.

376 QUONIAM tempore paſchali ad conſuetum ſignum Salutationis B. M. V. in Aurora, meridie, & ſero recitanda eſt Antiphona: *Regina Cœli*: cum ℣. & Orat. propr. quemadmodum notabimus ſequenti lib. 5. part. 1. cap. 3. num. 1. & ſolemnitas paſchalis incipit a Miſſa Sabbati hujus, ſecundum dicta ſuperius num. 317. ideo ab hoc Sabbato recitanda eſt Antiphona prædicta, quando datur ſignum præfatum, campanarum pulſu, ad ſalutandam Beatiſſimam Virginem. Licet autem in meridie hujus Sabbati cœpta ſit paſchalis ſolemnitas, non videtur tamen congruum, quod ea Antiphona incipiat recitari, antequam in Divinis Officiis audiatur. Porro poſt horas canonicas (quarum horarum Antiphona *Regina Cœli*, aliæque finales Antiphonæ ſunt veluti pars. Vid. dicta hoc tr. 2. lib. 2. cap. 3. n. 1. fin.) eadem Antiphona recitatur quidem ab hoc Sabbato, ſed poſt Completorium Sabbati hujus: atque adeo longe poſt meridiem. Unde congruum videtur, quod nonniſi ab hoc Sabbato ſero incipiat adhiberi pro ſalutatione prædicta ejuſdem Sanctiſſimæ Dei Genitricis. Recitatur autem Antiphona laudata cum ℣. & Orat. toto paſchali tempore ſtando, ſeu erecto corpore: uti dicetur, & ratio aſſignabitur ſequenti lib. 5. cit. c. 3.

Finis Tomi II. Anni Eccleſiaſtici.

E L E N C H U S

Librorum, Partium, Capitum, Articulorum, Sectionum, Subſectionum, Paragraphorum, Quæſtionum.

TOMI SECUNDI

TRACTATUS SECUNDI

DIARII LITURGICO-THEOLOGICO-MORALIS.

PARS SECUNDA.

LIBRI IV.

Quæſtiones morales, Inſtitutiones Eccleſiaſticæ, Sacrique Ritus notandi tempore Quadrageſimæ ſingulis ſigillatim hebdomadis, a feria IV. Cinerum uſque ad Sabbatum Sanctum.

CAP. I. Not. a feria IV. Cinerum uſque ad Sabbatum ante Dom. I. Quadrageſimæ. Pag. 3
Art. I. Not. in genere. ibid.
§. I. De Horis Canonicis, & Miſſa. ibid.
§. II. Not. pro Jejunio. pag. 4
Art. II. Not. primis quatuor diebus Quadrageſimæ ſigillatim. ibid.
Sect. I. Not. feria IV. Cinerum. ibid.
Subſect. I. De Horis Canonicis. ibid.
Subſect. II. De benedictione, & aſperſione Cinerum. *Ritus explicantur Paragraphis X.* a pag. 5. ad 12
§. XI. Solvuntur nonnullæ quæſtiones circa functionem Cinerum. ibid.
Qu. I. Quare in feria IV. poſt Dominicam Quinquageſimæ benedicantur Cineres, & hi benedicti ſuper capita imponantur? ibid.
Qu. II. An ſit obligatio ſumendi in hac feria prædictum Cinerem benedictum? pag. 14
Qu. III. Utrum his Cineribus benedictis debeatur aliquis religioſus reſpectus, ex quo non poſſint adhiberi ut prius, nec diſpergi, aut projici in loca immunda? pag. 15
Subſect. III. De Miſſa. pag. 16
Subſect. IV. De initio, & obſervantia Quadrageſ. ac interdictæ ſolemnitatis Nuptiarum. pag. 17
Sect. II. Not. Fer. V. poſt Cineres.
De Horis Canonicis. pag. 18
De Miſſa. ibid.
Sect. III. Not. Fer. VI. poſt Cineres.
De Pſal. pœnit. ac Litan. ib.
Sect. IV. Not. in Sab. poſt Cineres.
De Horis Canonicis. ibid.
De Miſſa. ibid.
CAP. II. Not. in Hebd. I. Quadrageſimæ, ſeu a Dom. I. Quadrag. uſque ad Sab. ſequens. ibid.
Art. I. Not. in Dom. I. Quadrageſimæ, ibid.
Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.
Sect. II. De Miſſa. pag. 19
Sect. III. Not. pro Jejunio, & obſervantia quadrageſimali. ibid.
Sect. IV. De Edictis Fidei. ibid.
Subſect. I. Edictum Univerſalis Inquiſitionis Romanæ. pag. 20
Subſect. II. Quæſtiones variæ ſuper Edictis Fidei. pag. 22
§. I. De obligatione aſſiſtendi promulgationi Edictorum Fidei. ibid.
Qu. I. Utrum præceptum aſſiſtendi obliget ſub mortali? & an excommunicatio valide fulminetur? ibid.
Qu. II. Utrum hujuſmodi præceptum afficiat ſingulos de populo, & Clero. ib.
Qu. III. An Inquiſitores poſſint prohibere ſub pœna excommunicationis, ne alii prædicent, quoties ipſi pro facto Fidei prædicare velint? pag. 23
§. II. De delictis, & Perſonis denunciandis. ibid.
Qu. I. Quænam delicta ſint Inquiſitoribus S. Officii denuncianda? ibid.
Qu. II. An ſit denunciandum delictum

mere externum, & non conjunctum cum actu interno? pag. 24
Qu. III. An ſint denunciandi illi, quorum hæreſis, ſeu delictum contra fidem catholicam occultum eſt, & probari nequit? ibid.
Qu. IV. Utrum, qui ex ignorantia erret in fide, ſit denunciandus? ibid.
Qu. V. An ſit denunciandus de hæreſi ſuſpectus leviter? pag. 25
Qu. VI. Utrum in ira dæmonium, ſeu diabolum dicere Sanctum, ſit blaſphemia hæreticalis: atque adeo denunciandus, qui illam protulit? ibid.
Qu. VII. Utrum hæreticus formalis, aut ex malitia ſuſpectus de hæreſi ſit denunciandus, ſi nondum fuit privatim monitus, ut reſipiſceret? ibid.
Qu. VIII. Utrum ſint denunciandi, quos conſtet, ſuiſſe emendatos ab errore ſuo? pag. 26
Qu. IX. An ille, quem poſt commiſſum delictum ſuperſtitionis, aut blaſphemiæ, ſtatim pœnitet, ſit etiam denunciandus? ibid.
Qu. X. An ſit denuncianda mulier, quæ ſemel maleficium fecerit, aut ſuperſtitionem? ibid.
Qu. XI. Utrum ſit denunciandus Sancto Inquiſitionis Officio, qui vulnera hominum, aut animalium læthalia brevi temporis ſpatio curat, applicato quodam unguenti genere, aut pulvere, quem ſympaticum vocant, vittis, ſive pannulis lineis ſanguine vulneratorum madefactis? pag. 27
Qu. XII. Utrum ſit denunciandus Confeſſarius, qui nec pœnitentem ſolicitet, nec cum eo illicitos, & inhoneſtos habeat ſermones, ſed ſolicitatus a Pœnitente, ejus ſolicitationi conſentiat, ſimpliciter reſpondendo, v. g. *etiam:* vel *bene eſt?* pag. 27
Qu. XIII. Quid? ſi Confeſſarius ſolicitatus a Pœnitente, nihil reſponderit? ibid.
Qu. XIV. An mulier, ſeu Pœnitens ſolicitans Confeſſarium, ſit denunciandus? pog. 28.
Qu. XV. An, ſi Confeſſarius det aliquod donum mulieri in confeſſione, dici poſſit, illam ſolicitaſſe; ita ut ſit denunciandus? ibid.
Qu. XVI. An ſit denunciandus Confeſſarius, qui Pœnitentem ſolicitavit, ſi tamen de hoc delicto ſit emendatus? ibid.
Qu. XVII. An ſit denunciandus Confeſſarius, qui Pœnitentem ſolicitavit quidem, ſed ſtatim pœnituit? pag. 29
Qu. XVIII. An ſit denunciandus Confeſſarius, qui verbis, ſeu ſignis dubiis, obſcuris, & ambiguis Pœnitentem ſolicitavit? ibid.
Qu. An ſit denunciandus Confeſſarius, qui ſolicitavit Pœnitentem non ad peccata mortalia in materia ſexti præcepti Decalogi, ſed ad alia, v. g. ad furtum, vel ſortilegium? ibid.
Qu. XX. An ſit denunciandus Inquiſitoribus S. Officii Confeſſarius, qui fregit ſigillum Confeſſionis ſacramentalis? ibid.
Qu. XXI. Utrum Sacerdos, qui eodem die ſemel celebravit, & ſemel extra Sacrificium more laico communicavit, accuſari poſſit apud S. Inquiſitionis Tribunal: illudque de hoc crimine cognoſcere poſſit? ibid.
Qu. XXII. Utrum denunciandi ſint, qui verbis ſacræ Scripturæ abutuntur, ea miſcendo prolanis, & obſcœnis: e. gr. componendo paſquinos, ut vocant, aut libellos famoſos &c.? ibid.
Qu. XXIII. Utrum Superiores Regularium omittentes legere Decreta Summorum Pontificum ad S. Officium ſpectantia, quæ quotannis publice legi, mandantur Calendis Martii, & feria ſexta poſt Octavam Aſſumptionis B. V. ſint ſuſpecti de hæreſi: atque adeo denunciandi? pag. 30
Qu. XXIV. An ſint ſuſpecti de hæreſi, ac denunciandi, qui prædictorum Decretorum lectionem impediant? ibid.
Qu. XXV. An denunciandi ſint Infideles, ut Judæi, Maometani &c. ſi negaverint circa fidem quæ habent cum Chriſtianis communia; ex. gr. unicum eſſe Deum? ibid.
Qu. XXVI. An quilibet Hæreticus, & ſuſpectus de hæreſi &c. ſit denunciandus? pag. 31.
§. III. De iis, qui denunciare tenentur. ibid.
Qu. I. Quinam teneantur denunciare delicta ad S. Officium pertinentia? ibid.
Qu. II. An Uxor teneatur denunciare Maritum formaliter hæreticum; & e converſo

verſo Maritus Uxorem? Similiter an Pater Filium; & e converſo? Item an frater Fratrem, vel ſororem; & e converſo? ibid.
Qu. III. An reſponſio affirmativa valeat etiam pro ſuſpicione de hæreſi. ibid.
Qu. IV. An hæreticus formalis teneatur denunciare complicem? pag. 32
Qu. V. An ſuſpectus de hæreſi teneatur denunciare complicem? ibid.
Qu. VI. An id (*reſponſum negativum*) procedat etiam in Pœnitente ſollicitato a Confeſſario, & conſentiente? ibid.
Qu. VII. An Viator, & Advena denunciare teneantur hæreticum, ſive ſuſpectum de hæreſi, quem noverint in loco, ubi per tranſitum reperiuntur? ibid.
Qu. VIII. An, qui ex Confeſſione ſacramentali novit aliquem fuiſſe hæreticum, teneatur illum denunciare? ibid.
Qu. IX. An, ſi ex ſecreto naturali ſciat quis, alterum eſſe hæreticum, aut ſuſpectum de hæreſi, teneatur denunciare? ib.
Qu. X. An teneatur denunciare ſuſpectum de hæreſi, qui illum novit occaſione conſilii ab eodem ſibi petiti? ibid.
Qu. XI. An id (*reſponſum negativum*) procedat etiam de hæretico formali? pag. 33
Qu. XII. An quis teneatur denunciare hæreticum, aut ſuſpectum de hæreſi, quem talem eſſe, novit ex relatione alterius? ibid.
Interrog. 1. Quid? ſi qui delictum alterius refert, non ipſe immediate viderit, vel audierit, ſed acceperit ab alio. ibid.
Interrog. 2. Quid? ſi qui refert, alium eſſe hæreticum, vel ſuſpectum de hæreſi, ſit levis, & mali nominis, ſeu famæ? ibid.
Qu. XIII. An quis teneatur denunciare jam ab aliis denunciatum ſuper eodem delicto, ſi ipſe etiam illud ſciat? ibid.
§. IV. De tempore præfixo ad denunciandum. ibid.
Qu. I. Utrum denunciatio hæretici, aut ſuſpecti de hæreſi facienda ſit etiam antequam præcedat privata fraterna correctio? ibid.
Qu. II. An denunciatio hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti facienda ſit ſtatim poſt habitam delicti ſcientiam, ſeu notitiam? pag. 34.
Interrog. 1. Unde nam dies, qui ſolent deſignari ad denunciandum, habeant principium, & finem? ibid.
Interrog. 2. Utrum, qui ignoravit obligationem denunciandi, cujus ſcientiam acquiſivit longe poſt notitiam delicti: poſſit computare initium temporis præfixi ad denunciandum, a die acquiſitæ ſcientiæ? ibid.
Interrog. 3. Utrum, qui impeditus fuit denunciare intra tempus præfixum, poſſit ſimiliter expectare ſimile aliud tempus, puta alios ſex dies ad denunciandum, computando a die ceſſati impedimenti? ibid.
Qu. III. Utrum, qui prævidet, fore ut non poſſit denunciare ultima hora temporis præfixi, teneatur ante prædictam horam? ibid.
Qu. IV. Utrum, qui non denunciavit tempore præfixo, teneatur adhuc eo elapſo? ibid.
Qu. V. Utrum, ſi aliquo anno non publicetur Edictum, ſingulis annis publicandum, ceſſet obligatio denunciandi hæreticos, ac de hæreſi ſuſpectos? pag. 35
Qu. VI. Utrum obligatio, denunciandi hæreticum, ac ſuſpectum de hæreſi, ſit perpetua, ita ut obliget ſemper, & omni tempore quantumvis longiſſimo? ibid.
Qu. VII. Utrum obligatio, denunciandi hæreticum, ac ſuſpectum de hæreſi, extinguatur ſaltem illius morte? ibid.
Qu. VIII. An, qui tenetur, ad denunciandum, ſi velit confiteri antequam elabatur tempus, intra quod debet fieri denunciatio, teneatur prævenire, ut poſſit abſolvi? ibid.
Qu. IX. Qui ex legitimo impedimento excuſetur a denunciando etiam elapſo tempore præfixo, an poſſit abſolvi, ſi promittat denunciare impedimento ſublato? ibid.
§. V. De iis, quibus eſt denunciandum? pag. 36.
Qu. I. Quibus ſit denunciandus hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus? ibid.
Interrog. In Regnis, ubi non adeſt Inquiſitio Hiſpanica denuncietur quis a duobus, quorum tamen unus denunciet illum apud Inquiſitores, alter apud Epiſcopum; Inquiſitores autem, & Epiſcopus denunciatione accepta, illum citent eodem

eodem tempore; in hoc caſu ad quodnam Tribunal comparere debet? ad Epiſcopi, vel Inquiſitorum? ibid.
Qu. II. Viator, & Advena quibuſnam debeant denunciare delinquentem, quem noverint in loco, ubi per tranſitum reperiuntur? ibid.
Qu. III. Cuinam denunciandi ſint Epiſcopi delinquentes in hac materia? Item Legati Sedis Apoſtolicæ, ejuſque Officiales? pag. 37
Qu. IV. Cuinam denunciandi ſint ipſi Inquiſitores ſi delinquant? ibid.
Qu. V. An Generales Ordinum denunciandi ſint Inquiſitoribus? ibid.
§. VI. De modo denunciandi? ibid.
Qu. I. Utrum denunciationi opus ſit, præmittere correctionem privatam fraternam hæretici, aut ſuſpecti de hæreſi? ib.
Qu. II. Utrum denuncians teneatur perſonaliter, accedere ad denunciandum? ib.
Interrog. 1. Quid? ſi cui incumbit onus denunciandi, non valeat per ſeipſum accedere ad Inquiſitorem ob impedimentum perpetuum: vel ad longum tempus duraturum; vel ob aliam gravem neceſſitatem? ibid.
Interrog. 2. An poſſit per Epiſtolam, vel per Internuncium, puta per Confeſſarium fieri denunciatio, ſi qua Mulier e. gr. vereatur ad Inquiſitionis Tribunal accedere? pag. 38
Qu. III. An quis poſſit per ſeipſum expurgare librum prohibitum, & ſic non tradere Inquiſitoribus? ibid.
Qu. IV. An quis poſſit, librum hæreticum per ſeipſum cumburere? ibid.
§. VII. De culpa, & pœna non denunciantium? pag. 39
Qu. I. An incurrant culpam gravem, qui intra tempus præfixum cum poſſint non denuncient? ibid.
Qu. II. An etiam ſub excommunicationis pœna ferendæ, vel latæ ſententiæ? ibid.
Qu. III. An toties incurratur nova excommunicatio, quoties poteſt commode denunciari, & non denunciatur? ibid.
Qu. IV. An aliquam cenſuram incurrat, qui librum Hæretici Inquiſitoribus non conſignet: ſed propria auctoritate per ſeipſum comburat? ibid.
§. VIII. De abſolutione eorum qui pœnam non denunciantium incurrerunt. ib.
Qu. I. An abſolutio ab excommunicatione, ob omiſſam denunciationem, ſit reſervata? ibid.
Qu. II. Utrum is, qui incidit in excommunicationem, quia non denunciavit, poſſit abſolvi virtute Bullæ Cruciatæ, ſi promittat illico denunciare? ibid.
Qu. III. An prædictus poſſit ſaltem abſolvi poſtquam denunciaverit? ibid.
Qu. IV. Qui incidit in excommunicationem ob omiſſam denunciationem, an poſſit abſolvi, ſi nunc ſit impeditus denunciare, & urgeat neceſſitas abſolutionis? pag. 40
Conſtitutiones Pontificiæ pertinentes ad onus denunciandi Confeſſarios ſolicitantes a pag. 40. ad 47.
Art. II. Not. Fer. 2. poſt Dom. 1. Quadrageſimæ. pag. 48
De Officio Defunctorum. ibid.
De privilegio Regularium diſpenſandi in Irregularit. ibid.
Art. III. Not. Feria III. poſt Dom. I. Quadrag. ibid.
De Miſſa. ibid.
Art. IV. Not. Feria IV. poſt Dom. I. Quadrageſ. quæ eſt fer. IV. Quat. temp. Veris. pag. 49
De Horis Canonicis. ibid.
De Miſſa, Ordin. & Indulg. ibid.
De Jejunio Quatuor Temporum Veris. ibid.
Art. V. Not. Fer. VI. poſt Dominic. I. Quadrag. quæ eſt fer. VI. Quatuor Temporum Veris. ibid.
De Horis Canonicis. ibid.
De Miſſa, Ordin. Indulgen. & Jejunio. ibid.
Art. VI. Not. in Sabbato poſt Dom. I. Quadrag. quod eſt Sab. Quat. Temporum Veris. ibid.
CAP. III. Not. in Hebdom. II. Quadrageſimæ. pag. 50
Art. I. Not. in Dom. II. Quadrageſim. ibid.
De Horis Canonicis. ibid.
De Miſſa. ibid.
Not. pro Edicto Fidei S. Inquiſitionis Siculæ. ibid.
Art. II. Not. Fer. II. poſt Dominic. II. Quadrag. ibid.
De Officio Defunctorum. ibid.

De

De Miſſa. ibid.
Art. III. Not. Fer. IV. poſt Domin. II. Quadrageſ. pag. 51
De Pſalmis Gradualibus. ibid.
Art. IV. Not. Feria VI. poſt Dom. II. Quadrag. ibid.
De Pſalmis Pœnitentialibus, & Litaniis. ibid.
CAP. IV. Not. in Hebdom. III. Quadrageſimæ. ibid.
Art. I. Not. in Dom. III. Quadrageſimæ. ibid.
De Horis Canonicis. ibid.
Art. II. Not. Fer. II. poſt Domin. III. Quadrageſ. ibid.
De Officio Defunctorum. ibid.
De Miſſa. pag. 52
Art. III. Not. Fer. IV. poſt Dom. III. Quadrageſ. ibid.
De Pſalmis Gradualibus. ibid.
Art. IV. Not. Feria V. poſt Dom. III. Quadrageſ. ibid.
De Horis Canonicis, & Miſſa. ibid.
Art. V. Not. Feria VI. poſt Dom. III. Quadrageſ. pag. 53
De Pſalmis Pœnitentialibus, & Litaniis. ibid.
Art. VI. Not. in Sabb. poſt Dom. III. Quadrageſ. ibid.
De Miſſa. ibid.
CAP. V. Not. in Hebdomad. IV. Quadrageſimæ. pag. 53
Art. I. Not. in Dom. IV. Quadrageſ. ibid.
Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.
Sect. II. De Miſſa. pag. 54
Art. II. Not. Fer. II. poſt Dominic. IV. Quadrageſ. pag. 55
De Officio Defunctorum. ibid.
Art. III. Not. Fer. IV. poſt Dom. IV. Quadrageſ. ibid.
De Pſalmis Gradualibus. ibid.
De Miſſa. ibid.
Art. IV. Not. Fer. VI. poſt Dom. IV. Quadrageſ. ibid.
De Pſalmis Pœnitentialibus, Litaniis, & Miſſa. ibid.
Art. V. Not. in Sab. poſt Domin. IV. Quadrageſimæ. pag. 56
Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.
Sect. II. De Collatione Ordinum. pagin. 57.
Sect. III. De velandis Crucibus, & Imaginibus. ibid.
CAP. VI. Not. Tempore Paſſionis. pag. 60.
Art. I. De Horis Canonicis. pag. 61
Art. II. De Miſſa. pag. 64
Art. III. De Velandis Crucibus, & Imaginibus. pag. 65
CAP. VII. Not. in Hebdom. V. Quadrageſimæ, quæ dicitur Hebdom. Paſſionis. ibid.
Art. I. Not. in Hebdomada Paſſionis in genere. pag. 66
De Horis Canonicis. ibid.
De Miſſa. ibid.
De non detegendis Crucibus, & Imaginibus. pag. 67
Art. II. Not. in Hebdom. Paſſionis in particulari. ibid.
Sect. I. Not. in Dominica Paſſionis. ib.
§. I. De Horis Canonicis. ibid.
§. II. De Miſſa. pag. 68
Sect. II. Not. Fer. II. poſt Dom. Paſſionis. pag. 69
De Officio Defunctorum. ibid.
De Miſſa. ibid.
Sect. III. Not. Fer. IV. poſt Dom. Paſſionis. ibid.
De Pſalmis Gradualibus. ibid.
Sect. IV. Not. Fer. V. poſt Dom. Paſſionis. ibid.
De Horis Canonicis. ibid.
Sect. V. Not. Fer. VI. poſt Dom. Paſſionis. pag. 70
§. I. De Horis Canonicis. ibid.
§. II. De Miſſa. pag. 72
Sect. VI. Not. in Sabbato poſt Dom. Paſſionis. ibid.
§. I. De Horis Canonicis. ibid.
§. II. De Miſſa. pag. 73
§. III. Not. pro Baptiſmo ſolemni. pagin. 74.
§. IV. Not. pro præcepto Communionis Paſchalis. ibid.
CAP. VIII. Not. in Hebdom. VI. & ultima Quadrageſimæ: ſeu in Hebdom. majori, ac Sancta. ibid.
Art. I. Not. in Hebdomada majori in genere. pag. 75
§. I. De Hor. Canon. Offic. B. V. Defunct. &c. ibid.
§. II. De Miſſa, Proceſſionib. & ſolemnitatibus Sanctorum. pag. 76
§. III. Ubinam celebrari poſſint, aut de-

debeant functiones Hebdomadæ Sanctæ. pag. 77.
Art. Not. in Triduo proxime poſt Domin. Palmarum. pag. 78
De Horis Canonicis, & Miſſa. ibid.
Art. III. Not. in Triduo proxime ante Dom. Paſchæ. ibid.
Sect. I. De Horis Canonicis. ibid.
Expoſitio myſtica ſacrorum Rituum, & cæremoniarum ad horas canonicas. pag. 82.
Sect. II. De Miſſa. Utrum in Triduo ante Paſcha liceat celebrare Miſſas privatas? pag. 90
Subſect. I. An liceat dicere Miſſas privatas feria V. Cœnæ Domini? ibid.
Subſect. II. An liceat dicere Miſſas privatas in Sabbato Sancto? pag. 93
Sect. III. De Exequiis Defunctorum. pag. 97.
Sect. IV. De obſervantia tridui ante Paſcha. pag. 98
Sect. V. De Indulgentiis. pag. 100
Art. IV. Not. ſingulis ſigillatim diebus hebdomadæ major. pag. 101
Sect. I. Not. in Dominica Palmarum. ibid.
Subſect. I. De Horis Canonicis. ibid.
Subſect. II. De functione Palmarum. *Paragraphis duodecim explicantur Ritus, & cæremoniæ benedictionis, diſtributionis, & Proceſſionis Palmarum*: a pag. 102. ad 112. deinde §. *XIII. ſolvuntur nonnullæ quæſtiones circa functionem Palmarum.*
Qu. I. An tempore Interdicti localis generalis liceat peragere ſolemnem, & publicam benedictionem hodiernam Palmarum? pag. 112
Qu. II. Quid ſibi velit hodierna Palmarum benedictio, & Eccleſiaſtica functio? ibid.
Qu. III. Utrum Palmarum, Olivarum, aliarumve arborum rami hodie benedicti tractari debeant reverenter, & aliquis religioſus reſpectus illis debeatur; ita ut non poſſint adhiberi ad eoſdem uſus profanos, ad quos poterant prius: puta, accendendum ignem pro coquendis cibis in culina? pag. 113
Qu. IV. An ſit ſuperſtitioſum, putare, domum muniri contra fulmen, ſi die Palmarum ramus Palmæ ter circumferatur, & extra domum relinquatur? pag. 114
Subſect. III. De Miſſa. ibid.
§. I. De Ritu Miſſæ hodiernæ privatæ. ibid.
§. II. De Ritu, & cæremoniis Miſſæ ſolemnis. pag. 116
§. III. De Miſſis Votivis. pag. 119
§. IV. Solvuntur nonnullæ quæſtiones ad Miſſam pertinentes. ibid.
Qu. I. An peccet graviter, qui obligatus ex præcepto, aut ſimili obligatione gravi, audire Miſſam in Dominica Palmarum, aut feria tertia, & quarta majoris hebdomadæ, puta occurrente feriis prædictis feſto Annunciationis B. M. V. non adſit Miſſæ, dum legitur Paſſio, ſed incipiat aſſiſtere ſtatim poſt lectam Paſſionem? ibid.
Qu. II. An peccet mortaliter Sacerdos, ſi in Miſſa privata totam omittat Paſſionis hiſtoriam legere; vel legat tantum ultimam partem illius? pag. 121
Qu. III. An ſaltem celebrans Miſſam ſolemnem, poſſit non legere Paſſionem, ex eo quod illam dicant, & cantent Miniſtri, ſive alii inter ipſa Miſſarum ſolemnia? ibid.
Qu. IV. An diebus, quibus dicenda eſt Miſſa, in qua legitur Paſſio, poſſit dici Miſſa votiva abſque mortali, aut etiam veniali, ex aliqua rationabili cauſa: non obſtante quod Miſſæ votivæ prohibeantur infra majorem hebdomadam? pag. 123
Qu. V. Poſito quod liceat, legere Miſſam votivam de Paſſione in Dominica Palmarum, & aliis diebus, in quibus legitur Paſſio in Miſſa, in caſu, & cum conditionibus explicatis quæſtione præcedenti: quæritur: quænam Rubricæ ſervandæ ſint in hujuſmodi Miſſa votiva in dictis diebus? pag. 127
Q. VI. An in Dominica Palmarum ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam, qui audiat Miſſam votivam, in qua quidem non legitur Paſſio? Similiter quæritur de aliis diebus, in quibus habetur Paſſio, puta feria 3. & 4. hebdomadæ majoris, ſi in illis occurrat feſtum e. g. Annunciationis? pag. 128
Qu. VII. An Sacerdos poſſit extra hebdomadam majorem dicere Miſſam aliquam de Paſſione, quæ in prædicta hebdomada legitur, ſi illa a laico cum eleemoſyna petatur? pag. 129

Sub-

Digitized by Google

Subſect. IV. Not. pro præcepto Communionis Paſchalis. pag. 130
Sect. II. Not. Fer. II. hebdomadæ majoris. ibid.
De Horis Canonicis. ibid.
De Miſſa. ibid.
Sect. III. Not. Feria III. hebdomadæ majoris. ibid.
De Horis Canonicis. ibid.
De Miſſa. pag. 131
Sect. IV. Not. Fer. IV. hebdomadæ majoris. ibid.
De Horis Canonicis. ibid.
De Miſſa. ibid.
Sect. V. Not. Fer. V. in Cœna Domini. pag. 133
Subſect. I. De Horis Canonicis, & Officio Defunct. in die obitus. pag. 134
Subſect. II. Not. in caſu, quo feſtum Annunciationis, aut S. Joſeph, vel alterius Sancti feſtum de præcepto in foro incidat in fer. V. majoris hebdomadæ. ibid.
Subſect. III. Not. pro functionibus ſolemnibus, & Pontificalibus. ibid.
Subſect. IV. De Miſſa. pag. 135
§. I. Quod hodie celebrare non liceat Miſſas privatas. ibid.
§. II. Quod hodie celebrare non liceat in Oratoriis privatis. ibid.
§. III. Quod unica Miſſa ſolemnis, quam celebrare hodie licet, & Sacramenti aſſervatio in Sepulchro in quibuslibet concedatur Eccleſiis. ibid.
§. IV. De Ritu, & Cæremoniis hodiernæ Miſſæ ſolemnis. pag. 137
§. V. De Communione Cleri, quæ hodie fit in Miſſa ſolemni. pag. 142
§. VI. Quomodo parati accedere debeant Sacerdotes communicantes de manu alterius? pag. 145
Qu. I. An hæc obligatio (*deferendi ſtolam*,) ſit gravis? pag. 146
Qu. II. An ſit ſimilis obligatio deferendi Cottam? pag. 147
Qu. III. De Diaconis, & Subdiaconis, an ſcilicet hi manipulum, illi ſtolam deferre debeant ſua ipſorum inſignia? ibid.
Q. IV. An Sacerdotes communicantes adhibere debeant ſtolam ejuſdem coloris, qui præſcribitur miniſtrantibus Communionem? pag. 148
§. VII. De Ritu miniſtrandi Communionem ſolemnem Feria V. Cœnæ Domini. ibid.
§. VIII. De ultima parte Miſſæ ſolemnis. pag. 150
Subſect. V. De reſervatione SS. Corporis Domini in Sepulchro. pag. 151
Subſect. VI. De Altarium denudatione. pag. 156
Qu. Utrum in feria V. Cœnæ Domini Parochus duarum Eccleſiarum inter ſe longe diſſitarum poſſit celebrare, & erigere Sepulchrum in ſingulis Parochis, ubi ſervatur conſuetudo Eccleſiæ Romanæ de conſumenda Hoſtia die Paraſceves, quæ præſenti feria V. exponitur in Sepulchro? pag. 159.
Subſect. VII. De mandato, ſeu lotione pedum. pag. 161
Qu. I. Ad quem hodie per ſe ſpectet lavare pedes? ibid.
Qu. II. Quibuſnam abluendi ſint pedes? pag. 163
Qu. III. Quinam ſervandi ſint ritus, & cæremoniæ in ablutione pedum? pag. 164.
Subſect. VIII. De Sacris Oleis. pag. 168
Qu. I. An Chriſma, & ſacrum oleum poſſit vendi ratione materiæ? pag. 174
Qu. II. An tempore Interdicti localis liceat in hac feria V. conficere Chriſma? pag. 175.
Subſect. IX. De reconciliatione publicorum Pœnitentium. pag. 176
Subſect. X. Not. pro Bulla Cœnæ. pagin. 177.
Subſect. XI. Not. pro Jejunio. pag. 178
Subſect. XII. Not. pro Supplicationibus, ſeu Proceſſionibus nocturnis SS. Sacramenti. pag. 179
Subſect. XIII. Decreta quædam a Cardinali Patriarcha Lisbonenſi edita, collaudata, & confirmata a Benedicto XIV. in ejus ad prædictum Cardinalem Epiſtola: *quæ ad Verbum deſcribitur*. ibid.
Subſect. XIV. Not. pro benedictione menſæ, gratiarum actione, ac lectione. pag. 182.
Sect. VI. Not. Feria VI. in Paraſceve. ibid.
Subſect. I. De Horis Canonicis, & Officio Def. in die obitus. pag. 183
Subſect. II. Not. pro feſto Annunciationis B. M. V. vel al alio de præcepto

in

in foro. pag. 184

Subſect. III. De Miſſa. ibid.

Qu. I. Utrum feria ſexta majoris hebdomadæ liceat Miſſæ Sacrificium? ibid.

Qu. II. An ſaltem liceat celebrare feria VI. majoris hebdomadæ, occurrente in ea Annunciationis feſto, aut aliquo alio locali de præcepto in foro? pag. 185

Qu. III. Cum non liceat conſecrare unam ſpeciem ſine altera, puta Hoſtiam ſine calice, ſeu panem ſine vino: quær. an liceat celebrare feria VI. majoris hebdomadæ, ad dandum Viaticum, ſi ſecus non poſſit, eo quod nulla habeatur Hoſtia conſecrata, & periculum ſit in mora? ibid.

Qu. IV. Utrum Parochus, qui in fer. V. Cœnæ Domini oblitus fuerit, conſecrare Hoſtiam reſervandam; aut licet conſecraverit, aliquo tamen caſu poſſibili perierit, licite ſacrificet eadem fer. VI. eo fine, ut habeat Hoſtiam conſecratam in prædictum uſum? ibid.

Interr. Quid, ſi nulla alia habeatur particula conſecrata? pag. 186

Subſect. IV. De functionibus ſolemnibus, & Pontificalibus. ibid.

Subſect. V. De Officio Paraſceves ad Altare. *Explicantur Ritus, & cæremoniæ* §§. *XIX. Deinde* §. XX. ſolvuntur variæ quæſtiones ad Officium Paraſceves pertinentes. ibid.

Qu. I. Utrum Sacerdos hodie peragens Officium Paraſceves ad Altare, poſſit dici, communicare jejunus? Profecto in Paraſceve cum ſumatur a Celebrante particula conſecrata mixta vino non conſecrato, moraliter prius ab eo ſumitur aliquid vini, quam prædicta particula? pagin. 220.

Qu. II. An habens duas Parochias, poſſit peragere Officium Paraſceves ad Altare in utraque Parochia, ſi ipſe unus ſit Sacerdos? ibid.

Qu. III. An Officium Paraſceves ad Altare ſit Sacrificium? ibid.

Qu. IV. An prædictum Officium ſit ſaltem pars, & complementum Sacrificii præcedentis, in quo ſcilicet conſecratæ heri fuere majores Hoſtiæ duæ, quarum altera pro hodierno Paraſceves Officio reſervata, juxta Miſſalis Rubricas, hodie in illo conſumitur? pag. 223

Qu. V. An Officium ad Altare in Paraſceve peragere omnino debeat ille idem, qui heri celebravit Miſſam ſolemnem: ſeu ille idem Sacerdos, qui conſecravit Hoſtiam in hoc Officio ſumendam: & non liceat illud expleri per alterum? pag. 224

Qu. VI. Cum Tridentinum ſeſſ. 13. c. 7. de præparat. Commun. ſub gravi præcipiat, quamprimum confiteri Sacerdotem, qui neceſſitate urgente celebravit cum conſcientia peccati mortalis, quantumvis contritus ſibi viſus fuerit; quær. an hujuſmodi præcepto teneatur, qui feria VI. in Paraſceve celebrans Officium hodiernum ad Altare, communicavit ſine confeſſione peccati lethalis, ſola contritione præmiſſa? ibid.

Qu. VII. An Pontificia Sede vacante Eminentiſſimis Cardinales in feria ſexta Paraſceves poſſint devenire ad ſcrutinium non audito Officio fieri ſolito in hac die? Non obſtante §. 17. *Similiter*. Conſt. 13. Gregorii XV. de elect. Sum. Pontif. incip. *Æterni Patris*. An. Dom. 1921. pag. 221

Subſect. VI. De Communione laica. An liceat communicare laice Feria VI. Paraſceves? ibid.

Subſect. VII. De Supplicationibus, ſeu Proceſſionibus. pag. 232

Subſect. VIII. De benedictione menſæ, gratiarum actione, & lectione. pag. 234

Subſect. IX. De circumſtantia temporis ſanctæ hujus feriæ VI & de nonnullis ſuperſtitionibus. ibid.

Qu. I. An ex circumſtantia temporis contrahat ſpecialem malitiam peccatum commiſſum feria ſexta majoris hebdomadæ? ibid.

Qu. II. An ex circumſtantia temporis aliqua actio, per ſe non mala, evadat mala, ſi fiat feria ſexta majoris hebdomadæ? pag. 235

Qu. III. In Flandria quotquot ſunt nati in die Paraſceves, putantur habere a Deo poteſtatem, ut ſuo contactu ſanent a febribus: quæritur: an id ſit ſuperſtitio? ibid.

Qu. IV. An ſit ſuperſtitio, ſervare Ova excluſa die Paraſceves, ad extinguendum incendium? ibid.

Qu. V. An ſit ſuperſtitio, ad pellendos morbos, puta adverſus membrorum contractionem, uti annulo confecto ex pecu-

nis

niis oblatis Crucifixo in feria VI. Paraſceves ad ſolemnem adorationem Crucis? ibid.

Sect. VII. Not. in Sabbato Sancto. pag. 236.

Subſect. I. De Hor. Canon. Officio Def. in die obitus: Suſpenſ. Interdicti. ibid.

Subſect. II. Not. pro caſu, quo feſtum Annunciationis, vel aliud feſtum de præcepto in foro incidat in Sabbatum Sanctum. pag. 238

Subſect. III. De Officiis, ſeu functionibus Sabbati Sancti. ibid.

§. I. De benedictione novi ignis, & incenſi. pag. 239

Qu. Utrum Carbones benedicti, ſeu novus ignis hodie benedictus, & thus ſimiliter benedictum ritu prædicto debeant religioſe tractari: ex quo debeatur illis poſitiva quædam religioſa reverentia, ratione benedictionis prædictæ; atque adeo adhiberi debeant ad uſus tantummodo Eccleſiaſticos, ſeu pios, & religioſos? pag. 243.

§. II. Myſtica expoſitio Ritus benedictionis novi ignis, & Incenſi. pag. 244

§. III. De benedictione Cerei Paſchalis. pag. 245

§. IV. Myſtica expoſitio prædictæ benedictionis Cerei Paſchalis. pag. 249

§. V. De Prophetiis, & Catecheſi Baptizandorum. pag. 255

Qu. Utrum Celebrans, ſeu Sacerdos, qui in Sabbato Sancto Officium peragit ad Altare, teneatur legere Prophetias: an vero poſſit illas tantum audire, dum ab aliis leguntur modo prædicto? pag. 257

§. VI. Myſtica expoſitio prædictorum. ibid.

§. VII. De benedictione fontis baptiſmalis, & baptiſmi. pag. 262

Qu. I. Utrum tempore Interdicti localis fieri poſſit in Sabbato Sancto benedictio fontis baptiſmalis? pag. 269

Qu. II. Utrum deficiente aqua fontis baptiſmalis hodie benedicta, vel in Sabbato Pentecoſtes, poſſit benedici, & conſecrari nova aqua ad uſum baptiſmi ſolemnis? ibid.

§. VIII. Myſtica expoſitio Rituum, & Cæremoniarum ad fontis baptiſm. benedictionem. pag. 272

§. IX. De Litaniis. pag. 274

Subſect. IV. De Miſſa. pag. 276

§. I. De Ritu, & Cæremoniis Miſſæ hodiernæ ſolemnis. ibid.

§. II. Expoſitio myſtica Rituum, & Cæremoniarum hodiernæ Miſſæ ſolemnis. pag. 284.

§. III. Quod in Sabbato Sancto celebrare non liceat Miſſas privatas. pag. 290.

§. IV. Quod in Sabbato Sancto ne quidem pro recenter defunctis liceat celebrare. ibid.

§. V. Solvuntur nonnullæ quæſtiones pertinentes ad hodiernam Miſſam. ibid.

Qu. I. An Miſſa ſolemnis in Sab. Sancto dicenda omnino ſit ab illo eodem Sacerdote, qui peregit præcedens Officium ejuſdem Sabbati: puta, qui legit Prophetias, recitavit orationes &c.? ibid.

Qu. II. An Miſſa ſolemnis in Sab. Sancto incipi poſſit longe poſt meridiem: puta poſt horam diei nonam? ob tam longum præcedens Officium Eccleſiaſticum; maxime cum olim eadem Miſſa celebraretur in nocte: puta, poſt ſolis occaſum? pag. 291

Qu. III. An Veſperæ, quæ dicuntur in Miſſa ſolemni Sabbati Sancti, ſint pars hujuſmodi Miſſæ? Idipſum quæritur de Prophetiis, & Litaniis. ibid.

Subſect. V. De Communione. pag. 292

Qu. An in Sab. Sancto liceat communicare? ibid.

Subſect. VI. De Jejunio. pag. 294

Subſect. VII. De benedictione menſæ, & gratiarum actione. pag. 295

Subſect. VIII. De reſidentia Epiſcoporum. pag. 296

Subſect. IX. De Collatione Ordinum. pag. 297.

Qu. Utrum tempore Interdicti localis generalis poſſit in Sabbato Sancto Epiſcopus conferre Ordines? ibid.

Subſect. X. Not. pro Agnus-Dei cereis. ibid.

Subſect. XI. De benedictione Domorum in Sabbato Sancto. pag. 298

Subſect. XII. Not. pro ſalutatione B.V. ad pulſum Campanæ. pag. 302

Tomo Primo Anni Eccleſiaſtici

Pag.	col.	lin.	ERRATA	CORRIGE
11	2	7	præſentes	ad præſentes
21	2	1	& ſunt cantandæ duæ M.	non ſunt cantandæ
22	1	27	Eccleſia	Eccleſiam
23	1	18	Qu. 5.	Qu. *6.*
45	1	14	ubi poſtquam ſic habet.	ubi ſic habet:
46	1	9	habentur in præcepto;	habentur in ſua Patria;
50	1	38	præcedentem	præcedente
51	1	39	ne detur locus	ut detur locus
55	1	44	cap. præced.	articulo præced.
58	1	45	in præced. par. 1. huj. par. c. 1.	in præced. cap. 3.
63	1	29	innovationis	immutationis
63	2	41	impedita	non impedita
70	2	17	illam	illas
73	2	9	*commemoramus quia*	*commemoramus , noſtrumque inoolatum , quia .*
79	1	14	proprium	prævium .
90	2	32	immediate ſequenti, in quo	immediate ſequenti , agemus libro ſequenti, in quo

In hoc Tomo II.

Pag.	col.	lin.	ERRATA	CORRIGE
32	1	40	Congr. I. R. U. Inquiſ.	Congr. S. R. Univ. Inqu.
56	2	10	ſequantur	ſequatur
72	1	6	gaudeat	gaudent
160	2	38	*ſtudans*	*ſtudeas*
167	1	21	& lance	ex lance
169	2	7	Carthagenſi	Carthaginenſi
171	2	20	non nonniſi	nonniſi
175	1	29	incroductus	introductus
176	1	34	*Pœnitentiam*	*Pœnitentium*
180	1	32	hujuſmovi	hujuſmodi
184	1	15	hebdomæ	hebdomadæ
187	1	33	ſacris	ſacri
188	1	19	Sacriſta	Sacriſtia
191	1	41	occidutur	occidatur